







E.K. WATERHOUSE

[VALLA

Laurentii Vallæ de Latinæ linguæ elegantia Lib. VI.

De reciprocatione Sui & Suus Lib. I.

Eiusdem in Antonium Raudensem annotationum libellus.

In Pogium Florentinũ apologeticus & scenicus actus admodum festiuus ac facetus.

Iodoci Badii Ascensii in sex de Latinæ linguæ elegantia libros, & libellum de reciprocatione, postrema epitome, ab ipso recognita & excusa abhinc annos quindecim.



PARISIIS.
Ex officina Rob. Stephani typographi Regii.
M. D. XLI.

LAVRENTIVS VALLA IOHANNI TORTELLIO ARETINO, cubiculario Apostolico, theologorum facundissimo, S.

Libros de linguæ Latinæ elegantia (mi Iohānes vnicum amicitiæ specimen, & omnis scientiæ decus) olim iam tibi debitos, totiésque abs te efflagitatos, & tanquā creditore repetitos, tādem exhibeo, nominiq; tuo dedico, ac velut æs alienum persoluo: & (vt longioris moræ dem pœnas) etiam cū fœnore, eóque tanto, vt sorti par sit. Nam quū sex essent libri, quos tibi (cui omnia debeo) repromiserā, nunc totidē ad illos accedūt, eiusdē germanæque materiæ, & quasi semissi semis additus, explet assem lucri. Fecisti itaque tu longā quidē expectationem. Verū ipsius expectationis non negligētia mea, sed consiliū extitit causa. Nolo enim fraudare beneficiū meū gratia sua. Siquidē nullam aliā inire rationem poteram, qua libros iniussu meo (vt scis) editos, & in plurima exēplaria transcriptos tibi dicarē, nisi & repurgarē diligentius, & (quod maius est) aliorū veluti reliqui corporis accessione perfectos me emittere testarer: vt nemo nisi ab hoc fonte & eius riuis nostrarū elegātiarū aquas sibi hauriēdas existimaret, nō solū huberiore gurgite, sed etiam nitidiore. Quo magis & spero & opto libros hos abs te in summi pōtificis bibliotheca repositū iri, téq; curaturū vt ille, cuius contubernalis es & studiorū intimus comes, nōnunquā eos euoluat: & quēadmodū de parte iam fecit, totū opus laudet: eximiū profecto, ac maximū laboris mei fructū ac præmiū. Nam quis huberior fructus, aut quod magis opimū præmiū generoso animo cōtingere potest, q̃ laudari à laudato viro? vt ille apud Acciū inquit, Gaudeo abs te laudari pater, laudato viro. Etenim quisnā multis iam sæculis laudatior extitit, quíve sit magis iure laudādus, q̃ nostrū omniū pater summus pontifex Nicolaus Quintus? qui nō magis prudentissimorū hominū iudicio electus esse, q̃ natus ad illā dignitatē videtur: quē Deus nobis præbēs singulari quadam hoc sæculū est beneficentia prosecutus, & quo sospite (vt est hominū opinio) res humanæ futuræ fœlices sunt. Adeò nescias, an virtus eius, an dignatio inter homines magis emineat, & inter ipsius virtutes, quæ cui præstet, siqua modo præstat: & non vnaquæq; omnes in se numeros habet, nisi ꝙ vt quisq; maxime virtutē aliquā colit, ita maxime adesse huic illā existimat. Veluti tu nōnunquā atque ego prudentiā, cū cæterarū rerū, tum verò literarum. Quid enim tam arduū, tam difficile, tā profundū, quod

non conſilii altitudine expediat, cõficiat, tranſigat? Tot ſummi pontificatus, quem propè lacerũ ac naufragũ acceperat, negotia, quibus diſtringitur, quorũ pars quẽlibet aliũ deprimeret, vnus omnia curat, omnia ſuis humeris ſuſtinet, vnus omnia obit: & (quod magis noſtrã admirationẽ auget) non fortiter modo ſed etiã libenter. Diuina nimirũ eſt in eo ingenii celeritas ac vis. Iã verò de literis quoties nobiſcũ alióve quo erudito, poſt fluctus occupationũ loquitur? Taceo qua pronũtiandi maieſtate & gratia, quanta memoria, quãta rerũ copia, quãta doctrinarũ omniũ peritia eluceat: vel humanarũ, vt hiſtoricæ, vt oratoriæ, vt grammaticæ, vt philoſophicæ, vt poeticæ, etiã metricæ: vel diuinarũ, vt theologiæ, vt omnis iuris, vt eius quam Græci μεταφυσικὴν vocant. Nihil ita arduum, itáque abditum, quod eũ fallat. nihil ita tenue in literis, exiguúmque (vnde haud ſecus miror) quod eũ fugiat, eóque nunquã minus loqui, magis attendere mihi libet, quàm cũ ipſum audio. pace tamẽ eius dictũ ſit, nõ minus ornat illam dignitatẽ, quàm ab illa ornetur. Nec ego minus veneror eius virtutes apud me, q̃ datas à Deo Apoſtolicas claues, quum præſertim ſcientia ſacrarum literarũ vocetur ab eodẽ Deo tributa: quæ aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Itaque vtraque manu claues geſtat, ſapientiæ altera, altera poteſtatis. Quare (vt libere quod ſentio dicã) vel magis mihi lætandũ atq; gloriandũ erit, ſi à tam integro, tã ſancto, tã ſapienti viro, q̃ ſi à ſummo pontifice laudabor. Sũmi enim põtifices multi fuerũt, ſed qualis hic, vix vnus aut alter: quẽ abſit vt emerendi fauoris gratia impẽſius laudauerim, quippe qui ſciã & me improbaturos homines ſi mentiar: & illũ talẽ eſſe, qui nec ſeipſum ignoret, & teſtimonia ſuarũ laudũ malit in pectoribus eſſe, quàm in linguis. Neque velim te hanc ei epiſtolam oſtẽdere. In qua etſi laudatur, id tamen nõ ideo fit, vt has laudes ipſe, ſed vt cæteri legãt. & (quod ad nos attinet) magna ſanè honori tuo ac meo fiet acceſſio ex hac Nicolai pontificis cõmemoratione. Etenim ſi in arcubus triũphalibus, & columnis, cæteríſq; id genus operibus in honorẽ aliquorum extructis, quò ſint auguſtiora, cernimus interdũ alicuius dei aut deo ſimilis imaginem ſuperpoſitã: cur ipſe nõ putẽ mihi faciundũ, vt huic meæ columnæ (non auſim dicere arcui) duodecim paſſus altæ, quã ego opifex tibi ob ſingularẽ eruditionẽ, ſummã beneuolentiã, maxima in me merita dicaui, imaginẽ Nicolai ſummi pontificis mea manu ſcalptam in culmine collocẽ, vt operis decori quædã etiã ex ipſo præſide maieſtas accedat? Ita & noſtra in illũ reuerẽtia ac religio, & illius in nos fauor ſplendórque conſtabit. VALE.

LAVRENTII VALLAE PATRITII ROMANI, ET DE lingua Latina bene meriti, in sex Elegantiarum libros, elegans & docta admodum Præfatio.

QVum sæpe mecum nostrorũ maiorum res gestas, aliorúmque vel regum, vel populorũ consydero: videntur mihi non modo ditionis nostri homines, verumetiã linguæ propagatione cæteris omnibus antecelluisse. Nã Persas quidem, Medos, Assyrios, Græcos, alióſque permultos lõge, latéque rerum potitos esse, quosdam etiam, vt aliquanto inferius quàm Romanorum fuit, ita multo diuturnius imperium tenuisse cõstat. nullos tamen ita linguam suã ampliasse, vt nostri fecerũt: qui (vt oram illam Italiæ, quæ magna olim Græcia dicebatur, vt Siciliam, quæ Græca etiam fuit, vt omnem Italiam taceam) per totum penè occidentem, per Septentrionis, per Africæ non exiguam partem, breui spatio linguam Romanam (quæ eadem Latina à Latio, vbi Roma est, dicitur) celebrem & quasi reginã effecerunt, & (quod ad ipsas prouincias attinet) velut optimam quandam frugem mortalibus ad faciendam sementem præbuerunt. opus nimirum multo præclarius, multóque speciosius, quàm ipsum imperium propagasse. Qui enim imperiũ augent, magno illi quidem honore affici solent, atque imperatores nominantur: qui autem beneficia aliqua in homines contulerunt, ii non humana, sed diuina potius laude celebrãtur. Quippe qui non suæ tantum vrbis amplitudini ac gloriæ consulant, sed publicæ quoque hominum vtilitati ac saluti. Itaque nostri maiores rebus bellicis, pluribúsque laudibus cæteros homines superarunt, linguæ verò suæ ampliatione seipsis superiores fuerunt, tanquam relicto in terris imperio, consortium deorum in cælo consecuti. An verò Ceres quòd frumẽti, Liber quòd vini, Minerua quòd olei inuentrix putatur, multíque alii ob aliquam huiusmodi beneficentiam in deos repositi sunt: linguam Latinam nationibus distribuisse minus erit, optimam frugem, & verè diuinã, nec corporis, sed animi cibum? Hæc enim gentes illas populósque omnes, omnibus artibus, quæ liberales vocantur, instituit. hæc optimas leges edocuit. hæc viam ad omnem sapientiã muniuit. hæc denique præstitit, ne barbari amplius dici possent. Quare quis æquus rerum æstimator non eos præferat, qui sacra literarum colentes, iis, qui bella horrida gerentes, clari fuerunt? Illos enim regios homines, hos verò diuinos iustissime dixeris: quibus non (quemadmodum ab hominibus fit)

aucta respublica est, maiestásque populi Rom. solum, sed (quēadmodum à diis) salus quoque orbis terrarum: eò quidem magis, quòd qui imperium nostrum accipiebant, suum amittere, & (quod acerbius est) libertate spoliari se existimabant, nec fortasse iniuria. Ex sermone autem Latino non suum imminui, sed condiri quodammodo intelligebant. vt vinum posterius inuentum, aquæ vsum non excussit: nec sericum, lanam, linúmque: nec aurum cætera metalla de possessione eiecit, sed reliquis bonis accessionem adiunxit. Et sicut gemma aureo inclusa annulo, non deornamento est, sed ornamento: ita noster sermo accedens, aliorum sermoni vernaculo contulit splendorem, nō sustulit. Neque enim armis, aut cruore, aut bellis dominatum adeptus est: sed beneficiis, amore, concordia. Cuius rei (quātum coniectura suspicari licet) hoc (vt ita loquar) seminarium fuit. primū, quòd ipsi maiores incredibiliter se in omni studiorum genere excolebant, ita, vt ne in re quidem militari aliquis, nisi idem in literis, præstans esse videretur, quod erat cæteris ad æmulationem non exiguum incitamentum. deinde, quòd ipsis literarum professoribus præmia egregia sanè proponebant. postremo, quòd hortabantur prouinciales omnes, vt quum Romæ, tum in prouincia Romanè loqui consuescerēt. At (ne pluribus agam) de comparatione imperii, sermonísque Romani, hoc satis est dixisse. Illud pridem, tāquam ingratum onus, gentes, nationésque abiecerunt: hunc omni nectare suauiorē, omni serico splendidiorem, omni auro gemmáque pretiosiorem putauerunt, & quasi deum quendam è cælo demissum, apud se retinuerunt. Magnum ergo Latini sermonis sacramētum est, magnum profecto numen, quod apud peregrinos, apud barbaros, apud hostes, sanctè ac religiose per tot sæcula custoditur, vt non tam dolendum nobis Romanis, quàm gaudendū sit, atque ipso etiam orbe terrarum exaudiente gloriandum. Amisimus Romam, amisimus regnum, amisimus dominatum, tametsi non nostra sed temporum culpa: veruntamen per hunc splendidiorem dominatum in magna adhuc orbis parte regnamus. Nostra est Italia, nostra Gallia, nostra Hispania, Germania, Pannonia, Dalmatia, Illyricum, multæque aliæ nationes. Ibi nanque Romanum imperium est, vbicūque Romana lingua dominatur. Eant igitur nunc Græci, & linguarum copia se iactent. Plus nostra vna efficit, & quidem inops (vt ipsi volunt) quàm illorum quinque (si eis credimus) locupletissimæ. Et multarū gentiū velut vna lex, vna est lingua Romana: vnius Græciæ (quod pudendum est) non vna, sed multæ sunt tanquam in republica

factiones.atque exteri nobiscũ in loquendo consentiunt: Græci inter se consentire non possunt, nedum alios ad sermonem suũ se perducturos sperent. Variè apud eos loquuntur authores, Attice, AEolice, Ionice, Dorice, κοινῶς: apud nos, id est apud multas nationes, nemo nisi Romanè. in qua lingua disciplinæ cũctæ libero homine dignæ cõtinẽtur, sicut in sua multiplici apud Græcos: qua vigente, quis ignorat studia omnia, disciplinásque vigere, occidente occidere? Qui enim summi philosophi fuerunt, summi oratores, summi iurecõsulti, summi denique scriptores? nempe ii, qui bene loquendi studiosissimi. Sed me plura dicere volentem impedit dolor & exulcerat, lachrymaríque cogit intuentem quo ex statu, & in quẽ facultas ista reciderit. Nam quis literarum, quis publici boni amator à lachrymis temperet, quũ videat hanc in eo statu esse, quo olim Roma capta à Gallis? omnia euersa, incẽsa, diruta, vt vix Capitolina supersit arx. Siquidẽ multis iam sæculis non modo Latinè nemo locutus est, sed ne Latina quidem legens intellexit. non philosophiæ studiosi philosophos, non causidici oratores, non legulei iureconsultos, nõ cæteri lectores veterum libros perceptos habuerunt, aut habẽt: quasi amisso Romano imperio, non deceat Romanè aut loqui, aut sapere, fulgorem illum latinitatis situ, ac rubigine passi obsolescere. Et multæ quidem sunt prudentium hominum, variæque sententiæ, vnde hoc rei acciderit. quarum ipse nullam nec improbo, nec probo: nihil sanè pronuntiare ausus, non magis quàm cur illæ artes, quæ proximè ad liberales accedunt, pingendi, scalpendi, fingendi, architectandi: aut tandiu, tantóque opere degenerauerint, ac penè cum literis ipsis demortuæ fuerint, aut hoc tempore excitentur ac reuiuiscant: tantúsque tum bonorum opificum, tum bene literatorum prouentus efflorescat. Verum enimuero quò magis superiora tempora infœlicia fuere, quibus homo nemo inuentus est eruditus, eò plus his nostris gratulandũ est: in quibus (si paulo amplius adnitamur) cõfido propediem linguam Romanam verè plus, quàm vrbem, cum ea disciplinas omnes iri restitutum. Quare pro mea in patriam pietate, imo adeò in omneis homines, & pro rei magnitudine, cunctos facundiæ studiosos, velut ex superiore loco libet adhortari, euocaréque, & illis (vt aiunt) bellicum canere. Quousque tandem Quirites (literatos appello, & Romanæ linguæ cultores, qui & verè, & soli Quirites sunt, cæteri enim potius inquilini) quousque inquam Quirites, vrbem vestram, non dico domicilium imperii, sed parentem literarum, à Gallis esse captam patiemini, id est latinitatem à barbaris oppressam?

Quouſque profanata omnia duris, & penè impiis oculis aſpicietis? An dum fundamentorum reliquiæ vix appareant? Alius veſtrum ſcribit hiſtorias: iſtud eſt Veios habitare. Alius Græca transfert: iſtud eſt Ardeæ conſidere. Alius orationes, alius poemata cõponit: iſtud eſt Capitolium arcémque defendere. Præclara quidem res,& non mediocri laude digna, ſed non hoc hoſtes expellit, non patriam liberat. Camillus nobis, Camillus imitandus eſt, qui ſigna (vt inquit Virgilius) in patriam referat,eámque reſtituat. cuius virtus adeò cæteris præſtantior fuit, vt illi qui vel in Capitolio, vel Ardeæ, vel Veiis erant, ſine hoc ſalui eſſe non poſſent. Quod hoc quoque tempore continget,& cæteri ſcriptores ab eo,qui de lingua Latina aliquid compoſuerit, non parum adiuuabuntur. Equidem (quod ad me attinet) hunc imitabor, hoc mihi proponam exemplum, comparabo (quantulumcunque vires meæ ferent) exercitum, quem in hoſtes quamprimum educam: ibo in aciem, ibo primus, vt vobis animum faciam. Certemus,quæſo,honeſtiſſimum hoc,pulcherrimúmque certamen: non modo vt patriam ab hoſtibus recipiamus, verumetiam vt in ea recipienda qui maxime Camillum imitabitur, quis appareat. Difficillimum quidem præſtare, quod ille præſtitit, omnium imperatorum mea ſententia maximus, ritéque ſecundus à Romulo conditor vrbis appellatus. Ideóque plures, pro ſe quiſque in hanc rem elaboremus, vt ſaltem multi faciamus, quod vnus effecit. Is tamen iure, veréque Camillus dici exiſtimaríque debebit, qui optimã in hac re operam nauauerit. De me tantum affirmare poſſum, non quòd ſperarem tantæ me rei ſatiſfacturum, difficillimam ſumpſiſſe laboris partem, duriſſimámque prouinciam, ſed vt redderem alios ad cætera proſequenda alacriores. Hi enim libri nihil ferè quod ab aliis authoribus (iis duntaxat qui extant) traditum eſt,continebunt. Atque hinc principium noſtrum auſpicemur.

Sex nomina declinationis primæ in frequentissimo classicorum vsu, datiuum & ablatiuum plurales in abus mittunt,quæ continentur hoc versu:Filia,gnata,deæ,liberta,equa,mula,duæ,ambæ.Reliqua nūc melius in IS declinentur, quia ita Latinæ linguæ antesignanis scriptoribus placitum est: ante quem consensum,veteres dextrabus & eabus protulerunt, & contra quem recentiores vulgo animabus,famulabus,& dominabus pronūtiāt:quos,præterquā in sacris receptis,quæ mutari nō debent,non imitabimur.Quidam etiam classici,asinabus & seruabus vsi sunt: nam Digest.de fun.instru.l.prædia.§.affini suo,Relictis conseruabus dicitur: sicut & asinabus apud eosdē iureconsul.legitur.Hieronymus tamē,1.Reg.cap.10, Inuētæ sunt, inquit,asinæ.Et mox de iisdem, Intermissis pater tuus asinis. Et ediuerso Plautus in Sticho dè filiabus loquens, Gratulabor aduentum tuum filiis.Et Ouidius de filiabus Annii Metamor.13,

Effugiunt quo quæque potest: Eubœa duabus,
Et totidem natis Andros fraterna petita est.

Quam rem quidam sic discernunt, vt gnata substantiuum,gnatabus faciat:nata licet pro filia capiatur, quia adiectiuum est,natis,sicut amica & socia:& de lupa,camela,vrsa, & similibus, dicam olim fuisse communia sub us,ideo non facere discrimen in dictis casibus.Sed quid dicēt de cerua,catula,priuigna,& cæteris? Etsi idem censeant, cur non etiam de equa, & mula? Verior est ergo ratio classicorum consensus nobis summopere obseruandus.

DE NOMINIBVS QVORVM ABLATIVI PLVRAles exeunt in abus. CAP. I.

DEVS dea deabus dicimus,diuus diua diuabus non dicimus. Item in quibusdam aliis,vt filius filia filiabus,nō priuignus priuigna priuignabus: natus nata natabus,nō genitus genita genitabus:equus equa equabus, mulus mula mulabus, non asinus asina asinabus,nec iuuencus iuuenca iuuencabus,nec cætera similia:non ceruus cerua ceruabus,non lupus lupa lupabus.Item vt dicimus libertus liberta libertabus, ita non dicimus libertinus libertina libertinabus, non patronus patrona patronabus, non concubinus concubina concubinabus,non pedissequus pedissequa pedissequabus, non seruus serua seruabus, nō famulus famula famulabus,non dominus domina dominabus, nō animus anima animabus. Tametsi quidam his posterioribus vtuntur.Cicero tamen ad vxorem & filiam scribens,duabus animis suis dixit,non animabus.Et Curtius de matre & vxore Darii,dominis non dominabus dixit.Quòd siqui per licentiam aliter loquuntur,non est mirandum,quū quidam veteres dixerint dextrabus pro dextris,& eabus pro eis. Sed ego de vsu loquendi disputo,non de abusu.

EPITOME.

Verbalia in io deducta à supinis primæ,quæ nunc exeunt in itum aut ctum,formantur ferè in atio,quasi à supinis in atum.vt à sono,sonatio:quasi à sonatu.vnde Horatius dixit,Magna sonaturus.Sic à veto,vetatio:quia legitur vetaui & veta-

tum:& à præsto,præstatio: nam & præstaturus & constaturus leguntur. A seco tamen frequentius dicitur sectio quàm secatio:& Celso à frico fricatio frequentius dicitur. Alia sequuntur supinũ, vt lotio,potio: à iuuo tamen licet dicatur iutor & adiutor,nõ tamẽ dicitur iutio,sed iuuatio. Verbalia tamẽ in itus,& participia in atur.

De verbalibus exeuntibus in atio. CAP. II.

NOmina quæ veniunt à verbis primæ coniugationis,positionem supini habẽtibus in itum,vel in ctum,præter cæterorum verborum legem exeunt in atio, & non in itio, vel in ctio:vt Veto vetui vetitum,inde vetatio,non vetitio: Præsto præstiti præstitum præstatio,non præstitio: Cubo cubui cubitum cubatio,non cubitio:Domo domitum domatio,nõ domitio:Sono sonitum sonatio,non sonitio: Crepo crepitum crepatio,non crepitio:Tono tonitum tonatio,non tonitio: licet dicamus sonitus,crepitus,tonitus: non sonatus,crepatus,tonatus: Frico frictum fricatio, nõ frictio,& ita in cæteris. Sectio tamen crebrius reperitur quàm secatio.Horũ participia dissimilia sunt. Nam ea quæ sunt præteriti temporis,exeunt in itus: quæ verò futuri, in aturus. vetitus vetaturus, præstitus præstaturus. vnde Lucanus,Constatura fides superûm.Domitus domaturus,& ita in cæteris.Lauo & poto non habent supina,neque in atum,neq; in itum,neq; in ctum,sed in otũ: ideóque formant nomina sua lotio & potio. inde sunt lotor & potor verbalia nomina, & lotium pro vrina,prima tamen breui,non longa.Aliquando reperitur lauatum & potatũ: inde sunt lauatio & potatio,lauatórq; & potator. Iuuo,iuui,iutum,nec in hunc,nec in illum modum format suum deriuatiuũ. Cæterum ex alio supino iuuatum facit iuuatio : ab illo fit iutor, seu potius adiutor. Ex cæteris autem pauca sunt nomina verbalia in or,vt Domitor,non domator:& Sector,qui significat eum accusatorẽ,qui ex damnatione accusati dimidiũ bonorũ expectat illius, aut certe aliquã partẽ.

EPITOME.

Ludicrus,a,um:aut ludicer,a,um,per secundam:non ludicer,seu ludicris,aut ludicre per tertiam dicitur. vnde artem ludicram,& ludicrum substantiuum legimus: & in plurali ludicra,per regulam secundæ,non contra regulam tertiæ.

De hoc nomine Ludicrum. CAP. III.

LVdicra(inquit Priscianus)& non ludicria,ab hoc luducri dicimus.Virg.in 12, -neq; enim leuia,aut ludicra petũtur Præmia.Per quod vult ludicra tertiæ declinatiõis,quũ cõtrà notũ sit secũdæ esse.vt in lege illa freqũẽter repetita, Qui artem ludicram exercuerit, in quatuordecim ordinibus primis ne sedeat.Ars ludicra,est ars histrionica & scenica,&(vt sentio) quicquid nomine ludicri intelligitur. Nam ludicrũ, quod est substantiuũ,nõ modo ludus histrionicus est & scenicus, sed quod-

cunque luſorium opus ac ioculare, etiam ludi publici.

EPITOME.

Ficus tria ſignificat, arborem, fructum eius, & morbum fructui ſimilem: vnde & mariſca, id eſt ficus ſylueſtris dicitur. Iuue. Scinduntur tumidæ, medico ridente, mariſcæ. Dicũtur hæmorrhoides Græcis. Sane pro arbore ſemper eſt fœminini generis: pro morbo maſculini, ſaltẽ frequentius: pro fructu, & maſculini generis vt morbus, & fœminini vt arbor. Item pro arbore eſt quartæ declinationis: ſed & ſecundæ vt fructus: & pro fructu eſt quartæ declinationis vt arbor, vel ſecundæ vt morbus. Pro morbo ſunt qui etiam quartæ declinationis eſſe putant legentes ſic apud Martialem & Cæcilianum, vt Priſcianus recitat: quod ſi eſt, neceſſe vt dicatur tunc fœminini generis, quia pro nullo ſignificato, quartæ eſt & maſculini generis, vt Valla aſſerit. Pro fructu maſculinum & ſecundæ legitur apud Plinium lib. 16, Fici mirabiles ſunt & abortiui, qui nunquam matureſcunt. Et apud Macrobium, Groſſi, appellantur fici qui non matureſcunt. Fœmininum & ſecundæ Varro, In ea fico quam edimus. Pro fœminino & fructu, quartæ. Iuue. Si vis aliam decerpere ficũ. Cætera exẽpla in litera ſunt. A ficu fit ficulnus, & inde ficulneus, a, um: ſicut ab ebore, eburnus, & inde eburneus. Ab ilice, ilignus, & inde iligneus. Vnde folia ficulnea legas, & arborem ficulneam: melius tamen arborem ficum dicas quàm ficulneam, ſicut quercum, quàm quernam. Vbi in fine capitis legitur, Quũ hoc ab illo dicatur: ſic lego, Quũ ille, ſcilicet morbus: dicatur ab hoc, ſcilicet fructu.

De hoc nomine Ficus. CAP. IIII.

Ficus (idem inquit) etiam vitium corporis, quartæ eſt. Martialis quinto epigrammaton,

Quum dixi ficus, rides quaſi barbara verba,
Et dici ficos Cæciliane iubes.
Dicemus ficus, quas ſcimus in arbore naſci:
Dicemus ficus Cæciliane tuos.

Ex quo oſtẽdit & vitium, & fructum quartæ eſſe declinationis, genere autem differre. Ego verò reperio ancipitem apud Martialem ſcripturam, & frequentius ſic, vt & ipſe puto ſcribendũ,

Quum dixi ficos, rides quaſi barbara verba,
Et dici ficus Cæciliane iubes.
Dicemus ficus, quas ſcimus in arbore naſci:
Dicemus ficos Cæciliane tuos.

Ante omnia cur ille riſiſſet Martialẽ, quòd diceret ficus? An nõ reperitur ficus, ſaltẽ pro arbore, atq; etiã pro fructu in numero ſingulari? Nõ hoc ergo ille ridebat. Quid ergo? quòd genere ab uteretur? ne hoc quidẽ. Quippe cũ dico ficus, quo genere vtar, nemo intelligit. Certè ridebat, quòd alia declinatione vteretur, quàm ea, qua debebat, vt ex ſecũdo verſu, in quo mutata eſt declinatio, apparet. Quòd ſi igitur Cæcilianus de declinatione agebat, non de genere, debuerat Martialis ad declinationem, non ad genus reſpondere, vt eſt putandũ, atque adeò neceſſe eſt eum reſpondiſſe. Siquidem (vt oſtendi) ille reprehenderat, quòd hic ficos diceret, non ficus. Quæ reprehenſio ſi vera eſt, vt Priſciano

videtur, qui vult ficus magis esse quartæ, quæ tandem modestia poetæ fuisset, eum qui recte admoneat, tam execrabili, etiã vero crimine incessere? Ergo coniunxit accusationem imperitiæ cũ accusatione flagitii per iocum & dicacitatẽ, vt moris sui est: quòd ille adeò stolidus nõ solum nequam esset, vt negaret ficos reperiri, quos secum semper, & quidẽ cum dolore gestaret. quod minime mirum est reperiri, cum pro fructu, ad cuius similitudinem morbus appellatus est, in secũda declinatione, & (vt opinor) in genere masculino nõ modo apud poetas, sed apud oratores quoq; probatissimos reperiatur. vt Horatius,

2. Serm. Saty. 8. Pinguibus & ficis pastum iecur anseris albi.

Et Plinius ad Octauium Ruffum, Quæ nunc cum ficis & boletis certamen nondum habent. Et Cicero de Senectute, Ex tãtulo grano fici. Quidam grammaticorum recentium, id est imperitorum, aiunt, pro fructu quartæ, pro arbore secundæ esse declinationis: quum pro arbore sit sæpius quartæ, vt idem de Oratore, Vxorem suam suspendisse se de ficu. Secundæ autem, vt apud Iuuenalem, -ad quæ

Satyra 10. Discutienda valent sterilis mala robora fici.

Macrobius & ipse in secunda declinatione semper ferè vtitur, & plurimos veterum ostendit vsos. Priscianus verò vult pro fructu & morbo quartæ esse, & hoc authoritate Martialis. Neque ego inficior, vltimum illum versum posse sic legi, vt recitat Priscianus. Sed id ioco magis, quàm serio à poeta accipimus esse dictũ. Neq; enim seipsum, quòd ficos dixisset, sed illius & nequitiam, & imperitiam reprehendere voluit, non ignorans ficos & Latinè & vsitatè dici. Nec verò Prisciano faciendum fuit, vt vnum Martialem sequeretur, imò Cæcilianum nescio quem, vt flagitiosum hominem, sic ineruditum, in eo præsertim loco, vbi iocabatur poeta: nec suã sententiam aperiebat, & tacitè negabat, quod affirmare videbatur. Nam nequaquam dixisset ficus quartæ esse declinationis, & generis masculini, quod inauditum est: nec differentiam posuisset generis inter morbum & fructum, quum hoc ab illo dicatur. Quidam ecclesiastici aiunt pro arbore, ficulnea, vt ibi, Respicite ficulneam, & cæteras arbores. quod nusquã alibi (si memoria nõ excidit) mihi repertũ est. Sed adiectiuum ficulnus, a, um, pro materiato ex illa arbore, vt à populus populnus, & à corylus colurnus, & ab abies abiegnus, ab ilice ilignus dicitur.

EPITOME.

Diminutiua vt vera sint, necesse est significationem seruent, & ferè genus ac formationem. Significatio quæ necessariò seruatur, est vt cum significato primigenii notet eiusdem diminutionem: vt corculum, paruum cor. Inuenta autem sunt

rei significandæ gratia:vt reguli,minores reges sub magno regno,vt Pares in Francia:non enim tales reguli dicuntur reges:sic virguncula, adhuc pusilla. Vsurpamus ea modestiæ gratia,vt ingeniolum meum.aut blandiendi,vt corculum,suauiolum, animula mea.aut vituperandi,vt homuncio,fraterculus gigantum, rhetorculus &c. Ideo autem blandimur,quia res paruæ plausibiliores sunt quàm vltra magnũ. Vnde Maro immania dixit cete,quòd wehementer magna,& ideo terrorem incutientia quasi mala. Quæ per similitudinem & translationem dicuntur, vtranque, licet non plenè,seruant significationem:vt regulus auis,& basiliscus serpens,nó cognomentum M.Attilii. Quæ igitur diminutionem primigenii non connotant,diminutiua nõ sunt,licet formationem aut similem,aut ferè similem habeant:vt annulus, dum non est paruus annus,sed circulus in digito:musculus,dũ non est paruus mus. Capitur enim varie: primo,pro paruo mure, & sic est diminutiuum apud Plinium, Deturgente Nilo musculi reperiuntur. Secundo,pro articulo in quo neruorum capita sunt. Tertio,pro machina bellica. Quarto,pro pisciculo quo duce balæna vtitur:& sic diminutiuum non est. Similiter cuniculus, paruus cuneus, diminutiuum est.animal de genere leporum,non est. Anniculus, quod est vnius anni, siue magnum,siue paruum,diminutiuum non est, quia citra diminutionem dicitur vinum anniculum. Bimulus autẽ,& trimulus diminutiua sunt, quia habent nomina quibus dicantur citra diminutionem,bimus,trimus,quadrimus, id est duorum,triũ,aut quatuor annorum:quæ res cum in ea ætate adhuc sunt paruæ,dicũtur bimulæ &c. Sunt & alia adiectiua non diminutiua ob defectum significationis, vt vernilis, vernaculus,ridiculus. Et plurima substantiua,vt auunculus,quod etiam non ritè formatur,& est frater matris.nam auulus ab auo diminutiuum est. Pediculus vermis,cuculus auis,cicercula, nouacula,acicula,lenticula:auricula, dum non est parua auris, sed cartilago extra aurem. Mentula,membrum virile: fidicula,anguilla,& similia. Item neutra,cubiculum,tabernaculum,vmbraculum,curriculum, vehiculum,&c. Quibus addantur in aster, astra,astrum,quæ non diminutionem,sed imitationem connotant. Quæ genus non seruant, & significationem seruant, pauca sunt apud Latinos,quæ tamen diminutiua sunt,vt ranũculus à rana : bacillum à voce baculus,sed & baculum legitur in nominatiuo. Puluisculus aut puluisculum,à puluis, à quo fieret puluiculus aut puluerculus à puluer. Conuenticulum à conuentu. Amiculum ab amictu,quod fortè diminutiuum non est, sed speciale genus vestis. Curriculum à currus & cursus. Dixi pauca apud Latinos esse, ideo quòd formaturi diminutiua respiciemus ad primigeniorũ genus:vt quia dicitur hic piscis, fit pisciculus : hæc auis, auicula:hoc vas,vasculum:nisi fiat adiectiua omnis generis ab vna voce magis apta aut aptissima,vt à plus,plusculus,la,lũ.à maius,maiusculus,la,lum. Terentius,Thais maiuscula me est. Græca autem sæpe à fœmininis neutra sunt,quia in on exeũt. Vt epistolion ab epistola,elegidion ab elegia : sicut etiam formantur mulierũ propria diminutiua,sed genus seruant, vt Glycerion, licet etiam nobis in um exeunt. Gallis,vt hoc addam,sunt diminutiua mulierum etiam in on,vt Marion,Iehanneton. Formatio autem non est catholica,quia ab vno varia varie fiunt:& ab vno diminutiuo fit sæpe alterum,vt à parum fit paulum,& inde paululum,& inde pauxillum. Ab homo fit homuncio,homulus,& homululus,&c. De horum formatione diligenter tractat Priscianus:ex quo olim collegi hanc regulam de exeuntibus in ulus aut olus, Omnia nomina primæ aut secundæ declinationis mutant vltimam genitiui in ulus:nisi exeant in ius,ia,ium:aut eus,ea,eum : quia tunc mutant eam in olus.& nisi exeant in er,ra,rum,quia tunc faciunt ellus, ella, ellum. Exempla sunt, Anima animula,forma formula,vir virulus,paruus paruulus, ramus ramulus & ramusculus,Sergius sergiolus,vrceus vrceolus,puer puellus,& ab ãtiquo puerus puerulus,libra libella,cerebrum cerebellum. In nus,na,num,etiam varie formant, vt à columna fit columella,non colũnella:sicut à fenestra fenestella : ab vnus fit vllus,

Formatio dimin. in ulus & olus.

à bonus bellus,à vinum villũ. A palus fit paxillus,& à mala maxilla, & ab ala axilla,vt mox dicam. In culus,la,lum,fiunt à nominatiuo tertiæ in er,or,us: & monosyllabis præsertim in as,os,us,addendo culus,la, lum, vt fraterculus, paterculus, pauperculus,la,lum.soror sororcula,vxor vxorcula. lepus lepusculus, rus rusculũ, maius(vt dixi)maiusculus,la,lum, cor corculum, vas vasculum, flos flosculus. A nominatiuo in o mutant ferè o in unculus,la.vt sermo sermũculus,leo leunculus, virgo virguncula. Homo tamen homuncio, homulus & homunculus facit. In is fiunt iculus,& icula aut iculum, vt pisciculus,auicula,molliculus,la,lum. In e,rete facit reticulum.Sed à sus fit sucula:à lapis lapillus,& vetus vetulus. In ns polysyllaba sic formant,serpens serpentulus, adolescens adolescentulus. Monosyllaba in iculus,mons monticulus,fons fonticulus. In x,sic, fornax fornacula, fæx fæcula, calix caliculus,ferox feroculus,nux nucula,&c. Item caput capitulum. In quarta varie fiunt,domus domuncula, cornu corniculum, currus curriculum. In quinta sic,res recula,plæbes plæbecula. Meminerimus autem in omnium deductitiorũ formatione abstinendũ ab licentia fingendi quæ apud idoneos nõ legerimus: sed qui Latine locuti sunt,has ferè formas seruauerunt quas tradidimus. Sanè quod adiectum est,Et penultima longa cuculus, Non est authoris,quia hîc nõ docet syllabas, nec quicquam ad rem facit, imo contra rem : quia diminutiua penultimam corripiunt:sicut & cuculus auis.Martialis,Quanuis per multos cuculus cantauerit annos. cum κόκκυξ Græcis primam producat, sed adiectum est : quia cuculus,est vestis nautica,vinitorum & monachorum indumentum.

In ellus,la,lum diminutiua,veniunt à nominibus secundæ in er,ra,rum,desinentibus,& nonnunquam nominibus in lus,la,lum & nus: vnde etiam nascuntur diminutiua in xillus,la,lum:vt liber libellus,libra libella,labrum labellum, bonus bellus, ala axilla,mala maxilla, talus taxillus. De quo vsu dicit Cicero in Oratore ad Brutũ, Quinetiam verba sæpe contrahuntur,non vsus causa,sed auriũ.Quomodo enim vester Axilla ala factus est, nisi fuga literæ vastioris? Quibus innuit olim diminutiua fuisse in vsu,sed desiisse esse propter vastitatem literæ x:quod non intelligentes putauerunt Ciceronem ab axilla censere deduci alam,quod ridiculũ est. A mala etiam fit malula. Catullus, Mœsta neque assiduo tabescere malula fletu Cessaret,&c.

In aster finita,imitationem potius quàm diminutionem connotant, præter duo quæ sunt,recaluaster & surdaster. Verum imitatio à perfectione cadit,vnde per cõtemptum dici solent,parasitaster, poetaster, philosophaster: sicut à Gallis plurima, vt gentilaster,&c. Quidá legunt appellare Antoniaster,Luciaster,&c. vt in Euangelio,Vocatis me magister & domine: malin tamẽ legere Antoniastrũ,Luciastrũ,&c.

De nominibus diminutiuis. CAP. V.

NOmina diminutiua exeuntia in talem vocem, qualis est pisciculus,si rite formentur,vera sunt diminutiua: vt Pisciculus,Vermiculus,Passerculus, Fraterculus, Securicula,Lucubratiuncula,Virguncula,Sororcula,Munusculum,Corpusculum,Tempusculum,Plusculum. Sin minus rite formentur,diminutiua nõ sunt.Auũculus,Cuniculus:Musculus,quando non est paruus mus:Pediculus,vel (vt alii volunt) pedunculus:& penultima longa Cuculus.Cicercula,nomen leguminis. Nouacula,culter rasorius.Lenticula, vasculi genus:alia masculina,aut fœminina non occurrunt.Seruius tamen super Donatum ait,Acus acicula.Acus enim dicitur,qua vestes sarciuntur. Acicula, qua mulieres vtũtur ad ornamẽtum capitis. Adiectiua

Nouacula. Lenticula. Acus. Acicula.

tria, Anniculus, Ridiculus, Vernaculus: anniculus puer, annicula puella, anniculũ iumentũ, hoc est vnius anni: sicut Bimus, a, um, id est duorum annorum. Trimus trima trimum, id est trium annorum. Quadrimus quadrima quadrimum, id est quatuor annorum, & non amplius. nec de animalibus modo, sed de inanimatis, vt anniculum vinum, bimum oleum. De pueris tamen magis loquimur per diminutionem, bimulus, trimulus, quadrimulus, quia intra hos annos adhuc parui sunt. Similiter de his, in quibus hæc ratio habet locum, vt anniculus equus, bimus aries, trimus porcus, quadrimum vinum, bimulus puer, trimula puella. Dissimiliter in quibus hæc ratio locum non habet. Ridiculus homo, ridicula res, ridiculũ caput, id est deridendum. Est etiam sæpe neutrum, significátque plerunque sermonem risus potius, quàm derisus excitantem. Vernaculus, vernacula, vernaculum, quod est domi nostræ, vel in nostra patria natum: vt Lingua vernacula, quod vulgò dicunt, lingua materna. dictum est à Verna, qui est seruus domi nostræ natus, id est ex nostra ancilla. Præterea neutra multa sunt, vt Vmbraculũ, Tabernaculum, Spectaculum, Habitaculum, Cœnaculum, Crepusculum, Germiculum pro germine, Crepitaculũ, Vinculũ. Amiculum, pro amictus genere quodã ferè pallio. Curriculũ pro cursu, & pro loco, in quo certamẽ currendi exercetur: nonnũquam etiam pro curru. vt Curtius lib. 8, Aliorũ turbati equi non in vo ragines modo, lacunásq;, sed etiam in amnẽ præcipitauere curricula. Cubiculũ quod certe à cubili nõ venit, quũ intra cubiculum cubile sit, & eius diminutiuũ foret cubiliculũ. Puluis & significatione & formatione legitima diminutiuũ facit, sed genus mutat apud Hieronymũ, vt vile puluisculũ. masculine tamẽ posuit Apuleius in quodam suo carmine, de quo meminit in apologia de magia, Misi (vt petisti) mũditias dentium, Nitellas oris, ex arabicis frugibus Tenuem, candificum, nobilem puluisculũ, Complanatorem tumidulæ gingiuulæ, Conuerritorem pridianæ reliquiæ, Ne qua visatur tetra labes sordium, Restrictis fortè si labellis riseris. Conuentus quoque facit cõuenticulum. Cicero pro Sextio, Tum conuenticula hominũ, quæ ciuitates nominarunt. Baculus non terminat diminutiuum in hac voce, quia sua talis est, tamen neutrum habet Bacillũ. Cicero secũdo de Finibus, Bacillum aliud inflexum, aliud ita natum. Reperitur tamẽ primitiuum & in neutro. vt apud Ouidium lib. 15, Esse solet, baculúmq; tenẽs agreste sinistra. Ne Terebra quidem huius vocis est, tamen gignit diminutiuũ terebellũ, non terebella.

Bimus. Trimus. Quadrimus Ridiculus. Vernaculus. Verna. Amiculum. Curriculum. Cubiculum. Puluisculum. Cõuenticulũ. Bacillum. Terebellum.

Auricula. Auricula verò rite formatur, sed significatione dissentit: nãque cartilago illa est circum aurium concauitatem, non autẽ parua auris. Mentula. Mentula quoque, quæ nõ paruam mentem significat, sed virilia. Fidicula. Fidicula pro instrumento torquẽdi, quod an rite formetur, nunc videamus. Nam fidis, inquit Priscianus, facit fidicula. Nam si esset fides in hac significatione, quo modo Seruio placet, non fidicula fecisset, sed fidecula. Auidius Seruiũ Priscianus carpsit, vtpote vnam rem non vno in loco reprehendens. Cæterum ipse fallitur, non Seruius. Nam nec fidis (quemadmodum Fides. veterum authoritas tradit) sed fides dicitur. & si fides dicatur, fidiculã potius quàm fideculam analogia exigit. De authoritate satisfecerit Festus Pompeius, ita scribens, Fides, genus citharæ, dicta quòd tantum inter se chordæ eius, quantum inter homines fides concordent. Analogiæ quoque ratio fidicula exigit à fides, sicut ædicula ab ædes, sedicula à sedes, cædicula à cædes: non ædecula, sedecula, cædecula: sicut apes (de quo solo nomine facit ille mentionem) apicula facit, non apecula. Et siquando apis in nominatiuo reperiatur, vt ille ait (veluti apud Ouidium in 13, Non apis inde tulit collectos sedula flores:) hoc perquam rarũ est, & analogia apes potius quàm apis defendit, quia à pede cõpositum ac deriuatum putatur. Denique fidis in nominatiuo inauditũ est. ergo fides dicendum est, cuius diminutiuum fidicula, id est parua cithara vel chordula: in plurali tortorium (vt dixi) instrumentum, ex duobus (vt reor) & obliquatis lignis compactum: vel ab extorquenda fide ac veritate, vel à nerueis funibus vinculisque, quibus ad illum modũ homines torquẽdi alligabantur.

AD hunc locum pertinet quod nunc subiiciemus: Nomina tertiæ declinationis exeuntia in er, siue masculina, siue fœminina, siue communia, huiusmodi vocem diminutiuorum sortiri. vt pater paterculus, frater fraterculus, mater matercula. cuius quasi similis soror facit sororcula. cicercula à cicer tanquam à fœminino, pauper pauperculus, paupercula. Quæ sunt secundæ declinationis tam adiectiua quàm substantiua, faciunt diminutiua in ellus masculina, in ella fœminina, in ellum neutra. Culter cultellus. Liber libellus. Puer puellus. Tener tenera tenerum, tenellus tenella tenellum. Miser misera miserum, misellus misella misellum. Sacer sacra sacrum, sacellus sacella sacellum. vnde hoc sacellum pro tẽplo modico. Hinc factum est vt fœminina quoque substantiuorum eodem modo quo adiectiuorum facerent diminutiua. Caper, capra, capella. Puer, puera, pu-

ella. Liber, libra, libella: licet multo aliud libra, quàm liber significet. Hæc diminutiua in ellus & ella exeunt. Sunt quædam in illus, illa. Inter ea autem priora Priſcianus ponit Ala, vúltque facere diminutiuum aſcella: Cicero tamẽ inter poſteriora. duo enim maſculina, totidémque fœminina donat hoc genere terminationis: Palus, paxillus: Talus, taxillus: Mala, maxilla: Ala, axilla. Sunt tamen alia in hanc vocem exeuntia. In Oratore ad Brutum.

ILLA quoque diminutiua, quæ finiunt in aſter, imitationem potius quàm diminutionem ſignificant. neque enim ea ratione dicitur Oleaſter, Pinaſter, Apiaſtrũ, Mentaſtrũ, Siliquaſtrũ: quòd ſit parua olea, parua pinus, paruũ apiũ, parua menta, parua ſiliqua: ſed quòd ſyluestria, oleã, pinũ, apiũ, mentam, ſiliquã imitantia: & quo quidã vtuntur, Filiaſter pro priuigno, non paruus filius eſt, ſed imitans filiũ. & Paraſitaſter, non paruus paraſitus. Aliter enim nõ diceretur à comico, paraſitaſter paruulus, ſed imitator paraſitorũ. vt apud M. Tulliũ pro Vareno, Erucius hic noſter Antoniaſter eſt. Et ad Atticũ lib. 12, Omnino ſolet eſſe Fuluiaſter. id eſt Antonii Fuluiiq; imitator. Et hinc Auguſtinus appellat philoſophaſtrũ, nõ (vt puto) paruũ philoſophũ, ſed imitatorem philoſophorũ: niſi dicas imitationẽ eſſe diminutionem quandam perfectionis. Tamen aliud eſt eſſe diminutiua, aliud imitatiua. Nec quiſpiam dixerit, oleaſtrũ eſſe minutã oleam, & pinaſtrũ eſſe minutã pinũ, quã Plinius ait eſſe miræ altitudinis: & vt quidã nũc ſolent puſillos homines appellare Antoniaſter, Luciaſter, Paulaſter, ſecuti Priſcianũ, qui præter ſuperiora, hæc addit eſſe huiuſmodi diminutiua adulationis, & maxime puerorũ, vt Catullaſter, Antoniaſter, Patritiolus, Sergiolus. Sed hæc poſteriora ſunt verè diminutiua, illa (vt oſtendi) nõ vera, ideóq; nec adulationis: quanquã omnia diminutiua (nõ minus quàm hæc in olus) ſunt apta adulationi, & ſæpe etiã contemptui, vt homunculus, homulus, argutulus. ſed ad rẽ reuertamur. Pullaſtra apud Varronem, quæ eſt parua adoleſcénſque gallina, quod nec ipſum diminutionem ſignificat. Nam maiuſcula potius pulla, quàm minuſcula eſt, etiam ſi minor gallina eſt. nec gallinaſtra dicitur, ſed pullaſtra. Duo tamen nomina ſunt, quæ diminutionis regulã ſeruant, Surdaſter & Recaluaſter. quorũ alterũ ſignificat diminutionem ſurditatis. Non eſt plane ſurdus ſurdaſter, ſed (vt ſic dicam) ſurdulus: & Recaluaſter, qui fronte caluus eſt, non toto capite, quaſi recaluatulus, quod eſt diminutiuũ. in quẽ modum nequeunt reſolui nomina illa, de quibus ſuprà diſputauimus. Ex his autem quæ retuli exemplis, liquet nõ modo in

Filiaſter. Paraſitaſter. Pullaſtra. Surdaſter. Recaluaſter.

aster finiri hæc nomina, sed etiam in astra fœminini generis, vt pullastra, filiastra apud quosdam pro priuigna. siliquastra pro piperite, quòd non video quid ex siliqua imitetur. & astrum neutri, vt apiastrum, siliquastrum à siliqua arbore ferente fructum sui nominis, quod Græci κεράτιον vocãt. Significat etiam siliqua folliculum, vbi grana leguminum includuntur, & siquid leguminibus est simile. feréque hæc nomina arborum, herbarúmq; diuersum genus habent in primitiuis, à diminutiuis vel deriuatiuis.

Siliqua.
Siliquastrum.

EPITOME.

In arium exeuntia substantiua, ferè rerum significatarum per nomina vnde formantur repositoria, aut earundem copiam significant: nonnunquam tamen & res ipsas. In arius autem & aria, officia hominum qualitatémq; significant: & si à verbis deducuntur, actionem & possessionem: pauca tamen obligationem & quandam quasi passionem connotant. In orius, verè opificem: & in orium, officinam seu locum in quo quid fit. In etum verò, in quo res densæ nascuntur, aut copiam earum. Quia verò locus & locatũ inuicem alterum pro altero vsurpari solet, videtur à Plinio lib. 17. cap. 14, plantarium pro loco acceptum, cum dicit, Quædam in plantario insita, eodem die transferuntur. Et ideo Seruius illud Georg. 3, Imparibus ductos alta ad donaria currus, dicit, Donaria propriè loca sunt in quibus dona reponuntur deorum: abusiuè autem templa. Verum quia dum currus ducuntur ad donaria quæ sunt in templis, etiam ad templa ducuntur, non potest ex illo loco conuinci donaria pro templis accipi. Nolim tamen pertinaciter pro Valla contendere, quin si æraria sunt vbi æra reponuntur, donaria non possint dici vbi reponuntur dona. Macrobius tamen pro donis accipit lib. 3. Satur. dicens, Ornamenta verò sunt, clypei, coronæ, & huiusmodi donaria. Et Gel. lib. 1. cap. 10, Vbi reponi solet signa vetera, quæ ex eo templo collapsa essent, & alia quædam religiose donariis consecrata. Pomœrium dicitur quasi postmœnium. Pomarium autem, non pomœrium, est locus pomis cõsitus. Sicut autem depositarius & fideicommissarius quasi obligationem & passionem connotant: ita videtur quibusdam is qui vulgò confessor dicitur, posse dici confessarius, cum nequaquam dicẽdus sit confessor, sed is quem audit potius. ab aliis autem Ab auriculis potius dicitur, vel Ab auribus: sicut qui vulgò secretarius dicitur, lepidius A secretis dicatur. Ea enim quibus à cum ablatiuo sic apponitur, significãtur gerere officiũ cuius vsus est in rebus à præpositione sequẽtibus: vt Puer à caliculis seu poculis est, cuius officium est ministrare caliculos seu pocula: & ideo ab illis denominationem sumit, sicut A pedibus, A manibus, Ab auribus, &c. Sicut autem dicimus senticetum non sentetum, ita econtrariò dicimus caretum, non caricetum: salictum, non salicetum.

De nominibus exeuntibus in arius, vel arium. CAP. VI.

Tabularium. Sacrarium. AErarium. Armarium. Armamẽtariũ Atramẽtariũ.

TAbularium, locus vbi tabulæ, id est instrumẽta, & literæ reponuntur. Sacrarium, repositorium sacrorum. AErarium, repositorium æris, id est nummorum similiúmque rerum pretiosarum, atq; opũ. Armarium, vbi reponũtur libri, cæteráq; huiusmodi. Armamentariũ, vbi reponuntur armamenta & arma. Atramentariũ, vasculum quod continet atramentũ. Cala-

mariū quidam vſurpant pro theca calamaria, vbi calami reconduntur. ſed quia hoc tēpore plerique penna ſcribunt, poteſt etiā dici pennariū, niſi malumus appellare thecam pennariam, thecā calamariam, & thecam graphiariam. Penariū, vbi reponitur penus, hoc eſt edulia & ad victū pertinentia. Viuarium, vbi continentur vel aues, vel piſces, vel feræ, quæ duntaxat ad victum ſpectant. Pomariū, locus pomorū reponendorū, vel locus conſitus pomis. vt Ouidius, Id metuens, ſolidis pomaria clauſerat Atlas Mœnibus. Quidam hoc pomerium vocant. Titus autem Liuius pomeriū ait eſſe locū ad muros intra & extra, vbi ædificare non licet, quaſi poſt mœnia, vt dicimus Pomeridianum, pro eo quod eſt poſtmeridianū. vnde Lucanus, Longa per extremos pomeria iungere fines. Pomarium igitur, aut locus frequens arboribus pomi, ſiue fructuū pomi repoſitoriū, aut copia ipſa arborū pomiferarū. Nam horū nominū natura eſt, ſignificare vel locū vbi illa ſunt, vel ipſarum rerum quæ in loco ſunt copiā, vt Aluearium, tametſi poteſt dici locus vbi ſunt aluei apum: tamen potius accipitur pro copia alueorum eodem in loco collocatorum, vel apum mellificantium. Et Roſarium magis copiam fruticum vno loco roſas gignentium, quàm ipſum locum vbi frutices ſunt, ſignificat, quem locum ne Roſetum quidem appellare poſſis, quum idem ſignificet quod roſarium, niſi per contentum ſignificetur continens. Plantarium, non locus plantarum, ſed ipſæ plantæ, etiamſi euulſæ, aut non cōſitæ fuerint. Nec me fallit Seruium ſeparare plantaria à plantis, dicentem, Plātæ ſunt raptæ de arboribus, Plantaria verò quæ ex ſeminibus nata cum radicibus de terra propria transferuntur. ad quod ſentiendum videtur allexiſſe eum Virgilii verſus, Et viua ſua plantaria terra. Seminarium, non locus, ſed ſemen ipſum, id eſt plantulæ. Pampinarium, non terra, vbi naſcuntur pampini, ſed congeries pampinorum, id eſt virentium ramuſculorum vitis: vel (vt ait Plinius) palmes qui è duro exit, materiámque in proximum annum promittit, pampinariū vocatur. certe in hoc palmite multi ſunt pampini. Calcearium, Veſtiariúmq;, pro calceis & veſtibus, vt Cibaria pro cibis, Fuſtuariū pro fuſtigatione. Carnarium, non locus vbi caro ſalſa ſuſpenditur, ſed caro ipſa, niſi contentum pro continente accipiatur. Donaria, non locus repoſitorius donorum, ſed ipſa dona. Licet Seruius dicat, Vbi dona oblata ſunt: ſicut lectiſternia dicuntur, vbi homines ſedere in templo conſueuerunt. Ita in cæteris adhibenda eſt in ſimiliū nominū ſignificatione accuratio. & hæc de neutris. Nā maſculina, fœ-

Calamarium. Penarium. Viuarium. Pomarium. Pomerium. Aluearium. Roſarium. Roſetum. Plantarium. Seminarium. Pampinariū. Carnarium. Donaria.

IN ARIVS. minina, & communia, officia hominum, qualitatémque significant. Caprarius, saltuarius, camparius, horrearius, classiarius: custos, exercitórve caprarum, saltus, campi, horrei, classis. Sagarius, lintearius, vestiarius: venditor sagorum, linteorũ, vestium. Proprietarius, fructuarius, vsuarius : cuius est proprietas prædii, cuius fructus, cuius vsus: quæ omnia significant actionem, possessionémq;, numero quidem incomprehensibilia. Pauca autem quæpassiuè accipiũtur, Legatarius, commodatarius, depositarius, beneficiarius, fideicõmissarius : qui legatũ, cõmodatum, depositum, beneficium, fideicõmissum accepit, & siqua sunt alia. Ex huiusmodi nominibus fiunt etiam nomina quædam rerũ, Calcaria, sulfuraria, vbi calx coquitur, & sulfur fit. Atq; hæc à nominibus ferè proficiscũtur, illa verò magis à verbis, vel à verbalibus

IN ORIVS. in or. Et sunt adiectiua in orius, oria, orium, actionem significantia, Accusatorius, petitorius, defẽsorius, fideiussorius, institutorius, exercitorius, tributorius. Nã Tributarius venit à tributum, Tributorius à tributor: sicut Depositarius à depositũ, Depositorius à depositor. Significat itaq; Tributarius, qui soluendo tributo obnoxius est: vt Stipendiarius, qui soluendo stipẽdio: & Depositarius, qui reddendo deposito: vt Munerarius, qui dat munera populo gladiatoribus in arena exhibendis. Ideóq; vas escarium dicimus & vas potorium: quia hoc à nomine verbali venit, illud non venit. Prætor, senator, holitor, lictor, non opinor descendere à verbis, sed quia vocem verbalem obtinent, sicut censor & quæstor, sic formauerunt sua denominatiua, Prætorius, senatorius, holitorius, lictorius, censorius, & quæstorius. Ho-

Holitor. litor autem, est qui hortum holerum exercet, quem nonnulli

Holus. hortulanum vocant. Est & holus, vnaquæque herba, qua vescimur. Nam sunt & horti non holerum, sed arboribus consiti, & voluptatis gratia comparati, vt horti Sallustiani, Pompeiani, Lu-

Lictor. culliani, Claudiani. Lictor, minister consulis, proconsulis, præsisidis, prætoris, qui fascem virgarũ alligatũ cũ securi portat. súntque lictores consulis duodeni, aliorũ seni. His addere possumus

Aleator. aleator, quod videtur descẽdere à verbo, quod nusquã reperitur.

IN ORIVM Non enim aleare dicimus, sed alea ludere. Neutra autẽ in o-

Deãbulatoriũ rium, locũ plerunq; significant, vbi aliquid fit: vt Deãbulatoriũ,

Dormitoriũ. locus vbi deambulamus. Dormitorium, locus vbi dormimus.

Repositoriũ. Repositoriũ, vbi reponitur aliquid. Tentoriũ, locus vbi tẽdimus

Tentorium. vela, aut siquid instar velorũ habet, vel potius ipsa vela siue vela-

Auditorium. menta cõtra iniuriã cæli. Auditoriũ, locus vbi audimus præceptorẽ, aut orantẽ non in vera causa, aut opus nouũ recitantem,

aut ſiquid ſimile eſt, vel ipſa turba, atque ipſe cœtus auditorum. Tectorium, illinimentũ eſt & quaſi pauimentũ parietis, atq; incruſtatio. Amatoriũ, genus veneni amorẽ vel inſaniã ingerẽtis. Portoriũ, vectigal portus, vel fluminũ, vel lacuũ, vel ſtagnorũ. Nã & Portitor ille dicitur qui traducit homines, ac vehit nauigio, vel ad nauẽ de litore, vel de naui ad litus, vel ad vlteriorem fluminis, lacus, ſtagniue, ſeu ripam, ſeu litus, licet frequentius dicatur litus. Poteſt etiam accipi pro eo, qui portoriũ conduxit, id eſt, qui fructus pecuniarios ex portu cõduxit, & à veniẽtibus illos exigit. quæ ratio in cæteris huiuſmodi diſcernẽda eſt. Hoc etiam loco addam, quòd quũ dicamus dumetum, ſpinetum, vepretum, ſimiliáque, tamen dicimus ſenticetum, non ſentetum.

Tectorium. Amatorium. Portorium. Portitor. IN ETVM.

EPITOME.

Euentus, iuſſus, & permiſſus, ſubſtantiua in ſingulari numero quartæ declinationis, & maſculina in plurali ſecundæ, & neutra reperiuntur vſitatius. quod addo, vt multa alia duplicem habent nominatiuũ & duplex genus: nam ſicut dicitur, hic monitus, tus, tui, & hoc monitũ moniti, & multa alia quæ in heteroclitis poni ſolent, ita hic euentus: vnde pluraliter hi euentus: & hic iuſſus, & permiſſus &c. Et hoc euentum, iuſſum, & permiſſum: pluraliter hæc euenta, iuſſa, & permiſſa: vnde hoc ſolum ad elegantiam facit, quòd in ſingulari vſitatius vtaris maſculino, & in plurali neutro. Marcus tamen Cicero lib. 1. de Oratore, Vt enim (ait) quiſque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem, varióſq; euentus orationis, expectationémq; hominum pertimeſcit. Et Virg. AEneid. 6. de AEnea, -cæcóſque volutat Euentus animo ſecum. Et in ſingulari euentum. Cicero in Partitionibus, Si cuiuſque facti & euenti cauſa ponetur. Et Lucret. lib. 1, Euentũ dici poterit quodcunq; erit actum. Iuſſus autem & permiſſus etiam rarius legũtur in ſingulari, niſi in ablatiuo iuſſu & permiſſu: iuſſum verò, permiſſum etiam in aliis. A. Gellius lib. 10. cap. 10, Lex eſt generale iuſſum, &c. & Sil. lib. 6, Conſequitur iuſſo manus & muralia portat. Et lib. 9, Nec iuſſo mora &c. Sic & permiſſum dicit. Item iugerum ediuerſo in ſingulari frequentius eſt ſecundæ, & in plurali ſemper tertiæ. Reperiũtur tamen in ſingulari duo obliqui iugeris & iugere, quaſi à nominatiuo iugus qui nõ eſt in vſu, inde tamen eſt totus pluralis. Mela lib. 3, Plus iugeris ſpatio ſublimis, &c. Et Tibul. lib. 1, Vt multo innumeram iugere paſcat ouem. Poſſet iugerũ etiam dici habere in plurali nominatiuũ, accuſatiuũ, & vocatiuũ, ſed iidem ſunt in tertia. Addi poteſt vas, quod econtrario in ſingulari eſt tertiæ, & olim etiam ſecundæ hoc vaſum vaſi, quo Cato apud Gellium vtitur. In plurali tantum ſecundæ à nominatiuo vaſum vaſi, &c. Ex his autem pro elegãtia hoc habe, vbi varia eſt declinatio, vtẽdũ eſſe cõſuetiore apud doctos, vt in vocabulis exomnis, inſõnis & ſemiſõn⁹ dicetur.

De Euentu, Iuſſu, Permiſſu, Iugero. CAP. VII.

Euentus in ſingulari generis maſculini, & declinationis quartæ eſt, cuius plurali M. Tullius ſæpiſſime in neutro genere, & declinatione ſecunda vtitur. vt de Oratore, Ex aliorum factis, aut dictis, aut euentis. Idem de Diuinatione, Si euenta quærimus, quæ exquirũtur auibus. Et ad Luceium, Fabulam rerum euentorumque meorum. Et ad Atticum, Semper enim cauſæ euentorum magis mouent, quàm ipſa euenta. Quidam planè

imperiti euētū aiunt ſignificare principium: vt apud Ouidium, Exitus acta probat: careat ſucceſſibus opto,

Quiſquis ab euentu facta notanda putat. Illud enim Exitus acta probat, vox eſt accuſantium Phyllidem argumento, quod dicitur à caſu, eóſque Phyllis ipſa execratur, dicens, Careat ſucceſſibus opto, quiſquis à caſu, & non à cauſis alium laudat aut vituperat. Similia ſunt huic, iuſſu & permiſſu tuo, quorum pluralia ſunt potius ſecundæ declinationis, in ſingulari ferè nunquam. Neque enim dicere ſolemus iuſſo tuo, ſed iuſſu: non permiſſo tuo, ſed permiſſu. Horatius tamen, Vtar permiſſo, id eſt re permiſſa: non autem permiſſione: nec dixiſſet permiſſo tuo, nec iuſſibus permiſſibúſque tuis, ſed iuſſis permiſſíſque tuis: nec iuſſus permiſſuſque tuos, ſed iuſſa permiſſáque tua. Virgilius Ecloga octaua,

-accipe iuſſis

Carmina cœpta tuis. Et iterum, Ille patris iuſſa exequitur. Et alibi, Hic haud mollia iuſſa. Ediuerſo, iugerum in ſingulari ſecundæ, & in plurali tertiæ declinationis. Non autem (vt ait Priſcianus) iuger iugeris, quum omnes dicāt in ſingulari iugerum, & in plurali iugeribus. Significat autem menſuram ducentorū quadraginta pedum in longitudinem, dimidii in latitudinem: vel (vt aliqui volunt) quantum par boum vno die arat: quæ duæ ſignificationes in idem recidunt. tantum enim ferè ſolet vno die par boum arare, quantum dixi.

Iugerum.

EPITOME.

Adiectiua in tilis, ſilis, aut xilis, ſi à paſſiuis veniunt, præteriti paſſiui ſignificationē habent: ſin ab abſolutis, præſentis: quæ verò à locis, ſignificant incolas aut indigenas: vt ſaxatilis, aquatilis. Sunt tamen quæ re ita exigente præſentis paſſiui ſignificationem obtinēt, vt plicatilis criſta, quæ plicatur. Sed, vt Mancinellus adnotauit, interdum etiam quæ plicari poteſt, quæ vulgo plicabilis dicitur. In tilis enim aptitudinem notant, vt amabilis. Sic apertile, quòd aut apertum eſt, aut aperiri facile poteſt, quaſi aperibile. Donatus futilis & futile deductum vult à futili vaſe, quo in ſacrificio vtebantur: ſed & illud à futiendo, ſeu ab effundendo dictum eſt, eo quòd quum ſtare nequeat, depoſitum fundit.

De nominibus adiectiuis in tilis, ſilis, & xilis. CAP. VIII.

NOmina quæ exeunt in tilis, vel in ſilis, vel in xilis, ſimillimam ſuis participiis vnde naſcuntur, ſignificationem habent. Vas fictile, quod fictum eſt à figulo, non quod fingi poteſt. Coctiles lateres, qui cocti ſunt, & non crudi. Raſiles calathi, quaſi raſi, nihil extantis aut redundantis plenitudinis habentes. Virgilius tamen, Et torno raſſile buxum, quaſi raſibi-

le. Pensilis vua, pensiliis lectus, pensiles lychni, pensiles balneæ, pensiles horti, quòd suspensi sunt, & in aere pendentes. Flexilis ramus. flexiles vites, quòd flexæ sunt, & lapsu erratico torquentur. Tortilis ansa, quòd retorta & replicata est. Tornatile poculum, quod tornatum est, & torno factum. Textilis vestis, quæ detexta est. Sutilis balteus, sutilis cymba, quòd consuta est. Scalptile simulacrum, quod scalptum est. Altilis auis, altilis quadrupes, altilis piscis, qui sagina altus siue alitus est, atque saginatus. Structilis basis, structiles columnæ, quæ non sunt ex vno lapide, sed multis. Apertile latus, quod apertum est. vt Ouidius de Tristibus,

Lib. 3. eleg. 11.

Aspicis à dextra latus hoc adapertile tauri.

Tinctile virus, quod tinctum est, aut intinctum spiculo sagittæ, vt apud eundem & in eodem opere, Et tinctile virus. Tonsile buxetum, & tonsiles oleas legimus, quòd tonsæ sunt, & in orbem ac comam putatæ. Et hæc nomina in participium passiuum resoluuntur, quæ passiuum habent: quæ verò passiuo carent, in præsentis participiū. qualia sunt neutra, vt anima volatilis, quasi volans. & quidam volatilia volucres vocant, quia volant, vt altilia animalia, quæ aluntur. Sessiles lactucæ, quasi sedentes. quod licet à participio non veniat, tamen eiusdem naturæ est, quum in significatione consentiat, & à supino nascatur. Vmbratilis videtur conuenire cum cæteris, quasi vmbratus: vt vita vmbratilis, & res vmbratiles, id est vita vmbra & opaco marcescens: & res per inuolucra & inanitatem, qualis vmbra est, ductæ, vmbratiles appellantur. Versatilis quoque scena videtur significare, quòd versatur huc & illuc, non quòd versata est. & axis versatilis, & gladius angeli versatilis, quòd versatur. Quidam autem versilis scena & ductilis. Versilis quidem, quòd quum tota machinis quibusdam conuertebatur, aliam picturæ faciem ostenderet. Ductilis verò, quum tractis tabulis hac atque illac, species picturæ nudabatur interior. Plicatilis crista vpupæ, quòd plicatur, non quòd plicata est. Et nauis plicatilis, quæ plicatur, quum facta est ex coriis. Fissilis arbor, fissile lignum, fissile robur, tum quasi fissum cuneis, tum quia finditur, quasi fissibile. vt Plinius libro decimosexto, Hæc maxime fissilia, alia frangi celeriora, quàm findi. Idem paulo pòst, Nullisque fissile rimis hoc lignum, id est fissum. Solutilis etiam nauis dicitur (qualis nauis in qua Agrippina à Nerone filio per insidias posita, naufragium fecit) quasi solubilis, quæ facile solui posset. Ego verò malim solutilem dicere solutam, & non fideliter consutam.

Et sectile porrum legimus, non tam sectibile (quid enim nō est sectibile?) quàm sectum, & sua sponte concisum. Futilis, vanus vel inutilis, vel à futio futis, vnde effutio effutis: vel à fuo futū, vel per apocopen ab alio supino: quod ab aliis diuinari malo, quàm à me proferri. Aquatilis à nomine vel à verbo, animal in aqua degens. Saxatilis, incola saxorum. Piscis fluuiatilis, incola fluuii, non maris aliarúmve aquarum piscis. Pluuiatilis aqua, à pluo, vel magis à pluuia.

EPITOME.

In bundus verbalia, participii præsentis verborum frequentatiuorum significationem habent: eáque vsitatissima sunt, quorum participia sunt inuentu rarissima. Seruius vult similitudinem connotare, adducens illud Sallustii in Iugurtha, Ipse quasi vitabundus per saltuosa loca & tramites exercitum ductare. Vbi quia dicitur quasi, similitudinem notare putat, sed errat: quia si dixisset similis vitabundo, non probaret quod Seruius vult. Præterea nisi saperet naturam participii, non regeret accusatiuum: sed diceret Seruius etiam sapere naturam participii, si dicatur vitabundus, vitanti similis: verum in authoribus nō ponitur pro simili, sed pro assiduo vitanti.

De adiectiuis in bundus. CAP. IX.

PRiscianus libro quarto inquit, In bundus desinentia similitudinem habere significant, vt Vitabundus, similis vitanti: Prædabundus, similis prædanti: Moribūdus, similis morienti: Errabundus, similis erranti: Furibūdus, similis furēti. Et paulo pòst, Excipitur alternitatis causa Rubicundus, quod in penultima syllaba pro b, c habuit, ne sit absonum si rubibūdus dicamus. Sed videamus an Priscianus recte sentiat. neq; à me primū hæc quæstio mouetur, sed olim ab Aulo Gellio, atque ante hūc à Terentio Scauro Adriani temporibus (vt idem Aulus Gellius ait) grammatico vel nobilissimo contra Cesellium in commentario lectionum antiquarum ita scribentem, Ludibundus, errabundus, ridibundus: idem est quod ludens, errans, ridens. Quod Scaurus reprehendit, dicens Ludibundum esse, qui ludentem: errabundum ridibundúmque, qui errantem ridentémque agit ac simulat. Hoc Aulus Gellius confutat, atque ita cum Cesellio sentit, vt nō simulationem per hæc nomina, sed econtrario vehementiam intelligi velit, his quidem verbis, Sed qua ratione Scaurus adductus sit, vt Cesselliū in eo reprehenderet, non hercle reperiebamus. Nō est enim dubiū, quin hæc genere ipso duntaxat idem significent, quod ea demōstrant à quibus producuntur. Quid esset autem ludētem agere, vel imitari? Et paulo pòst, Quum reprehēsionem autem illā Scauri notaremus, in memoriam nobis rediit, quòd Sisenna in quarto historiarum

Lib. 11. cap. 15.

eiusdem figuræ verbo ita vsus est, Populabundus, inquit, agros ad oppidum peruenit. Quod scilicet significat, quum agros popularetur: non vt Scaurus in consimilibus verbis ait, quum populantem ageret, vel quum imitaretur. Poterat tamen Aul. Gellius magis proprium producere exemplum, quale apud Sallustium in Iugurthino, Ipse quasi vitabundus per saltuosa loca & tramites exercitum ductare. Si huiusmodi nomina in bundus significarent similitudinem, quid ita adderet quasi, quod similitudinem imaginémque significat? Pergit idem Aul. Gellius, dicens, Sed inquirentibus nobis quænam ratio, & origo esset huiuscemodi figuræ populabundus & errabundus, multorúmque aliorum id genus verhorũ, εὐθιβόλως hercle, Apollinaris noster sibi videri ait, particulam istam postremam, in quam verba talia exeunt, vim & copiam, & quasi abundantiam rei, cuius id verbũ esset demõstrare. vt lætabundus is dicatur, qui abunde lætus sit: & errabundus, qui longo atque abundanti errore sit. Ceteráque omnia ex ea figura ita dici ostendit, vt productio hæc & extremitas, largam & fluentem vim & copiam declararet. hæc Aulus Gellius. A quo miror cur desciuerit Priscianus, & vni Scauro potius, quàm his duobus tribúsve astipuletur. An quia grammaticus Scaurus, & Prisciano similitudine professionis coniunctus, Cesellius verò iurisconsultus, & Aul. Gellius orator, Apollinarísque philosophus? puto potius Seruium secutum, quanquam ab eo libenter dissentire solet. Ait enim ille tum alibi, tum decimo AEneidos, Moribunda, morienti similis. Quod ita esse Sallustius ostẽdit, qui ait, Quasi vitabundus per tramites & saltuosa loca exercitũ ductare. Nullum exemplum Seruius magis cõtra se proferre potuit, vt modo ostendi. Audi quam subiungit rationem, Nam Iugurtha non vitabat legatum, sed eum vitare simulabat. Ita exposuit: quasi voluerit vitabũdum dici à simulatione, & non à similitudine. nõ simulabat vitationem legati, sed timorẽ. Præterea siqua foret similitudo, ea similitudo atq; simulatio intelligitur per illud QVASI, nõ per illud VITABVNDVS. Addit adhuc rationẽ, Nam quia nomen est, ideo significat similitudinem, non passionem: & alia deinceps, vbi nullum robur rationis est. Sed præter rationes illorũ, ipse quoq; Priscianus imprudens confessus est, quod negabat. Quæro enim nunquid homo rubicũdus (quod ille simile facit cæteris in bundus) similis rubenti est, an verè rubens? profectò verè rubens. ergo idem erit rubicundus & rubens. quæ sententia Cesellii est, quæ & breuior est, nec minus fortasse vera, quàm illa siue Auli Gel-

εὐθιβόλως, apposite, ingeniose.

lii,siue Apollinaris,quum frequentissime sic accipiantur,populabundus populans, errabundus errans. Sed nonnunquam (vt Gellius ait) vehementiam significant: quæ, vt breuiter & ipse complectar,idem significant quod participia frequentatiuorũ, lusitans, risitans,erratitans,lectitans,populitans, si reperiremus. Quod quum non sit, ad hæc (vt reor) in bundus terminata decurrimus.

EPITOME.

Verbalia in icus à facio,vt magnificus:à dico,vt maledicus: & in quus,à loquor, vt magniloquus: & siqua sunt à sequor comparatiua & superlatiua, nunc rarius à sua positione,quàm à voce in ens minus aut nequaquam vsitata formãt:quod etiã in aliis (vt id addam) vsuuenit, nam diues in frequentiori est vsu quàm dis: & tamen frequentius dicitur ditior & ditissimus,quàm diuitior & diuitissimus.Ouidius tamen diuitiora dixit. Item iuuenis in frequentiori est vsu,quàm iunis: & tamẽ rarius dicitur multo iuuenior,quàm iunior.Apuleius tamen illo vsus,dixit, Vnus præ cæteris,& animo fortior,& ætate iuuenior.A Iunis autem dicuntur iunices:vt à iuuenis iuuencæ. Addamus præter Vallam, vt rem literariam iuuemus, Ciceronem non recipere à nomine pius, superlatiuum piissimus, quo tamen multi sunt vsi:Ciceronem tamen secuti pientissimũ dicunt. Item à verbalibus in dus neque comparatiua,neque superlatiua apud priscos idoneos legi, quæ nũc in nimio sunt vsu dicam an abusu,vt reuerendissimus,colendissimus:quibus certe abstinuero,nisi stomacho quorundam placere velim.Illud autem notum, nisi interturbent indocti, à nobis in icus recte formari gradus sine geminatione c i syllabæ, vt amicus amicior,non amicitior:pudicus pudicior,&c.licet dicantur amicitia,pudicitia:quia genitiuo additur tia:vt auarus auari auaritia.Dixi, Nũc rarius:quia prisci ab vsitata deduxerunt voce.vnde Plautus,Nihil est profecto stultius,neque stolidius,nec mẽdaciloquius,neque confidentiloquius,neque periurius,quàm vrbani ciues.

De nominibus in icus. CAP. X.

MAgnificus,honorificus, munificus non ex se gignunt cõparatiuos, superlatiuósque, sed ex aliis quæ in vsu non sunt, ac ne possunt quidem esse,magnificens, honorificens,munificẽs. Non enim dicimus magnificior,honorificior, munificior: sed magnificẽtior,honorificentior,munificentior: & in superlatiuo magnificentissimus,honorificentissimus, munificentissimus. Mirificus tamen etiam mirificissimus facit: vt Terentius,Mirificissimus est patruus tuus.Et M.Cato,teste Prisciano contra Thermum,De Ptolemæo,rege optimo atque beneficissimo.Et Accius in secundo didascalicon, Atque magnificissimo,excellentissimóque honore.Omnia ergo à facio sic cõposita & terminata,hanc regulam sequuntur, mirificus,maleficus, beneficus, veneficus,vulnificus,tabificus, luctificus,pacificus,morbificus, sacrificus, & siqua sunt alia, quæ omnia ascititium comparatiuum,superlatiuúmque habent, aliquando etiã suum. Súntne & alia nomina eiusdẽ naturæ? certe sunt, ea quæ

In Phormio. act.5.sce.6.

formantur à dico & à loquor, vt maledicus, maledicentior, maledicentiſſimus. Benedicus autem non inueni, quia nec benedico inuenitur, licet eo Priſcianus vtatur, & hoc tempore vtamur more Græcorum: quorum authoritate dedimus huic verbo accuſatiuum præter naturam ſuam, quum poſtulet datiuum, ſicut maledico, quod & ipſum nunc ad imitationem Græcorum habet etiam aliquando accuſatiuum. De benedico vnius vocis loquor, non duarum. Nam tunc & aliud ſignificat, & aliter regit. Præterea fatidicus, veridicus: iuridicus verò rarum eſt verbum. cauſidicus, magis ſubſtantiuum. A loquor fortaſſe ſunt plura: à ſequor fortaſſe nulla, niſi pediſſequus, quod ſubſtantiuum eſt. Magniloquus, altiloquus, grandiloquus, vaniloquus, doctiloquus, verſutiloquus, fatiloquus, faciunt comparatiuum magniloquentior, grandiloquentior, & item cætera. Superlatiuum, magniloquentiſſimus, grandiloquentiſſimus, & reliqua. ſed horum poſitiua poſſunt eſſe tum participia, magniloquens, grandiloquens: tum nomina magniloquus, grandiloquus: præter vnum ſuauiloquens, quod neſcio an dici poſſit ſuauiloquus. Maledicens planè participiũ eſt, ſed & maledicus dicimus, quod in fatidicus & veridicus non fit: neque in illis ſuperioribus, magnificens, honorificens, munificens. quæ participia eſſe non poſſunt, quũ hæc fuerit futura vera vox, magnifaciens, honorifaciens, munifaciens. Benedicus. Benedico.

EPITOME.

In eus formata à materiarum nominibus, mutata vltima vocali in eus, ſignificãt quid factũ ex mera & ſolida materia vnde deducuntur: in aceus ſic formata, ſignificant factum ex materia mixta, aut quid in ea natum. In atus ſic formata, ſignificant incruſtatum aut tectum ea materia. In itius verò, aut ex tali materia cõſtant, ſi à nomine fiunt: aut paſſionem cum quadam aptitudine ſi à verbo deducũtur, ſignificant. vt porta ferrea, ex ſolido & mero ferro: ferracea, ex materia ferro mixta: ferrata, ferro tecta & iucruſtata. Tectum lateritium, ex latere factum: domus conductitia, conducta aut conducibilis, & conduci ſolita.

De nominibus in ceus, in eus, & in itius. CAP. XI.

FInita in ceus pauca ſunt, materiámque ſignificant, vt Herbaceus, Betaceus, Maluaceus: ex materia herbæ, maluæ, betæ. Arundinaceus, Ferulaceus, Roſaceus, Triticeus, Hordeaceus, Teſtaceus, Tophaceus, Arenaceus, Cretaceus, Argillaceus: ex materia arundinis, ferulæ, roſæ, tritici, hordei, teſtæ, tophi, arenæ, cretæ, argillæ. Hoc tamen differunt (ſiquid differunt) à materialibus: quòd illa magis totum ſignificant, hæc partem. Ager enim cretaceus non idem eſt quod creteus, nec arundinaceus ſurculus quod arundinea fiſtula: vnum eſt natum & poſitum in creta aut arundine: alterum ex corpore ac ma- IN CEVS.

teria cretæ & arundinis factum.& panis triticeus,hordeaceúſve, non ex ſolo tritico hordeóve cōpoſitus eſt,ſed ex aqua quoque: licet triticeus vtriuſq; harum,de quibus loquor, formarum videri poſſit, & magis illius,cuius ſunt creteus, arundineus, & ſimilia. Nam triticaceus facere deberet, niſi dicimus euphoniæ cauſa ca ſyllabam eſſe ſublatam.quod mihi ita videtur eſſe,quia diſiuncta eſt ſpecies eorum,quæ exeunt in ceus: & eorum,quæ exeunt in eus. Huius generis eſt Vinaceus,quum eſt adiectiuū, vt vinaceo grano legimus quendā ſuffocatum, pro acino vuæ: & vinacea ſubſtantiuum plurale,pro granis vuæ iam preſſæ.Dicimus tamē mons terrenus potius, quàm terreus aut terraceus.

Sunt item nomina finita in itius,deſcendentia ab habentibus t in vltima ſyllaba:& ſi à nominibus quidem,ſignificant materiam: ſi à ſupinis verò, paſſionem quandam. vt Cratitius, Stramentitius, Lateritíus Cæmentitius, Conuentitius, Pauimentitius: Item Fictitius, Commentitius, Pigneratitius, Fœneratitius,Conductitius, Aſcriptitius, Dedititius. Ratio fictitia ac cōmentitia, quæ ficta & ad tempus commenta eſt & excogitata. Res pigneratitia aut fœneratitia,quæ data eſt pignori,aut ad fœnus pertinet.Domus conductitia,quæ conducta eſt.Homo aſcriptitius,dedititiúſque,qui ad aliquam rem aſcriptus eſt,& qui ex numero eorum eſt,qui ſe in alterius imperium dediderunt.

EPITOME.

Comparatiuum nomen ſemper auget ſignificationem abſoluti, licet rem ſubiectam imminuat: niſi (quod ipſe addo) propter additum expreſſè aut tacitè. Sæpe tamen pro abſoluto repertum eſt. Nec comparatiuè poſitum tātum per magis eſt exponendum, ſed etiam per alia aduerbia comparatiua, vt valdius,fortius,& ſimilia: ſicut & ſuperlatiuum per aduerbia & ſuperlatiua. Addamus & hoc,dū duo cōparatiua componuntur mediante particula quàm,non videtur poſterius determinare prius,ſed idem quod prius. Verbi gratia,quòd auget ſignificationem abſoluti, licet rem imminuat:patet,quia licet res minor minus habet vt ita dicam de entitate, quàm res parua : plus tamen habet de paucitate aut paruitate, quàm de qua parua aut pauca dicitur. Addidi,Niſi propter additum,&c.quia ſæpe mitius & vrbanius loquimur per comparatiua quàm per ſuperlatiua:vt Dicendo hic vir eſt liberior,iracundior,loquacior,&c. vt Cicero,Senectus eſt natura loquacior,&c.natura,nō quàm natura,ſed per naturam. Plauſibilius loquar,quàm ſi dicam, Eſt liber,iracundus,loquax &c. quia in comparatiuis ſubauditur paulo quàm cæteri,aut quàm decet: ſic cum dicuntur ſeniores & iuniores, nō intelliguntur plene ſenes aut iuuenes,vt qui remp.amplius adminiſtrare non poſſint,aut nondum poſſint,ſed cæteris adminiſtrātibus paulo ſeniores aut iuniores. De comparatiuis geminatis exempla ſunt. Salluſt. Qui ſe in victoria licentius liberiúſque quàm arctius futuros credebant.referuntur ad credebant. M.Varro, Metium Suffætium propter perfidiam interemit pene imperioſius quàm humanius. ſcilicet interemit. Quintilianus,Sítq; ſalubrior ſtudiis quàm dulcior. Hermolaus Barbarus , Periculoſius eſt mihi iſta quæ poſtulas decernere quàm laborioſius. Angelus Politianus, Quòd mihi in tua epiſtola tantū tribuis,quantum ego nec agnoſco,nec fateor:vel ob id certe mihi gratum eſt,quòd

amicius quàm verius sentiens, magis fortasse nos diliges. Idem, Quàm multis me prius laudibus etiamsi eloquẽtius longe quàm verius obruisti. Et Iulius Capitolinus, Ille se insolentius quàm verecũdius senator efferret. Plinius Iunior, Non quia eloquẽtius quàm verius: sed quia liberius, ideóque licentius scribitur. In quibus omnibus meo iudicio, posterius comparatiuum nõ determinat prius comparatiuum, sed vnum tertium: non enim diceret, Scribitur eloquentius quàm verius. sed quàm verè: nisi sit, Scribitur eloquentius quàm. s. scribitur verius. Id est, magis constat, quòd magis eloquenter, quàm necesse est quàm, quòd magis verè. Neque comparatiua pro absolutis sine subauditione posita apud idoneos, vt seniores & iuniores, quo modo dixi. Reposui ex vetere exemplari non tam à paruum venire quàm à parum. id enim consequenter, éstque de aduerbio satis perspicuũ: sed minor & minus nomina, etiam à paruo ducuntur: vt Pars minor est toto, os minus capite.

De natura comparatiui. CAP. XII.

COmparatiuũ pro minore vi accipi, quàm ipsum positiuũ habeat, ait Priscianus. vt Virgilius,

Tristior & lachrymis oculos suffusa nitentes.

Tristior enim hîc ex parte tristis accipitur. Sæpe per se positum pro ipso positiuo, vt Comites senioris Acestæ, pro senis, in quorũ vtroque est causa cur aliquid nos addamus. nã illud tristior, planè pro tristis, non pro ex parte tristis accipitur, vt ait Quintilianus, Vtimur vulgo & comparatiuis pro absolutis, vt quũ se quis infirmiorem esse dixerit. non dixit pro minus quàm infirmus. & hic senior potius pro valde senex, quàm tantum senex: vt idẽ Quintilianus de Isocrate, Eóque iam seniore (octauum enim & nonagesimum impleuit annum) pomeridianis scholis Aristoteles præcipere artẽ Oratoriã cœpit. Et Ouidius de Tristibus 2,

Lib. 9. de figuris verborũ.

Lib. 3. cap. 1.

Sospite sic te sit natus quoque sospes, & olim
Imperium regat hoc cum seniore senex.

Ideo, cum Seruio non sentio dicente, Secundum Varronem, Senior & Iunior comparatiua sunt per imminutionem. Est enim senior non satis senex, iunior non satis iuuenis, intra iuuenem, sicut pauperior intra pauperem. hoc autem dicit Varro in libris suis ad Ciceronem. quam rem à Varrone tractatam confirmat etiam Plinius. hæc Seruius. Si verò hoc Varro & Plinius ait, quis non cernit sibiipsi repugnare rationem hanc? Est enim natura comparatiui, superare in ea qualitate, quam obtinet positiuus. quæ superatio quoties incolumis est, non possis tunc dicere factam esse imminutionem. Ponamus exemplum huic rei simillimum, Antiquior te ego sum, id est maior te natus sum. Item Adolescẽtior te sum, id est minor natu te sum. ita Iunior te sũ, id est minoris ætatis, quàm tu: videlicet, supero te paruitate ætatis. quem in modum accipitur illo in loco Seruii: ergo non per imminutionem, sed propriè. Quare vt in iunior fallitur, ita & in

ſenior falli dicendus eſt. Quæ tamen omnia(vt ſentio) pro poſitiuo accipi ſolent.Quemadmodum etiam ocyus pro ocyter.

Minus. Minus pro non,ſemper ferè accipitur:frequentiſſime tamen iũctum cũ ſin, aut cum quo pro vt. Sin minus,id eſt ſi non. Quo minus,id eſt vt non.ſicut,Quo ſecius,etiam pro vt non. Quia de hoc comparatiuo Minus feci mẽtionem, aliquid etiam de ipſo dicam. Placet autem mihi non modo à paruum venire,ſed etiã à parũ. Vt Parum pecuniæ habeo,non autem paruum pecuniæ. ergo Minus pecuniæ ad parum pecuniæ potius,quàm ad paruũ pecuniæ videtur referri.Addam aliquid econtrario de Magis.

Magis. Ait idem Priſcianus, omnia comparatiua mittere aduerbia ſimilia neutro generi.Atqui Magis non in us exit more aliorum,ſed in is.quod comparatiuũ eſſe,& vis ipſa huius vocis indicat,& multo pòſt (neſcio quo modo)fatetur hic author. prætereo, quòd à maius nullum aliud aduerbium eſt, & aliquod eſſe debet. Dicimus enim,iuſtius queror, melius ſcribo, peius canto, plus gaudeo, minus doleo:maius gaudeo non dicimus,ſed magis: quod à magnum poſitiuo comparatiuũ eſſe vel hinc palàm eſt, quòd omnes ſic loquimur, Magis poterat Pompeius quàm Cæſar,ſed poſtea maxime omnium potuit Cæſar.Ex quo apparet eiuſdem poſitiui,quod eſt magnum,comparatiuum eſſe magis,cuius ſuperlatiuum eſt maxime, mutata u in g,& antepoſita i.quod quũ ita ſit, cur per magis & poſitiuum reſolui comparatiuu m Priſcianus voluit,tacens de cæteris quæ eundem vſum præſtãt?Fortior,plus fortis, vehementius fortis, validius fortis, & quæ ſunt eiuſmodi. Opinor quòd non putabat hoc eſſe comparatiuũ, vt quod à voce comparatiui receſſerat: aut ſi putabat, abſurdum videbatur comparatiuum per comparatiuum reſolui cum poſitiuo,quum præſertim ipſum Magis,more aliorum comparatiuorum reſoluendum ſit,quod fieri nequit. Quòd ſi reſolui nequit, ne aliud quidem poterit. Quale eſt ſi dicam,Quod eſt iſtorum maius ædificium,aut quod validius? abſurdum(vt dixi)quibuſdam videri poſſit, ſi reſoluatur magis magnum, & validius validum. Adde quòd ſicut reſoluit comparatiuum per magis,ita debuit reſoluere ſuperlatiuum per maxime,Fortiſſimus Græcorum Achilles,maxime fortis Græcorum:non autem ſuper omnes Græcos fortis. Nam hoc modo ſupra ſe fortis erit, quod fieri nequit. Item ſine appoſito, fortiſſimus Hercules,non dicitur cõmode,valde fortis,ſed validiſſime,id eſt maxime fortis. Nam quid abſurdius, quàm quum exponamus comparatiuum per comparatiuum,exponere ſuperlatiuum per poſitiuum?

EPITOME.

Comparatiuum tam nomen quàm aduerbium partitiue tentum, vtpote dum genitiuũ regit, aut casum præpositionis in genitiuũ resolubilem, locũ habet dũtaxat inter duo, aut singula, aut bifariam diuisa, id est quæ duas notát partes. Superlatiuũ autẽ dũtaxat inter plura duobus, vtpote nõ citra tertiũ participantiũ in quãtitate aut qualitate absoluti, numerum: & vtrunque inter ea quæ eiusdẽ sunt numeri aut naturæ, ita vt salua sententia genitiuus possit adiectiuo conformari in casu & numero. Verum comparatiuum comparatiue tentum, vtpote dum ablatiuum rei excessæ aut regit aut regere congruè potest, tam inter duo quàm inter plura, & tã inter ea quæ sunt eiusdem naturæ, quàm quæ diuersæ, locari potest, si tamen sententia constare poterit. Neque enim constat, siquis dicat, Hector est Troianis, aut Troianis omnibus, aut hominibus, aut hominibus omnibus fortior: nõ enim est seipso fortior: siquando autem ita locutos legerimus, vt Papinium ad Plutonem, Et melior sis quæso deis: subaudietur, cæteris, aut aliis omnibus. Item licet summus excessus est in superlatiuo, tamẽ quia quod hodie omnia præter se in humanis excedit, potest mox ab alio excedi, additur superlatiuo comparatiuum plus excellens. Interrogando autem & indefinite loquẽdo, datur comparatiuo vter & vtrum: superlatiuo, quis & quid, licet authores nonnũquam in ea re dormitent. Conueniũt ergo comparatiuum partitiue tentum & superlatiuum in duobus: quia vtrũque regere potest genitiuum, & vtrunque vult poni duntaxat inter ea quæ sunt eiusdem naturæ. Differunt autem in vno: quòd cõparatiuum sic inter duo aut in duas partes diuisa, locum habet. superlatiuum tantum inter plura duobus, dummodo respectu rei excessæ ponitur: quia si summum notet gradum sine respectu rei excessæ, bene vni attribuitur, vnde dicitur Deus optimus maximus. Exemplum de comparatiuo partitiue tẽto, Vt Manuũ fortior est dextera, Aiacũ fortior Thelamonius. De duabus partibus, Vt Romanorum pars maior Cæsarem, melior Pompeium secuta est. De superlatiuo, Digitorũ medius est longissimus: quia est longior quàm proximi, & proximi quàm extremi. Si autem sint res decem, quarum nouem sint vnius lõgitudinis, tum decima quantũuis excedat, non dicetur earum rerum longissima, sed longior cæteris: & sic vsitatius quàm in genitiuo, vt sint tales trabes decem, libẽtius dicam, Hæc trabs est longior cæteris: quàm longior trabium istarũ, licet sic quoque dici posset. In his autem tribus vtrunque differt à comparatiuo comparatiue tento. Primo, quia illud ablatiuum regit, hæc genitiuum. Secundo, quia illud tam inter plura quàm inter duo cum ablatiuo ponitur: vt Dextera est fortior sinistra, & Medius digitus cæteris longior. Horum alterum tantum inter duo, alterum tantum inter plura, vti dictum est, locum habet. Tertio, quia illud tam inter ea quæ diuersæ quàm quæ eiusdem sunt naturæ, locari potest, dummodo tamen non includatur in ablatiuo rei excessæ, à quo excluditur per particulas, Reliquis, aut Cæteris, vt dixi. Hæc tantum inter ea quæ eiusdem sunt naturæ: sed eam quoque rem regũt in qua continentur: Vt si dicã Duarum manuum, aut vtriusque manus dextera est fortior: &, Omniũ digitorum medius lõgissimus. Cum verò dixit Valerius Maximus, Omni ciue temporibus suis maior, subaudit reliquo, aut alio à se. Aut sicut Gellius dixit, Hortẽsius omnibus ferme oratoribus ætatis suæ nisi M. Tullio clarior: dicẽdo Fermè excludit ne se clarior putetur. In illo AEneid. primo, Scelere ante alios immanior omnes: eadẽ ratio quæ cũ ablatiuo esset, si diceretur, Immanior aliis omnib9. Apud Plautũ de tribus filiabus dicẽs, Ad meã maiorẽ filiã inuiso domũ: subaudit, cæteris. Cũ verò Quintilianus dixit, Plures eruditorũ aliã esse dicẽdi rationẽ, aliã scribendi putauerũt. Aut plures absolutũ est, id est multi: aut plures, id est maior pars, vt erũditi bifariã diuidãtur: quorũ plures, &c. In illo Pliniano, Animaliũ fortiora quibus sanguis crassior. Ordo est, Ea sunt fortiora. s. cæteris: aut quia bifariã diuidit, fortiora animaliũ, id est, Fortiora sũt animalia, quorũ sanguis est crassior q̃ ea quorũ min9 crassus. Nihil enim obest genitiuũ plura significare, dũ diuisio est bimẽbris. Nec

est cõtra Vallam quod ipse dixit lib.7. Herodoti, Tu verò nõ modo superioribus Persis, sed etiá veturis es præstantior. quia per ablatiuũ loquitur: nec per genitiuum rectè dicat, Tu verò non modo superiorum Persarum, sed etiam venturorũ es præstantissimus: quia neque superiorum neque venturorum vnus erat. Et quod hic rectè per ablatiuum dixit: rectè dixit Sallustius in Iugurtha per subauditionem, Cæterum ante hos te Iugurtha, quia ætate & sapientia prior es, ne aliter quid eueniat, prouidere decet &c. quia prior es supple, eis, prouidere decet ante hos. Inepte autẽ dixit Apuleius lib.2. Floridorum, Vt Hippias è numero sophistarum est artiũ multitudine prior omnibus, eloquentia nulli secundus. quia dicere debebat, omniũ primus: non enim est prior omnibus, nisi sit seipso prior. Addam hoc pueris, quia etiã senes subinde non animaduertunt, laudi esse si quis in re laudabili nulli sit secũdus: at vituperio, si nemo sit illi secundus: nesciunt ergo quid dicant, qui sic dicũt, Huic viro in medicinis nullus est secundus. Quærunt multi quomodo Græci cõsulãt honori suæ gentis, non faciendo comparationem ad multos sui generis, sed superlationem. Ad quod dicere licet, quia plus esse in superlatiuo Priscianus putat quàm in comparatiuo: & ita honestius dici, Achillem fortissimum Græcorũ, quàm fortiorem Græcis aliis. Nam in superlatiuo necesse est treis esse gradus, vt diximus. Præterea dum dicitur, Achilles fortissimus Græcorũ: videtur plus significari Græci omnes fortes, quàm si dicatur, Fortior Græcis aliis: quia permittitur abusus per cõparatiuum, vt Mare Ponticum est dulcius cæteris, & tamen non est dulce: vnde nõ dicetur dulcissimum omnium. Dixi nonnunquam comparatiuo plus significari quàm superlatiuo, vt exemplis declaratur. Ouidius,

Accedat lachrymis odium: dignúsque puteris
Qui mala cum tuleris plurima, plura feras.

Gell. C. Fabritius & Corũcanius antiquissimi viri, vel his antiquiores Horatii illi trigemini, &c. Antiquissimi, id est valde antiqui: non tamen antiquissimi, cum sint illis antiquiores Horatii. Cicero, Quum ipsum Furnium per se libentissime vidi, tum hoc libentius, quòd illum audiẽs te videbar audire. Idem, Ego autem hoc miserior sum quàm tu, quæ es miserrima, quòd ipsa calamitas communis est vtriusque nostrum, &c. Idem, Vale igitur mi Cicero, tibique persuade, te quidem mihi esse charissimum: sed multo fore chariorem, si talibus monimentis præceptísque lætaberis. Quod autem dicit Plautus, Si sis stultior stultissimo: aut hyperbolicos dictum est, Aut sis stultior eo qui sit stultissimus, nisi tu stultior eo esses.

De differentia comparatiui à superlatiuo. CAP. XIII.

INter comparatiuum & superlatiuũ, ea in primis quæ apud Græcos, differẽtia est: quòd comparatiuum refertur ad vnũ, superlatiuum ad plura. quod reprehendit Priscianus, inquiẽs, Fit antem comparatio vel ad vnum, vel ad plures tam sui generis quàm alieni. quanuis Græci honoris causa suæ gentis magis, quàm ratione veritatis, dicant non posse ad multos sui generis fieri comparationem. Alii autem dicunt hanc esse rationem, propter quam non vtuntur tali comparatione: quòd quum ad plures sui generis fit cõparatio, superlatiuo vti possumus: vt Fortissimus Græcorum Achilles. Sed superlatiuus multos alios excellere significat: Comparatiuus verò etiam potest paruo superantem demonstrare. vnde etiam diminutionem iure accepit apud nos maiusculus, minusculus, tardiusculus. hæc Priscianus.

A quo tã pro Græcis, quàm pro Latinis dissentio. Nam quæro à Prisciano, quonã modo Græci distinguerent sensum comparatiui à sensu superlatiui, quum ipsi quoque comparatiuo genitiuum tribuãt, nisi hac ratione, vt hoc ad vnum, illud referatur ad plura? Loquor quoties comparatio fit ad eos, qui sunt eiusdẽ generis. Nam ad eos qui sunt alieni, necessario quoque vtuntur genitiuo per comparatiuum, quum ablatiuo careant. Quũ dico comparationem, more Prisciani, tam cõparatiui quàm superlatiui intelligi volo. Atqui apud Latinos ista ambiguitas nõ est, quia cõparatiuo ablatiuũ tribuimus. de hoc paulo pòst respondebo. tamen tanti momenti est illa Græcorũ ratio, vt eã Latini ad formã Græcæ constructionis imitati sint, hoc est, vt cũ genitiuo iũgerent comparatiuũ, vtique inter duo. (nam superlatiuũ dubiũ non est habere locũ inter plura.) vt Aiacum fortior fuit Telamonius, & Manuũ melior est dextera. Si verò tres Aiaces fuissent, diceremus nõ fortior, sed fortissimus: sicut Digitorum longissimus est, non longior, medius. Horat. O maior iuuenum, inquit: ad duos enim Pisones, patrem filiúmque scribebat. Ouidius in persona Medeæ, quæ duos filios habuit:

Quum minor ex pueris iussus, studióque videndi
Constitit ad geminæ limina prima foris.

Et Cæsar, siue alius pro Cæsare, in commentario x. in testamento Ptolemæi patris, Hæredes erant scripti ex duobus filiis maior: & ex duabus, ea quæ ætate antecedebat. Ideo maior Aiax & minor, ille Telamonius, hic Oilei filius. Maior & minor Atrides, ille Agamemnon, hic Menelaus. Maior Cato & minor. Maior & minor Scipio de duobus Aphricanis. Maior Cyrus & minor, siue superior & posterior: nam tempus significamus, nõ dignitatem maiorem minorémve. De malis tamen non maior & minor dicimus, vt Dionysius superior, & Dionysius inferior. Superior & Inferior.
Qui numerus quum superat, non per comparatiuum, sed per positiuum, aut per superlatiuum loquimur. vt Magnus Alexander, magnus Pompeius, Fabius Maximus, Valerius Maximus. Et hæc est Græcorum ratio, in qua nobis cum illis conuenit: quòd ad vnum sui generis vtendum est comparatiuo, ad plures superlatiuo. Ideóque curiosissimus in loquendo, & reconditissimæ scientiæ Macrobius in Saturnalibus mihi nõ probatur, vbi Lib.7.ca.11. dixit, Age Serui non solum adolescentiũ, qui tibi æquæui sunt, sed senum quoque omnium doctissimus. non enim est eiusdem generis adolescens cum senibus, non aliter quàm si dicam, Ego sum doctissimus Romanorum & Carthaginẽsium: si Romanus

ſum, tollendum eſt Carthaginenſium: ſi Carthagineſis, tollendum eſt Romanorum: ſi neutrum, vtrunque male iungitur. Et Priſcianus in primo, Omnium eſt breuiſſimum eorum quæ diuidi poſſunt, id quod diuidi non poteſt. Non aliter quàm ſi dicas, Hæc eſt pulcherrima ſuarum ſororum, quum ſit dicēdum, Hæc eſt pulcherrima ſororum. nam ſororum ipſa vnā eſt, ſuarum non eſt. Quid autem ad plures generis diuerſi? Nempe nos qui ſextum caſum habemus ſimillimum genitiuo, hunc adhibemus: vt Achilles Troianis fortior fuit: & Ego ſum doctior Carthaginenſibus, qui non ſum doctiſſimus Romanorum: & Tu es doctior ſenibus, iuuenum longe doctiſſimus. Græci eodem genitiuo vtuntur, vt ſit hæc differentia, Superlatiuum ad plura ſui generis, comparatiuum ad plura diuerſi generis cōparari. quod Priſcianus reprehendit, nolens illam differentiam inter gradus hos eſſe: ſed hanc, quòd comparatiuus parum, ſuperlatiuus multum excellere ſignificet. Quæ ratio, præterquam quòd non ſatis defendit opinionem Græcorum, atque adeò vſum Latinorū, etiam falſa eſt. Neque enim (vt ipſe vult) quia comparatiuum diminutionem accipit, ideo parum ſignificat, & nō potius multum, quia diminui poteſt: præſertim quū dicat comparatiuum aliquando tranſcendere ſuperlatiuum. Vt Achilles fortiſſimo Troianorū Hectore fortior fuit. Sed ego hoc non laboro, quòd comparatiuum modo tranſcendat, modo minuatur: quæ res non mutat naturam comparatiui. Aliud animaduertēdum eſt, quo ſolo ipſi gradus comparationis ponderantur, quòd comparatio vnū gradum obtinet ſiue primum, ſuperlatio verò plures ſiue vltimum. Atque (vt ego ſentio) non ad ſingulas res, ſed ad gradus quoſdam illa referenda ſunt. Nam vbi fuerint multa eiuſdem generis, non tamen cadit ſuperlatio vno eminente cæteris paribus. Vt ſi inter plura vaſcula, aut plura nauigia ad vnā magnitudinem facta aliquod ſit longe capacius & grandius, nō recte dicas, Hoc eſſe omnium maximum. Neceſſe enim eſt, vbi ſuperlatio eſt, ibi ſit & comparatio, & aliquod ſit maius aliquo, & iterum alterum maius hoc, quod erit iam omnium maximū: vt in Troianis ſunt aliqui fortes, & his alii fortiores, atque alii adhuc his fortiores, qui vocantur fortiſſimi. Itaque nunquam citra tertium numerū fit ſuperlatio. At Priſciano videtur, ſi cætera paria nauigia aliquod paululum antecederet, dicendum, maius cæteris: ſi multo, maximum omnium. Quid ergo ſi inter ipſa paria vnum vtcunque emineat, eiuſdem tamen generis, non diuerſi, quomodo dicendum erit? Comparatiuum non re-

fertur ad ea quæ plura sunt eiusdem generis, & superlatiuū non habet locum inter paria. Malim ergo dicere per comparatiuum, sed in ablatiuo, vt Maius cæteris. Nam inter duo (vt dixi) damus genitiuum. Quidam dant genitiuum etiam vbi plura duobus sunt, sed tantummodo ecclesiastici, præsertim imitati Græcos authores, vnde interpretātur. Nulla enim litera est Latina noui testamenti. Dicunt ergo, Maior discipulorum, minor fratrum: siue quia cæteri pares sint, vnus autem aut excellat, aut excellatur: siue quia non magnifecerint hanc differentiam comparatiui & superlatiui, altero pro altero, hoc est comparatiuo pro superlatiuo vtentes, vt ex loco illo datur intelligi, Qui vult inter vos maior esse, sit vestrum minimus. Cur non dixit maximus minimúsque, aut maior minórque? nisi quòd pro maximus posuit maior, in quo Græcos secutum scimus. In illo autem (licet huc parum pertineat) Græcum non sequimur, Nūc manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior horum est charitas. Cur non aut maior harum, aut maius horum? Græci genitiuum hunc in omnibus generibus vnum habent, qui est τούτων. Veruntamen potuisset Latinius dici, maximum, nisi Græcos imitari maluissemus: Græcos inquam, vnde traduxerunt, non autem veteres illos, ex quibus grammatica confirmatur. Nam, vt charitas est maior cæteris, ita cæterarum duarum (vt opinor) altera alteram superat, ratóque reperitur numerus triū, vbi non potius superlatio cadat, quæ tres diuersas exigit quantitates, quàm comparatio. Ideóque Græci contenti fuerunt dicere comparationem ad vnum, superlationem ad plura, quasi omnia inter se aliud ab alio distantia. Quin ipse Priscianus quanquam dissentit, tamen paulopost quasi imprudens, quod negauerat, confessus est, prior referri ad vnum, primus ad plura. Quod antea Diomedes, Donatus, & Seruius dixerant. Ideóque illud iungi ablatiuo more comparatiuorum, hoc autem genitiuo more superlatiuorum. Quæ non significant melior & optimus (quemadmodum ipse vult) sicut nec potissimum, optimum, in Phormione apud Terentium, Vbi dubites quid sumas potissimum. sed in his omnibus principalior, principalissimus, & principalissimum. Quod quū ita sit (vt in sūma colligā, & breuiter dicam, vt à principio institui) comparatiuum inter duo esse, superlatiuū inter plura, si modo tria sunt imparia: veluti si in duas parteis ciuitas diuisa est, vt bello ciuili Pōpeii & Cæsaris, recte dicas, Maior pars Quiritum sequebatur Pompeiū, minor Cæsarem: nō autem maxima, aut minima: nisi accipias pro valde magna maximā, & pro

Prior. Primus.

Potissimum.

valde parua minimam. Sin in tres partes, vt tẽpore Triumuirali, dicendum erit, Maxima pars Quiritum ſequebatur Octauium, pars maxima legionum erat cum Lepido, maxima pars nauium erat cum Antonio, non maior. In quorum vtroque (ne quis putet neminem hoc ignorare) peccauit Lactãtius, vir Latinus planè & facundus, qui in ſecundo libro Inſtitutionum inquit, Vt poſſis dubitare, quos dicas potiſſimum ſtultiores, illóſne qui falſam religionem ſuſcipiunt, an qui nullam. Et in ſeptimo, Vt ea ipſa quæ dicerem, non noſtris, ſed aliorum potiſſimũ literis cõfirmarem. potiſſimum dixit pro potius. duæ enim partes erant, non multæ: vt apud Quintilianum, Hoc loco quæram neceſſe eſt, quæ ratio fuerit, vt iuuenis ad parricidium ſuo potius gladio vteretur. tametſi non abſurde hîc potiſſimum dici poſſet, quaſi ſuo ex omnibus potiſſimum. Et in illo Lactantii quoque, ſi tale foret, Non aliorum, ſed noſtris potiſſimum: quaſi ex omnibus potiſſimum. Erúntque multæ partes, & totidem quot ſunt genera literarum. Vel, Non aliorum, ſed noſtris potius. Erúntque duæ partes, hinc noſtræ literæ, illinc alienæ. Idem Lactantius in primo, Omnes Sibyllæ vnum Deum prædicant, maxime tamẽ Erythræa, quæ celebrior & nobilior inter cæteras habetur. Celeberrima & nobiliſſima dicendum erat. Cicero autem quodã loco id quod dico apertiſſime oſtendit, quum ait in Piſonem, Me quum Quæſtorem in primis, AEdilem priorem, Prætorem primum cũctis ſuffragiis P. R. faciebat. AEdilem priorem, dixit, quia tãtum erant duo AEdiles, ſicut duo Cenſores, & duo Conſules. Cæteri autem ferè omnes magiſtratus multi, vt Prætor, Quæſtórque, inter quos ſe creatum dixit aut primum, aut inter primos. Cuius rei ſiquis fidem deſyderat, bini ſemper AEdiles nominãtur à Terentio. Ipſe Cicero pro Milone inquit, Septem Prætores, octo Tribuni plebis, illius aduerſarii, defenſores mei. Nam Quæſtores penè ſinguli ſingulis prouinciis præficiebãtur. Et exemplo Lactantii admoneor, vt dicam illas præpoſitiones Inter & Ex, tam cõparatiuo quàm ſuperlatiuo poſſe dari, vt cõſtat ſuperioribus, quæ retuli, exemplis: & Quintiliani in Gladiatore, Qui inter nos (vt apparet) fortior fuit. Et in Geminis languentibus, Dii prohibeãt, vt ex duobus filiis vtilior incipiat eſſe periurus. De ſuperlatiuo ipſe paulò antè protuli exemplũ, Celeberrima inter omnes & nobiliſſima habetur. quæ ſi pares præter vnam fuiſſent, vtendum putarem comparatiuo, vt fecit Lactantius. Solemus quoque interrogando, & dubitãdo dare Vtrũ comparatiuo, Quid autem ſuperlatiuo: vt idem Quintilianus,

Lactantius.

In pariete palmato.

Inter. Ex.

Vtrũ. Quid.

Ita non tãtum vtrum sit melius, sed quid sit optimum quæritur. Iterũ, Ex duobus vter dignior, ex pluribus quis dignissimus. Et Cicero, Quũ quærere videretur orator vtrũ potius, aut quid potissimum dicamus. Tamen aliquando damus Quid etiam cõparatiuo. Sed ego ad altiora ducente stylo transeo, & ad ea quæ oratorum magis sunt, quàm grammaticorum, & magis Latine elegantérque loqui volentium, quàm eorum qui ad normam grammaticæ periti esse contenti sunt. Quare separemus ea, quæ de hac re dicenda supersunt, & eis suum locum assignemus: quæ etsi possent posterius tractari, tamen quia ad materiam graduũ pertinent, in hoc potissimum loco exequemur, rem dignam auribus studiosorum, de exactissima antiquorum latinitate & elegantia à Marco Cicerone, Marcóque Fabio Quintiliano præcipue obseruata, duobus luminibus, atque oculis quum omnis sapientiæ, tum verò eloquentiæ latinæ.

Lib.3.ca.10. Vter. Quis.

Cicero. Quintilianus.

EPITOME.

Quisque frequenter cum superlatiuo tam diuersi quàm eiusdem casus ponitur: minus eleganter & rarius cum comparatiuo, nisi cum altero nomine construatur, aut substantiue ponatur, accedentibus particulis, Hoc, eò, quò, tanto, quanto, & similibus. Neque venustè iungitur positiuo, nisi cuius superlatiuus in vsu non sit. Ponitur tamen decenter cum numeralibus ordinis. Item cum VNVS per compositionem, sed tũc raro superlatiuum admittit. Item cum nomine SINGVLARIS, quia singularissimus non dicitur (vbi male additur QVISQVE) & cum nomine QVOTVS pro quot. Caret autem QVISQVE adiectiuo iunctum, genitiuo plurali, pro quo singularem vsurpamus. OMNIS verò eleganter cum positiuo, & interdum cũ cõparatiuo: rarò admodum cũ superlatiuo propriè accepto construitur. Quod autem Apuleius dicit, Nãque peccatum semel vt bonus quisque solicitus cauet, &c. non est imitandum: neque Apuleius semper syncerè loquitur. Illud Taciti lib.12, Trepidatio ne vulgi inualidus quisque obtritus: magis tolerandũ quàm imitãdũ. Cui simile est illud Tranquilli de Othone, Ferebatur. & vagari noctibus solitus, atque inualidum quẽque obuiorũ vel potulentum corripere, ac distento sago impositũ in sublime iactare. noluerunt fortè nomini INVALIDVS superlatiuum dare. Illud verò Valerii Maximi lib.4. cap.3. de Fabritio, Censu par vnicuique pauperrimo: videtur tolerandũ, quia facile subauditur, & fortè adscripta erat particula ETIAM, vt sit, Vnicuique etiã pauperrimo, aut Vnicuique vel pauperrimo. Sic & Prisciani dicto facile addatur ETIAM, vt sit etiã eruditissimorũ. aliter nollem imitari. Dixi, Nisi cũ altero nomine construatur, &c. Nã bene dicit Cornelius Celsus, Ex feris quo maius quodque animal, eo robustior ex eo cibus est. Ordo enim est, Quo quodq; animal est maius: nõ quodq; maius. Et dũ substãtiue & sine adiectiuo sibi adhærente ponitur, recte dicit Horatius, Quanto quisq; sibi plura negauerit, à diis plura feret. Nõ enim dixit plura quæq;. Sic bene Quintilianus, Quo quisq; ingenio minus valet, hoc se magis attollere & dilatare conatur. Dixi etiam quod OMNIS cum superlatiuo propriè accepto raro ponitur, si tamen fingamus plura in summo gradu esse. quo modo Maro forsan dixit, Extrema per omnia duco. Vt Liuius lib.3. ab Vrbe cond. de Herdonio, Omnia extrema. At Cicero, Omnibus antiquissimis ciuibus. Itẽ, Maximas verò virtutes iacere omneis necesse est, voluptate dominãte. Item, Omnia infima summis paria fecit. Item, Quasi parentẽ ab omnibus

doctissimis vocari.Itē,Omnes tenuissimas particulas,atque omnia minima: & multa similia,dicens,Nō accipit superlatiua proprie:antiquissimis enim dixit,pro valde antiquis:& maximas,pro valde magnas,& ita alia. Neque verò cum per Quisque dicitur,Optimus quisque ciuis:accipitur OPTIMVS proprie vt sit bonus in summo gradu,sed quasi sit inter eos qui boni sunt dicendi: nam parū refert si dicatur Optimus quisque, & omnes boni. Item cum dicitur Decimus quisque,nō semper intelligitur vltimus è decem, sed vnus è decem quotusquotus sit. Interdum tamen intelligitur is qui sorte decimus inuentus est: vt si dicatur dux in decimum quenque animaduertisse, intelligetur in eum qui recensendo decimus occurrerit. Bene dicit Valla Nunquam ferè.quia nōnūquam.Horatius in epistolis,Scire velim chartis pretium quotus arroget annus. Sic dicas, Parui refert quotus quisq; fuerit,dum tātundem acceperit. Martialem alii sic legunt, Dic quotus & quanti &c. nec habet interrogationem,sed ponitur sine quisque.

De natura superlatiui. CAP. XIIII.

IGitur superlatiuus adsciscit sibi Quisque, relinquit autem Omnis vel Cunctus positiuo.vt,Optimus quisque,sapientissimus quisque: pro eo quod est, vnusquisque, qui est bonus ac sapiens,vel omnes boni & omnes sapientes. Non enim liceret dicere, Boni quique,& sapiētes quique: nec Omnes optimi, & cuncti sapientissimi.Idem intelligo si superlatiuus in alio casu ponatur quàm illud Quisque : sic, Maximo quisque animo diuitias despicit.Valentissimi quisque corporis longè abest à sapientia. At verò comparatiuo nō Quisque cōuenit, sed Omnis. Vegetius tamen non perpolitus sanè scriptor,inquit,Honestiores quique milites.pro honestissimi quique.Et Lactantius de opificio,Nam etsi ita esset,placidiora quæque animalia vel nihil fel lis omnino,vel minus haberent,quàm feræ. Maluissem ego dicere, placidiora omnia animalia. vt Quintil.in AEgro redempto,Rus,seruulos,Penates,& omnia vtiliora properanti festinatione * parentis addixi. Ex positiuis autem illa excipimus, quæ carent superlatiuo, qualia sunt, quæ habent i vel u ante us, vt Pius & strenuus,quæ nonnunquam patiuntur superlatiuū,ideóque vtranque rationem sequūtur, omnis pius, & pius quisque. Sallustius in Catilinario, Nam strenuus quisque aut occiderat in prælio,aut grauiter vulneratus discesserat.Ipse mallem dicere strenuissimus quisque,piissimus quisque.Quidam tamen Sallustiani codices scriptum habēt strenuissimus.Carent etiam superlatiuo illa numeralia,Secundus,tertius, quartus,quintus, & deinceps . Nam Primus etiam quum numerum significat, superlatiuum est,& Vltimus.Dicimus itaque primo quôque tempore, primo quôque die:quod imperitiores putant esse coniunctionem quôque,quæ habet primam breuem,quū hîc sit lōga.

*pergentis.

Numeralia.

Quôque ablatiuus.

Cicero in Philippicis, Primo quôque die consules ad senatũ referant. Quanquam hîc non tam omnis, quàm vnus omniũ primus dies significatur. Idem pro Rabirio, Tertio quôque verbo excitabatur. Et pro eodem Rabirio, Quinto quôque anno de moribus nostris iudicaretur. Cæsar commentario quinto, Legione producta cognoscit non decimum quenque militem reliquum esse sine vulnere. Suetonius in vita Cæsa. Et intercalario mense sublato, vnus dies quarto quôque anno intercalaretur. Quod ineruditi sic pronuntiare solent, Omni quarto anno est bissextum, Omni quinto anno fit lustrum apud Romanos Græcósque, Omni quinquagesimo anno Iudæi agũt iubileum: quũ sit dicẽdum, Quinquagesimo quoque anno. Vlpianus apud Iustinianum libro 27. ait, Militem quasi millesimum quenque dictum, id est omnem qui ex millenario numero vltimus: tamen accipiendus est non vltimus, sed quisque ex eo numero. Nam quum dico, Dabo tibi ex ouibus decimam quanque: non eam intelligo quæ decima in numerãdo eueniet, sed vnã de decem, quæcunque sit: vel (vt absolutius loquar) singulas ex denis, siue ex decem, quas tu elegeris. Itaque vnaquæque potest esse decima. Et exemplo Cæsaris constat decimum quenque, esse vnum ex numero denario. Ita dicamus millesimum quenque esse vnũ ex numero millenario. Iurisperiti nostri, elegãtiæ Latinæ ignari, intelligunt militem ex mille maxime strenuum. Vnde puto errorem ortum de vocitandis militibus hoc tempore insignè quoddam dignationis ferentibus. Sed ad rem. Hinc etiam factũ est, vt dicamus, vnusquisque, & singularis quisque, non singularissimus quisque: quod non reperitur: sicut nec vnicus habet vnicior & vnicissimus. Quotus etiam iũgitur cum quisque, sed tamen diuersa ratione à superioribus. Nunquam enim ferè vtimur hac dictione, nisi interrogatiue, & in significatione, quæ est quot. Quotus enim frequenter significat quot: vt Martialis,

Miles.

Singularis.

Quotus.

Dic quotus es, quanti cupias cœnare: nec vnum
Addideris verbum, mensa parata tibi.

Id est, quot estis? & quot tecũ habes? Cicero pro Ligario, Quotus enim istud quisque fecisset? id est, nullus vel rarus. Ouidius de arte, Forma Dei munus, forma quota quæque superbit? Id est, nulla vel rara. Non venit in mentem, an cum aliis nominibus iungatur quisque. Hoc tamen scio, non habere Quisque genitiuũ pluralem, duntaxat cum adiectiuo iunctum. Ideóque genitiuo vtimur singulari pro genitiuo plurali. Idẽ enim est, Optimi cuiusq; animus, quod omniũ bonorũ animus. Vnusquisque

autem ideo non facile patitur superlatiuũ,quia illud Vnus vim quandam, ac naturam (vt paulo antè ostendi) superlatiui obtinet:potiúsque dicimus, Vnusquisque bonus, quàm vnusquisque optimus:atque hæc hactenus de quisque.

EPITOME.

VT & ITA consimiles efflagitant gradus;ideóque si QVISQVE interuenit,superlatiuos fere exigunt, & eos aut nominales ambos,aut aduerbiales ambos:aut alterũ nominalem,alterũ aduerbialẽ. QVID autẽ,& omnia cũ eo cõposita,quæ i ante d vel c habẽt,substãtiua sunt,genitiuũ alterius substãtiui, aut adiectiuũ eiusdem casus exigentia. QVOD verò cũ suis adiectiuũ est, substantiuũ cõsimilis casus desyderás:vt Quid monstri,aut Quod mõstrũ alis? Quæcũque autẽ vim superlatiuã habẽt,positiuo magis quàm superlatiuo cohærent,nisi diuisim legantur,aut superlatiuũ minus propriè positum.Superlatiui vim habẽt,In primis,inter primos,cũ primis,apprime,vel ad prima seu primos,præter cæteros,cum paucis,inter paucos,super omnes,præter cæteros,ante alios,&c.per,valde,oppidò,sane,singulariter,vnice,egregie,& similia.Nec contra hoc præceptum est illud Ouidii,

Vt ferus est,multóque suis truculentior Euris
Spectasset siccis vulnera nostra genis.

Non enim VT & ITA habẽt diuersos gradus,sed similes,Vt ferus ita siccis: nec refert si additur in alio gradu Truculẽtior: nã recte dicas, Vt ferus est & stolidissimus, ita nemini amicus,& omniũ abiectissimus. Admittunt enim dictæ particulæ quoscũque gradus, etiam coniũctos, dummodo habeant similes : nam bene dicas, Vt doctus es,ita honorabilis:. Vt multis doctior, ita & honorabilior:Vt omniũ doctissimus,ita maxime honorabilis. Quidã defendunt Donatũ,quia in emẽdatis libris legitur,Ita senex videtur: & si senior,inquiũt, scripserit,pro senex acceperit. Dixi, Vim superlatiui habẽtia,magis positiuo cõgruere:quia interdũ aliter locuti sunt etiã classici, sed rarò, & quasi diuisim. Vnde Aul. Gellius,Bonas artes qui synceriter cupiunt appetúntque,ii sunt vel maxime humanissimi. Ordo enim est,Ii sunt humanissimi, vel,id est etiã maxime.Sic & illud, Q.Claudius Quadrigarius apprime sũmo genere natus erat.Vt sit natus erat apprime.Id est inter primos genere summo. Aut summo pro alto posuit.sunt enim tã raræ huiusmodi locutiones,vt imitari non audeã.Nam illud Sallustii,Quod difficillimum in primis erat,sic diuidam:Ac sane quod difficillimum etiam in primis,id est primariis viris est,&c.Et sic non fit constructio In primis difficillimum.

De Vt & Ita cum superlatiuo,de Quò & Eò cum comparatiuo. CAP. XV.

Vt. Ita. ADdamus de Vt & Ita,similibúsque.Duplicatur superlatiuum, vel altera ex parte nomen, vel altera ex parte aduerbium,vel vtrinque nomen, vel vtrinque aduerbium, cũ his indeclinabilibus quæ nominaui . Cicero de Oratore, Vt quisque optime Græce sciret,ita esse nequissimum. Idem in eodem,Vt enim quisque optime dicit,ita maxime dicendi difficultatem, variósque euentus orationis, expectationémque hominum pertimescit. Idem de Officiis, Vt quisque animi magnitudine maxime excellit, ita & maxime vult princeps omniũ, vel potius solus esse. Quintil.Quod vt longe optimum,ita difficillimum.Et iterum,Nõ vt quidque primũ dicendum,ita primum

Quidque.

occurrit. In quo caueamus, ne pro quidque dicamus quodque. Quodque. Multum enim refert inter hæc duo. In Catone maiore vtrunque superlatiuum sustulit Cicero, Vt quisque ætate antecedit, ita sententiæ principatum obtinet. quod facere alibi solemus: vt in illo, Homo in primis doctus: non, in primis doctissimus: In primis. ne duas res superlationem habentes coniungamus. Iusta igitur causa, quare Cicero superlatiuos prætermisit. Quæ causa Donato in Eunuchum Terentii non fuit, qui ait, Vt quisque miser est, ita senior videtur. Nam præter id, quòd non adhibuit superlatiuum, etiam confusionem quandam fecit ex positiuo & comparatiuo. quod ita emendemus, tum per aduerbium, sic, Vt quisque maxime miser est, ita maxime senex videtur: tum per nomen, sic, Vt quisq; miserrimus est, ita annosissimus videtur: tum per alterum aduerbium, alterum nomen, ita, Vt quisque maxime miser est, ita annosissimus videtur: vel, Vt quisque miserrimus est, ita & maxime senex videtur: tum per comparatiuum, nam & hoc idem efficit quod superlatiuum, hoc modo, Quò quisque miserior, vel, Quò quisque magis miser est, eò senior: vel eò magis senex videtur. Quod ita licere fieri, exemplo probandum est. Quintilianus secundo institutionum, Quò quisque ingenio minus valet, hoc se magis attollere ac dilatare conatur. Et paulo pòst, Erit eò etiam obscurior, quò quisque deterior. Iustinus autem siue Trogus superlatiuum cum comparatiuo miscuit, inquiens lib.16, Locupletissimus vt quisque est, ita plures equites in bello suo regi præbet. Ego dicerē, ita plurimos. quin & ita ab illo scriptum fuisse suspicari libet. Dicebā paulo antè, non licere dicere, in primis doctissimus: idem sentio de inter primos, & cū primis. licet Sallustius (si modo codex non sit mendosus) aliter dixerit, Ac sanè, quod difficillimum in primis est, & prælio strenuissimus erat, & bonus consilio. Similia his sunt, In paucis, cū paucis, inter paucos: item, Super omnes, ante alios, præter cæteros. Sed hæc etsi positiuo frequentius gaudeant, tamen nonnunquam patiuntur superlatiuum. Vt Plinius lib.27, De vsu absynthii conuenit dicere, Herbæ facillimæ, atque inter paucas vtilissimæ. Virgilius septimo AEneid.

Superlatiuus dictionē refugit quæ vim habeat superlatiui.

Petit ante alios pulcherrimus omnes
Turnus auis, atauisque potens. Et in eiusdem operis primo,
Pygmalion scelere ante alios immanior omnes.

EPITOME.

Tantum & Quantum, & similia in um, absoluto quadrant, aut comparatiuo pro absoluto posito. Et si sint mera aduerbia, admittuntur cōparatiuo. Sed Tāto, Quanto, & similia in o, comparatiuo expresso vel subintellecto & interdum superlatiuo

cæterísque vim excedendi connotantibus, cuiusmodi sunt,Ante,post,cū cõpositis alius,aliter,secus,diuersus,& similia. TAM autē & QVAM etiam separatim posita,superlatiua non respuunt significantia excellentissime cum positiuo : vt Causa tam optima,id est tam excellentissime aut excellenter bona. Verum,vt ex litera colligitur,in diuerso sensu tribus cohærent gradibus,sed ferè similibus, imo rectius similibus. Quia illud Ouidii,Tam fœlix esses, quàm formosissima vellem: poeticum est : nisi sit ordo,O quamformosissima,vellem esses tā fœlix,quàm,scilicet formosa: quæ constructio esset Latina, sed dura. Dixi in um quadrare comparatiuo pro absoluto posito. vt apud Terentium , Eius frater aliquantulum ad rem est auidior. id est auidus. Et illud , Praxiteles propter artificium egregium nemini est (paulum modo humaniori)ignotus. Humaniori, id est humano : videtur tamen in vtroque comparatiuum potius vim suam retinere , vt sit auidior cæteris, aut quàm par est: & humaniori cæteris. Nam leguntur authores classici cum indubitatis ea construxisse comparatiuis,sed dici tunc possunt mere aduerbia quæ declinationem non agnoscunt:ídque ferè vbi non est contrapositio duorum. Quintilianus, At qui paululum superiores. Aulus Gellius,Sed tamen esse aliquantulum breuiora. Val. Maximus cum contrapositione etiam dixit,Quantum domo inferior,tantum gloria superior euasit. Iuuenalis,Quantum sublimior Atlas &c. Dixi,Vel subaudito : vt in illo Plautino , Bis tanto amici sunt inter se quàm prius : intelligitur magis , ad quod refertur quàm. Sane refellatur eorum error qui putant QVANTVM & QVANTO misceri non posse. nam Virgilius erudite miscuit, Quantum exuperas , tanto impensius,&c.

De Hoc magis,& Eò magis,Tantum & Tanto, similibúsque,quomodo iungantur gradibus. CAP. XVI.

HOc magis,& Eò magis,idē est,quod tātò magis. Item quò magis,idem est,quod quanto magis. Quare admoneor,vt aliquid de horum omnium natura præcipiam : positiuos magis decere Tantum & Quantum , comparatiuos Tantò & Quantò. Cicero, Quantò es maior , tantò te geras summissius. Non autem, quantum es maior, tantum te geras summissius. Contrà, Quantum potes,tantum elabora. non autem, quantò potes , tantò elabora. Lactantius tamen præter morem oratorum inquit,Quantò frequenter impellitur,tantò firmiter roboratur. Et Boetius in dialecticis dixit,Paulo æquales. hic pro paulum,dicens paulo:ille pro frequentius firmiúsque,frequēter firmitérque. Tolerabilius,quod facit poeta Catullus, Tantò pessimus omnium poeta , Quantò tu optimus omnium patronus. In superiore Lactantii exemplo,bis peccatū est in vtroque membro. Quidam peccant in altero,vt si dicatur, Quātò frequentius impellitur,tantò firmiter roboratur. Vel,Quantò frequēter impellitur, tantò firmius roboratur. Nisi ita venuste dicas, vt Virgilius in duodecimo,

O præstans animi iuuenis, quantum ipse feroci
Virtute exuperas,tantò me impensius æquum est Consulere.

Et Quintilianus in primo, Quid autem aliud in noſtris legionibus cornua,ac tubæ faciunt?quorum concentus quãtò eſt vehementior,tantò Romana in bellis gloria cæteris præſtat.quod non licuiſſet aliter dicere.Proxime autem advim comparatiuorum accedunt illa aduerbia Antè & Pòſt,ſiue præpoſitiones. vt, Tantò antè ego veni,quantò tu pòſt veniſti. Et illud nomen Alius,& eius aduerbium Aliter,& huic ſimile Secus.vt Quintilianus,At quãtò alius fuit ille infœliciſſimi iuuenis affectus. Et Terẽtius,Verum aliter euenire multò intelligit. Et Cicero,Multo ſecus euenit.Nam quod dico de tanto & quanto, idem intelligo de aliquanto,de multo,de paulo,cæteríſque ſimilibus. Rurſus quod de tantum & quantum,idem de aliquantum,de multum,de paulum,& reliquis.Sed quia hæc tranſeunt in aduerbia, ideo nonnunquã his quæ exeunt in um , abutimur pro his quæ exeunt in o : præſertim quando non eſt illa contrapoſitio duorum,vt ſuperioribus exemplis oſtendimus.Iuuenalis,

Deſpiciam quid ſit quantum ſublimior Atlas. Terentius,

Eius frater aliquãtum eſt ad rem auidior.Quintilianus, At quidam ſi fortè ſuſceperint negotia paulum ad dicendum tenuiora,ea conuitiis implent. Ita in aduerbiis præpoſitionibúſq; multum antè,vel multo antè,paulũ pòſt,vel paulo pòſt. Verbis autem ſemper ferè conuenit per um potius, quàm per o, exceptis ab ante,à præ,à poſt compoſitis,more eorum vnde componuntur,vt multo præſtat,& multum præſtat. Salluſtius,Multo præſtat maleficii quàm beneficii immemorẽ eſſe. Ita Multum, vel multo antecellit,Paulumvel paulo poſthabui tua negotia meis. Tam & Quàm ſimilia atque eadem videntur, tantum & quantum:ideóque rarò cum comparatiuo iunguntur.vt Virgilius,

Tam magis illa fremens, & triſtibus effera flammis,
Quàm magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnæ.

Cum ſuperlatiuo frequẽtius:vt,Tam hic eſt omnium optimus, quàm nobiliſſimus. Salluſtius, Quàm quiſq; peſſime fecit,tam maxime tutus eſt.Quod idem valet,ac ſi diceret,Vt quiſque peſſime fecit,ita maxime tutus eſt.Terentius,

Nanque adoleſcens quàm maxima in ſpe ſitus erit,
Tam maxime patris pacem in leges conficiet ſuas.

Solent poni tam & quàm ſeparatim, & alterum ſine altero , vtrunque in ſignificatione vehemẽtiæ. vt Cicero, In tam optima cauſa non debeo timere . id eſt in tam valde , ac perquam valde bona cauſa.Et iterum,Nondum erat veſtris tam grauiſſimis,támq; multis iudiciis, ignominiíſque conciſus . id eſt tantopere grauibus. Philipp. 12.

De Quàm, hoc ſit exemplum, Tu es homo quàm iucũdiſſimus. id eſt valde, vehementerque iucundus. Sed de hoc diſſerendum eſt latius, ideòque non in eundem locum includam.

EPITOME.

PER particula ſignificans valde aut vehemẽter, poſitiuo nomini aut verbis, non comparatiuo aut ſuperlatiuo ſubditur: nec per compoſitionem, nec vt præpoſitio, ſed auctiua particula. QVAM autem, pro eo quod eſt quantum, poſitiuo quidẽ adhæret, ſed per figuratam locutionem, vt dũ admiratiuè, infinitè, vel interrogatiuè loquimur. Rarius, tamen nonnunquam ſic ſuperlatiuo iunctam legas, ſed poſitam pro perquam. QVAM pro quanto legitimè, licet non frequenter comparatiuo datur. QVAM pro valde, ſuperlatiuo, idque cum verbo principali & citra figuram: & vt iam patuit, pro excellenter in ſummo gradu. Quo modo accipi poteſt illud Terentii, Quàm intimum, id eſt excellenter charũ: aut pro poſitiuo accipitur. Nam & intimior inde fit: ſicut à proximus, proximior. Vlpianus lib. 30. ad edictum, Siquis proximior naſceretur cognatus. Neque tamen QVAM ſuperlatiuo iuncta, rectè ſignificat quando, aut quo tempore: in ea enim ſignificatione dicendũ eſt, cum, vt, vel vbi. Nec venuſte dicas quamplures, ſed complures, licet nonnulli ita locuti legantur. At quia dicere poſſum pro diuerſo quamprimum & cũprimum, attendenda eſt ſignificatio: vt ſi dicere voluero, Veniam valde cito, dicam Veniam quamprimum: ſi Tam cito quàm potero, vel Cum primum potero: dicã, Veniam cum primum, vt primum, vel vbi primum potero. Nec dicam, Quamprimum adueneris, cœnabimus: ſed Cum primum, &c. Adhærere tamen videtur QVAM ſic ſuperlatiuis, interueniente verbo Poſſum, queo, valeo, licet, datur, permittor, aut ſimili: ſed verius adhæret ſic verbo: vt Dicam quamoptime potero, aut valebo. ordo eſt, Dicam optime quàm, id eſt quantum potero, aut valebo. Venuſte autem particula QVAM cum vt, aut pro, aut relatiuo, ſequitur cõparatiuum, hoc modo, Iunior eſt, quàm qui, aut quàm vt tale bellum gerat. Maius eſt onus, quàm pro humeris tuis. Veruntamen QVAM pro valde iuncta particulæ poſitiuum efflagitanti, illi legitime cohæret: vt Perquàm, oppido quàm, ſanè quàm pauci dicendi ſunt eloquentes. At ſuperlatiuo iuncta, quia ſignificat idem quod PER cum poſitiuo (idẽ enim eſt perdoctus & quamdoctiſſimus) genitiuum refugit, ſicut & poſitiuum nomen. vt non dicetur, Vir omnium quamoptimus, ſicut nec omnium perbonus: loquor de genitiuo ſuperlatiuis proprio: nam dicere, vt opinor, liceat, Vir multarum rerũ quamdoctiſſimus: ſicut Multarum rerum perdoctus. Dixi in principio huius epitomes cum authore, PER ſignificans valde, &c. quia ſi ſignificet quaſi per medium, aut perfectionem quandam, aut perniciem ſeu prauitatem, vt in mere compoſitis non refugiat comparatiua aut ſuperlatiua. Vnde Horatius, Arcaníque fides prodiga pellucidior vitro. Sic magis peruium, & maxime peruium bene dicas. At ſi perlucidum, pro valde lucido acceperis, perlucidius ne dixeris. Item Perfectus, perſpicax, pernix, & cætera verè compoſita, vt quæ prauitatem connotent, Perditus, peruerſus, pertinax, pertuſus, perplexus, peruicax, & ſimilia, comparatiua & ſuperlatiua rite formant. Non ſic perdoctus, ſed pro eius comparatiuo dicetur, multo doctior: & pro ſuperlatiuo, quàm doctiſſimus. QVAM per figuram cum poſitiuo adhæret, vt ſi dicam, Quàm doctus fuit Cicero! Neſcio quàm doctus fuit. Dii boni quàm doctus fuit! Interdum etiam citra figuram, ſed aut licẽter, vt cenſet Valla: aut QVAM pro perquam ponitur, quod placet: ſed tot ſunt claſſicorum exempla, vt refellere non auſim: malim tamen loquendo præceptum hoc ſequi. innumera ſunt apud Quintilianum, præſertim in declamationibus, exempla: multa apud Ciceronẽ & alios, quorum quædam, vt excuſes bene, figuratè legas, quædam tamen vix bene. Hæc autem cõtra Vallam adducta legi. Cæſar Comm. lib. 4. de bel-

lo Gallico, Vt quàm celerẽ atque instabilem motum haberet. Gellius lib.15.cap.9, Imo inquam potius nos,& quàm audaces,& quàm licentes sumus,qui frontem im probe indoctéque virili genere dicimus. Sil.lib.3, Magnis quàm læta fronte sacerdos. Tul.in Lælio,Quàm multa enim quæ nostra causa nunquam faceremus, facimus causa amicorum,&c.Id figuratè legi potest. Plin.lib.33.cap.13, Quare quæso? nisi vt quammulti eos conserui inferrent?Vbi interrogatio quidem est, sed non in dictione quammulti.Quod autem citant ex Tuscul.quæst.5, Abacósque quamplures ornauit argento auróque cælato,&c.legam cum Valla complures. At illud Varronis lib.2.de canibus,Quàm paucissimos relinques,tam optimi in alendo fiẽt:cõtra regulam non est:sicut nec illud Catonis in Re rustica cap.65,Quàm acerbissima olea oleum facies,tam oleum optimum erit. Verum in vtroque quàm & tam cum superlatiuo,videntur accipi prout & ita:non enim recte exponatur quàm acerbissima, id est valde acerba, sed vt acerbissima. Et est noua elegantia non conniuenter animaduertenda. QVAM pro quanto, cum comparatiuo est in illo Virgiliano, Quàm magis illa fremens,&c.Sic dicatur, Quàm eloquentior fuit Cicero Romanis cæteris,tam & doctior.

De Per & Quàm cum gradibus. CAP. XVII.

IDem nanque põderis in compositione habẽt Per & Quàm, sed alterum positiui proprium est,alterũ superlatiui:vt Perpulchre,perbelle,perdiligenter,quampulcherrime,quamoptime, quamdiligentissime, quorum exemplorum referta sunt omnia.Hoc intelligitur,quoties accipitur quàm,pro valde,siue vehementer.At contrà quàm pro quantum,nunquam cum superlatiuo,sed semper cũ positiuo:vt Cicero, Quàm morosi sint qui amant, ex hoc potes intelligere. Vides vt quàm pro quantum non potest adiungi verbo principali,duntaxat in recto modo loquendi,hoc est,quando non figurate loquimur,vt exprobrandi,deridendíve causa,hoc modo: Quàm cito venisti,quàm suauis homo es. Loquor autem quoties duo verba in eadẽ oratione inseruntur, semper cum verbo non principali iũgi,quàm pro quantum:pro valde frequenter vno verbo contentum esse, & in duobus principali potius gaudere,nonnunquam altero:vt, Vbi est lucrum,eò quamprimum aduolas.&,Ibi est lucrũ, quò tu quamprimum aduolas. At in hac differẽtia positiui & superlatiui aliqui se obiicient,afferentes Terentium in Andria, Reiecit se in eũ flens quamfamiliariter.Et in Eunucho,Post illa tempora tute scis, quàm intimum te habuerim. In quorum exemplorum priore est quàm pro valde cum positiuo, in posteriore quàm pro quantũ cũ superlatiuo.Egoverò accipio illud quamfamiliariter,pro quantũ familiariter figuratè: quasi,ô quantum familiariter.& hoc intimum accipivolo pro positiuo,sicut proximũ.Dicimus nanque,Hic est mihi magis proximus : ita,Hic est mihi magis intimus.Neq; in hoc toto meo opere tam licentiam poetarum consector,quàm vsum oratorum.Neque siquid

Nota diligenter.

aliter penes authores reperiatur, mihi obesse debet, qui non legem scribo, quasi nunquam aliter factum sit, sed quod frequentissime factitatum est, præsertim à Marco Tul. Marcóq; Fabio: apud quos si quando reperiatur quàm cum positiuo pro valde: aut cum superlatiuo pro quantũ: ausim affirmare mendose scriptũ. vt in procemio de Oratore, Quàm boni perdiu nulli. quasi de valde bonis, & non potius de bonis loquatur. Vera scriptura erat, Boni perquam diu nulli: aut potius Quũ boni perdiu nulli. aliter enim videtur non congrue dici. Quod vitium scribendi vtinam in paucioribus esset. Quod Cicero ipse illo suo eruditissimo seculo (quod vix credibile videtur) queritur: ita, vt apud Latinos mendosiores sint codices Latini, quàm Græci. Quanquam apud Græcos longe difficilior sit scribendi, quàm apud Latinos ratio. Nam cur non sæpius, quàm pro valde cum positiuo in illis reperiremus, si probassent potius quàm respuissent? Qua in re non verebor reprehendere Boetium, Priscianum, & elegantiorem vtroque Lactãtium. Primus super Ciceronis Topica ita ait, Nosti oblatrantis morsus inuidiæ, nosti quàm facillime in difficillimis causis liuor iudicium ferat. Mallem dixisse, quàm facile. Secũdus lib. 18. ita, Ideo ex vno libro Ciceronis tot vsus proponere statui, vt docerem quàm frequentissime hac constructione vsi sint authores eloquentiæ Latinæ. Latinius erat, quàm frequenter vsi sint, vel quam frequentissime vsos. Tertius ita lib. primo institutionum, Et quammulta alia de Deo nostris hominibus locutus est similia. Permulta ego dixissem. Idem lib. sexto, Hoc autem duplex sacrificii genus quàm sit verissimum, Trimegistus Hermes idoneus testis est. Et in principio statim libri de opificio inquit, Quàm minime sim quietus summis etiam necessitatibus, ex hoc Libello poteris æstimare. Puto Ciceronem quàm sit verum, & quàm parum sim quietus, potius fuisse dictorũ, qui scribẽs ad Trebatiũ in procemio, ita ait, Sed dũ fuimus vnà, tu optimus es testis, q̃ fuerim occupatus. non dixit, quàm summe occupatus, aut quàm maxime occupatus, aut q̃ occupatissimus fuerim. Quod autẽ dixi de quàm, nõ debere illud iungi cũ superlatiuo, quoties significat quantũ, vnũ verbum excipitur possum, & quæ idem significant, queo, valeo, licet, & siqua sunt alia. vt, Scribas quamoptime potes. Nec recte dicas, Scio quamoptime scribas. quod præter authoritatem summorum authorum etiam ratione nititur. Quia vbi est verbum potes, ibi quàm non iũgitur cum superlatiuo, sed cum verbo: sic, Scribas optime quàm potes. In aliis autem nequit iungi cum verbo: sic,

Possum. Queo. Valeo. Licet.

Scio optime quàm ſcribas, niſi alter ſit ſenſus. Ergo illud non planè Latinum eſt, Quàm primum mare intraui, exorta tempe ſtas eſt: ſed quum primum: &, Quàm primum potero, mare intrabo: vel Quum primum potero, vel vt primum potero, vel vbi primum mare intraui: aut vt primum, vel vbi primum potero, mare intrabo, Latinum erit. Ex his quæ dixi, colligitur, vbi eſt quàm pro quantum, ibi quoque poni poſſe ipſum quantum. vt Cicero de Amicitia, Niſi quòd tanta eſt inter eos, quanta maxima poteſt, morum, ſtudiorúmque diſtantia. Quintilianus in ſecundo, Quum aliquid adhibita quanta maxima poteſt cura, diligenter elimauerit. Vt quoque in locum quàm, vel quantum ſuccedit, nunc ſine ita, nunc cum ita. Primo modo ſic, vt apud eundem in duodecimo, Non omittẽda pars hæc orationis, ſed exigenda, vt optime poſſumus. Et Cicero in Philippicis, Quas vt honorificentiſſimis verbis ipſe conſequi potero, complectar mea ſententia. Altero modo ſic, vt apud eundem de Oratore, Hæc vt breuiſſime dici potuere, ita à me dicta ſunt. De poſitiuo autem nemini dubium erit, quàm & vt, conuenire cum poſſum: vt idem in Philippicis, Sed reliquum curſum vitæ quàm quidem poſſum breuiter perſtringam: & vt potui, breuiter perſtrinxi. Recte ergo pones, quàm pro quantum cum poſitiuo & ſuperlatiuo, intercedente verbo poſſum: Male autem cum comparatiuo, ſiue ſine poſſum: vt, Quamplura volumina ille compoſuit. dicendum eſt complura, non quamplura: vt quidam male ſcribunt. In aduerbio quoque ſuperlatiuo nonnunquam legimus complurimum pro plerunque. ſiue per poſſum: vt, Narraui rem geſtam quambreuius potui, aut quàm potui breuius. Cuius hic quidem ſenſus, ſed tamen barbare prolatus eſt, Narraui quambreuiſſime potui. quanquam hoc ſecundum poteſt accipi in eũ ſenſum, qui eſt, Quãbreuius potui, ſiue (vt apertius loquar) breuius quàm potuiſſẽ. Primus modus ſic accipi nõ poteſt. Nec hoc quidẽ barbarie caret, licet huius loci non ſit, Iſte eſt nimis iuuenis ad dãdũ ſibi tale negotiũ: quod ſic Latine diceretur, Iſte eſt nimis iuuenis, aut iunior, quàm vt ipſi detur tale negotiũ: vel, Eſt iunior quàm cui tale negotiũ detur. Cuius rei plurima vbiq; exẽpla ſunt. vt Quintil. Sed hoc apertius eſt, quàm vt probãdũ ſit. Et ita opus inchoatur Valerii Max. Vrbis Romæ, exterarúmque gentium facta, ſimul ac dicta memoratu digna, quæ apud alios latius diffuſa ſũt, quàm vt breuiter cognoſci poſſint. Id eſt, latius ſũt diſperſa, ita vt nõ breuiter cognoſci poſſint.

Quamprimũ

Vt.

Complura.

Quàm vt.

Quàm qui.

Item Quintil.in 10, Ideóque ne suscipiendæ quidem sunt causæ plures, quàm quibus se suffecturum sciat. In eandem rationem

Quàm pro.

cadit ille modus,qualis est,Maiorem geris vestem,quàm pro habitu corporis:vt Curtius,Maiorem quàm pro magnitudine,syluæ reddebant sonum.Illud hoc loco iocosum inserere non pudebit. Siquis interrogatus huiusmodi positiui perpulcher, qui comparatiuus sit,& qui superlatiuus? non aliter bene respondebit nisi ita,multo pulchrior, & quampulcherrimus. Ex his autẽ

Perquam.

duobus,de quibus diu disseruimus,per & quàm,cõflatur vnum perquam,quod vtri dandũ erit,positiuo,an superlatiuo?(vtrunque enim in eo partem sibi vendicat)certe positiuo,vel quia per anterius est:vel quia indecens videretur duo aduerbia vehementiam significãtia superlatiuo anteponi.Dicimus itaq; Perquam doctus,perquam eruditus,perquam pulcher.Et sicut verbo solet apponi per,ita perquam,vt peruelim,perplacet:perquam velim, perquam placet.Plinius iunior in epistolis,Perquam velim scire.nisi interpositum sit quàm, inter præpositionem & verbum, cum quo illa copulatur. quale apud Terentium, Per pol quàm paucos reperias meretricibus fideles euenire amatores.Quod sic resoluitur, Pol perquam paucos. Boetius tamen in commentariis logicæ breuioribus superlatiuo dedit,dicẽs, Apud scriptores quidem Græcos perquam rarissimos. Et Pomponius de origine iuris,digestorum Iustiniani lib.1, Nam ante eum Seruius duos libros ad Brutum,perquam breuissimos ad edictum scriptos re-

Curtius.

liquit. Et facundus scriptor Curtius lib.4, Bessum quoque Bactrianorum ducẽ perquam maximo posset exercitu coacto descendere ad se iubet. Sed huiusmodi exempla tam rara sunt, vt dubitem,an librariorum sit culpa. Certe ipse sic loqui non ausim. Aulus quidẽ Gellius hoc quod præcipimus semper custodiuit.Cæterum(vt est in loquẽdo curiosior)pro perquam ita loquitur,Sanequamvtile,voce admodumquam suaui,oppidoquã libens, nimisquam ineptum : quæ aduerbia idem pollent quod per,pro valde.Vsitatius tamen est perquam:vt Perquam vtile,voce perquam suaui,perquam libens,perquam ineptum. Tametsi Cæsar commentario 13, Quibus rebus oppidoquam pauci sub pellibus acquiescebant.Et Seruius Sulpitius ad Ciceronem scribens ita incipit,Posteaquam mihi nuntiatum est de obitu Tulliæ filiæ tuæ, sanequam pro eo ac debui,grauiter molestéq; tuli.Et ad eundem Cælius etiam ita incipit,Sanequam literis Cæsaris sumus commoti.Nam Cassius cis Euphratem Parthorum copias esse scripsit. Et Brutus quoque Decius ad eundem, Nam

ſuos valde quàm paucos habet. Et iterũ in eadẽ epiſt. Sanequam gauiſus ſũ. Quid plura? Ipſe quoq; Cicero ad fratrẽ, Nã quod de Põpeio Caninius agit, ſanequam refrixit. Non ſuccurrit mihi, ſi quod aliud exẽplũ apud Ciceronẽ repererim. Et Titus Liu. neſcio an alibi, quàm lib. 48, Quũ haud facile eſſet, aut ea quæ obiicerẽtur, aut quæ aduerſus ea dicẽda erãt, memoria cõplecti. Nec enim multa ſolũ, ſed etiam pleraq; oppidoquam párua erãt. Hæc igitur dantur poſitiuo, illa verò magis ſuperlatiuo, Multo & Lõge in eo ferè ſignificato, quo ſolet quàm cum ſuperlatiuo. Sed cum hac tamen differentia, quòd huic Quàm nõ tribuimus genitiuum illum ſuperlatiui proprium, aut ablatiuum, accuſatiúmve cum præpoſitione, vt fit ſine ipſo quàm. Marcus Tul. Acerrimũ autẽ ex omnibus noſtris ſenſibus, eſſe ſenſum vidẽdi. Et iterũ, Quẽ Craſſus dilexit ex omnibus plurimum. Non dixit quamacerrimũ, aut quãplurimũ ex omnibus, ſiue inter omnes.

EPITOME.

Lõge & Multo, & ſimilia in o, decẽter adhærẽt cõparatiuo & ſuperlatiuo, ac dictionibus exceſſum aut diuerſitatẽ cõnotãtibus. Facile autẽ ſuperlatiuo & verbis diuerſitatis aut exceſſus: híſq; nominibus Princeps, præcipuus, primus, ſecũdus. Valde autẽ poſitiuũ eflagitat, quẽ Lõge & Multo, niſi exceſſum aut diuerſitatẽ cõnotẽt, refugiũt. Minimũ aut Minime, licet Valla nõ dicat, habẽt vim ſuperlatiuã, quia genitiuũ ſuperlatiuo propriũ regũt: ſed Minimũ maxime diminuit in mole & numero, Minime maxime negat vt deduci videatur à minus pro nõ: cõfunditur tamẽ Vallæ differẽtia. Et vt ad elucidationẽ literarũ nonnihil addam, Pauciſſima ſunt vera aduerbia ſuperlatiua in e, & in um exeũtia, licet Donatus ita doceat. Aduerbia autẽ ordinẽ aut tẽpus cõcernẽtia, & in um & in o, in ſuperlatiuis exeunt, vt Primũ, extremũ, ſummũ, ſupremũ, ſecũdũ, tertiũ, &c. aut in o: ſed ſunt qui velint in um tẽpus, in o locũ & ordinẽ ſignificare: in qua ſẽtẽtia fuit M. Varro, vt recitat Gel. lib. 10. cap. 1. dicẽs, Verba M. Varronis ex lib. diſciplinarũ 5. hæc ſunt, Aliud eſt quarto prætorẽ fieri, & aliud quartũ: quòd quarto, locũ adſignificat, ac tres ante factos: Quartũ, tempus adſignificat, & ter ante factũ. Sũt etiã poſitiua aduerbia vix in e pronũtianda, vt raro vel rarẽter, nõ rare. Continuo, aſſiduo, ſedulo. Multa in o & in um diuerſis gradibus aptãda, vt Multo, pauco, tãto, quãto, nihilo, &c. quæ in o vidẽtur quaſi nomina, ſicut in um cũ verbis ad ſenſum pertinẽtia quaſi aduerbia, cũ ſint nomina, vt Toruũ clamat, Vitiũ aut hominẽ ſonat, &c. Dixi differẽtiã nõ vſquequaq; ſeruari. Nã minime pro minimũ ſecũdũ Vallæ diſtinctionẽ dixit Cicero, Vt ea ſi nõ decore, at quàm minime indecore facere poſſimus. Qui enim decore nõ facit, licet minimũ, indecore tamen facere videtur, nõ minime, id eſt nullo modo indecore. Idẽ, Proptèrea quòd minime ſibi quiſq; notus eſt, & difficillíme de ſe quiſq; ſentit. Nã vt detur quiſq; ſibi minimũ notꝰ, nõ tamẽ minime, ſi omnino neget: ergo illic pro minimũ accipitur. Illud autẽ eiuſdẽ Ciceronis, Quod quidem tu minime omnium ignoras, videtur mihi dictũ ſecundũ acceptionẽ Vallæ: nã poteſt quis omnino nõ ignorare. At inſtãt dicẽtes Minime illic habere genitiuũ ſuperlatiuorũ, ergo ſuperlatiuũ eſſe. Valla autẽ negat Minime eſſe ſuperlatiuũ. Ad ea dico primo nõ cõuincere ſuperlatiuũ eſſe, ſi ſimili modo regat genitiuũ: quia ſicut dicitur Primus omniũ, ita Vnus & ſolus omnium: quæ tamẽ ſuperlatiua nõ ſunt. Secũdo dico Minime eſſe aduerbiũ ſuperlatiui gradus, quia ſumme negat, cuius cõparatiuũ eſt minus. Nec Valla negat ſuperlatiuũ eſſe, ſed ſuperlatiuũ eius quod eſt parũ: quia quod minime fit,

omnino nõ fit: quod verò minimũ, fit quidẽ, ſed in minimo numero, aut in minima quãtitate: nõ tamẽ Valla negat ſũme negare, & ita eſſe ſuperlatiuũ negandi, habẽs in cõparatiuo minus pro nõ: ſicut minimũ habet cõparatiuum minus, id eſt magis parum. Itẽ Quintilianus, Mihi ſemper moris fuit quàm minime alligare me ad præcepta, quæ catholica vocãt: vbi tamẽ nõ male loquatur ſecundum Vallam, ſi accipiat quàm minime, pro omnino nõ, aut nullo modo. Sũt etiã qui notẽt in Vallã negãtẽ potiſſime dici illud Ciceronis, Hactenus mihi videor quid ſẽtirẽ potiſſime, dixiſſe: Superlatiua autẽ in o, exire probãt hoc eiuſdẽ teſtimonio dicẽtis. Cuius & illud exemplum, Scæuolæ te dediſti : quem omnes amare meritiſſimo, pro eius eximia ſuauitate debemus.

De Longe, Multo, Facile, Valde. CAP. XVIII.

ID quoq; fit in Multo, atq; in Lõge pro valde, & in Facile, pro nõ dubie, vt Quintilianus lib. 2, Declamandi ratio, vt eſt ex omnibus nouiſſime inuẽta, ita & multo eſt vtiliſſima. Idẽ, Lõge omniũ quos quidẽ mihi audire cõtigit, præſtãtiſſimus Domitius Apher. Et Marcus Tul. Sed ego neq; illis aſſentiebar, neq; harũ diſputationũ inuẽtori, & principi longe omniũ in dicendo grauiſſimo & eloquẽtiſſimo Platoni. Idẽ pro Rabirio, Virũ vnũ totius Græciæ facile doctiſſimũ Platonẽ. Amat etiã Lõge (vt multo) ſecũ iũgi cõparatiuũ: vt Virg. in 9, At pedibus lõge melior Lycus. & ea de quibus antea diſputaui, Alius, aliter, ſecus, ante, poſt. vt Longe alius, longe aliter, longe ſecus, longe ante, longe poſt. Et cõpoſita à præ: vt Lõge præſtãs, lõge præſtat. Quintilianus, Sed eũ lõge præcedũt ingenia viuẽtiũ. & cætera quæ ſuperlationem quãdã habẽt, & proxime ad cõparatiua accedũt: vt Lõge ſuperat, lõge vincit. & ea quæ diuerſitatẽ, more illorũ, alius, aliter, ſecus: qualia ſũt diuerſus, diſſimilis, alienus. vt Lõge diuerſus, lõge diſſimilis, lõge alienus. Princeps ne adiectiuũ quidẽ eſt more poſitiuorũ: tamẽ quia ſuperlationẽ ſignificat, adſciſcit ſibi lõge. vt idẽ, Nouẽ verò lyricorum lõge Pindarus princeps. & facile, pro eo quod eſt haud dubie. Marcus Tul. pro Cluẽtio, Nõ ſolũ municipii Larinatis, ex quo erat, ſed etiã regionis illius & vicinitatis virtute, exiſtimatione, nobilitate facile princeps. Præterea cũ præcipuus, cũ primus, cũ ſecũdus, & ſiqua alia ſũt. Quintilianus de Euripide loquẽs, In affectibus verò quũ omnibus mirus, tum in iis, quæ miſeratione cõſtãt, facile præcipuus, & admirãdus maxime eſt. Sic facile primus, vel facile ſũmus. Facile verò ſecundus dicimus, nõ ad ordinẽ reſpiciẽtes, ſed ad dignitatẽ. Quale eſt, Tu es facile ſecundus à rege. hoc eſt, facile poſt regẽ primus. Lõge igitur pro valde, propriũ eſt (exceptis paucis) comparatiui & ſuperlatiui. Ipſum autẽ valde poſitiui & verbi. vt Valde diues, valde pauper, valde laudat, valde vituperat. Nec auſim dicere, Lõge diues, lõge laudat: nec Valde ditior, valde ditiſſimus. Hæc autẽ, quæ à me de aduerbiis trãdũtur, nõ fuerũt intẽtata veteribus grãmaticis. Nã

Lib. 10. cap. 1.

nuper,quũ iã iſta cõpoſuiſſẽ, inueni in bibliotheca Beneuẽtana Sergiũ ſuper Donatũ ita dicẽtẽ,Donatus dicit quinque tãtũ aduerbia poſitiuo eſſe iũgenda,Tã,magis,maxime,minus,& minime:ea ſcilicet ratione, quoniã vim in ſe habẽt cõparandi,atque ideo nõ debẽt cõparatiuis caſibus iũgi,ne videatur cõparatio geminata.Qui enim dicit,tam doctior,penè hoc dicit,doctius doctior,quod latinitas nõ patitur.Probus autẽ dicit, omnia aduerbia,quæ vim augẽtis,aut minuẽtis in ſe habẽt,nõ debere cõiungi nec cõparatiuo,nec ſuperlatiuo,vt ſũt iſta,Valde, multũ,plurimũ,per,& ſimilia.Nã iſta omnia tantũ poſitiuis caſibus debemus adiũgere.Idẽ Sergius lõge poſt ita ait,Cõparatiuo & ſuperlatiuo quinq; hæc cõparationis aduerbia nõ apponemus,vt Tã, minus,minime,magis,maxime,quæ tamẽſoli poſitiuo adiiciẽtur.Hæc quæ tres authores tradũt,& imperfecta ſunt,nec omnino vera,vt ex eis datur intelligi,quæ ipſe præcepi.Dicim9 enim, Multo fortiſſimus,& Ego ſũ tã te fortior,q̃ nobilior:& Tã omniũ ſũ fortiſſimus,q̃ nobiliſſimus.Cõparatiua verò addi nõ oportere cõparatiuis,ne præcipiẽdũ quidẽ eſt.Quod autẽ poſuit minime & maxime,& ſimilia Sergius,non rectè poſuit. Nã minimũ,eſt propriũ aduerbiũ ſuperlatiuum:minime verò pro negatione accipitur,quaſi nequaquã. vt Hic homo eſt minimũ literatus, id eſt pauxillum literatus. Ego ſum minime literatus, id eſt idiota,& nihil prorſus habens literaturæ.

EPITOME.

Cõparatiuũ ſæpe nõ rẽverè exceſſam,ſed exceſſæ ſimilẽ,in ablatiuo regit:túncq; cõcinnius per accuſatiuũ quàm per nominatiuũ loquimur. Sicut ſæpe quaſi pleni9 & ſuauius quippiã per neutrũ genus quàm peraliud exprimim9,licet nõ plus ſignificemus. Ablatiui qui ferè illo modo regũtur,ſũt Annis,diebus,fide, opinione,ſpe, æquo,dicto,&c. Sic dicimus,Obtinui laudẽ maiorẽ patre tuo : nõ quàm pater tuus ſit,ſed quàm pater tuus obtinuit.quocirca verius dicatur,Obtinui laudem maiorem patris tui,ſcilicet laude.Illud etiam Virgilianum,Nec tempore ſegnior illo:ſic melius accipitur.Nec Vulcanus ſupple fuit illo tempore ſegnior,ſupple fœmina,id eſt quàm ſit fœmina,&c.Ad fœminam enim,non ad tempus,facit comparationem.

De proprietate quadam comparatiui. CAP. XIX.

ATque hæc hactenus.Illud ad extremũ adiiciamus de cõparatiuo,cõſuetiorẽ ſermonẽ eſſe per accuſatiuũ,q̃per nominatiuũ in illis,quale eſt, Tu maiorẽ laudẽ aſſecutus es patre tuo,tuiſq; maioribus . vix audeas dicere,Tua laus eſt maior patre tuo. Tamẽ ſolemus aliquando ſic vti:vt Virg.in 8.AEneid. Haud ſecus ignipotens, nec tẽpore ſegnior illo. Et Quintil.de apibus pauperis,Vnũ rogo,ne cui minor veſtra dignitate videatur cauſa litis meæ.Et in 3.Inſtit. Nõ debes apud prætorẽ petere fideicõmiſſũ,ſed apud cõſules : maior prætoria cognitione ſũma eſt.Fortaſſe videatur molli9 in obliquo caſu.quod ſi ita nõ eſt,vo

lo tamẽ annotatũ eſſe,ꝙ incõſueta vox auribus hæcvidetur eſſe, Maior ſũma pecuniaria eſt prætoria cognitione.pro eo quod eſt, maior ſũma eſt,quàm vt apud prætorẽ peti poſſit. Minor cauſa dignitatevestra,pro eo quod eſt,minor,q̃ vtvideatur digna,quæ apud dignitatẽveſtrã agatur.EtVulcanus nõ ſegnior illo tẽpore, pro eo quod eſt,ſegniori tẽpore,q̃ illud fuit.A quo nõ diſſimile illud eſt, Ego ſũ maior viginti annis,pro eo quod eſt, ego ſum maioris ætatis,quàm ea quæ eſtviginti annorũ,vel maioris ætatisviginti annorũ.Nã & hoc licet dicere,quale etiã eſt,Ego ſum maior viginti annorũ,id eſt ætate tali:vel Ego ſũ ætatis maioris ætate viginti annorũ. Frequẽtiſſimè autẽ huiuſmodi genere orationis vtimur,vbi adeſt hoc nomẽ opinio:vt,Sum ditior opinione hominũ,nõ quaſi opinio hominũ diues ſit:quũ ſic accipi debeat,magis q̃ opinio hominũ ſentit,vel quàm homines opinãtur.Cicero ad Brutũ ſuũ ſic exorſus eſt,Quũ è Cilicia decedẽs Rhodũveniſſem,& eò mihi de Quinti Hortẽſii morte eſſet allatũ,opinione omniũ maiorẽ animo cepi dolorẽ.pro eo quod eſt maiorem,quàm ille, quẽ in me omnes opinãtur. Nec illud ab hoc multũ recedit,quũ dicimus,Nihil iſto homine peius, nihil tuo patre abiectius , nihil hoc vino inſuauius : pro eo quod eſt, Nullus homine iſto peior,nemo patre tuo abiectior,nullũvinũ hoc inſuauius.Rurſus in laude:Nihil iſto homine melius, nihil patre tuo generoſius,nihil matre tua ſãctius,nihil vxore tua verecũdius,nihil hocvino ſuauius.Dictũ eſt de omnibus rebus,nõ tãtũ de ſingulis.Interdũ etiã vbi nihil plus cõprehẽditur in vniuerſo, quàm in parte:vt Nihil eſt te literatius, nihil eſt illo prudẽtius,nihil eſt iſto inhumanius: nihil plus ſignificatur hoc modo,quàmſi dicas,Nemo te literatior,nemo illo prudẽtior,nemo iſto inhumanior.quoniã literatura,prudẽtia,inhumanitáſq;,nõ niſi in homines cadit.Quid ergo in neutro genere potius,quàm maſculino & fœminino prolatũ eſt? nẽpe,quia neſcio quid plenius & ſuauius in neutro genere eſt.Ideóq; tali ſermone delectati authores ſunt,vt ipſorũ crebra exẽpla documẽto eſſe poſſunt, quæ inquirẽtibus notiora erunt, q̃ vt à me huc afferri debeant.

Opinio.

Neutrum genus ſuauius.

EPITOME.

Nomina quæ in cõpoſitione variã aſſumũt declinationẽ, in tritiore ſũt nobis vſurpãda:vt à ſõnus dicetur potius ſemiſomnus quàm ſemiſomnis:& cõtrà ex ſomnis & inſomnis,quàm ex ſomnus & inſomnus.Sic res dicẽtur inanimæ potiꝰ quàm inanimes;vt,Tu potes vnanimes in prælia vertere fratres, potius quàm vnanimos. Idẽ dictũ eſt de nominibus,Iugerũ,vas,euẽtus:idẽ quoq; in verbis & verbalibus ſeruãdũ In verbis,vt frequentius dicas,Curſito,quàm curſo. Itẽ Meio,quàm mingo: licet dicatur minxi.Itẽ Populabũdus,potius quam populitãs,&c. Scribã ex ſomnis, ne ſi exõnis ſcribã,putetur venire ab ex & omnis.ſicut Quintilianus ſcribit exſpecto,ne putetur à pecto:nec ſcribã cũ Deſpauterio exſopnis:licet originẽ nõ negẽ.

De compoſitis à Somnus. CAP. XX.

A Somnus compoſita quædam ſunt ſecundæ ſemper declinationis, quædam tertiæ. Secundæ, Cicero in Verrem, Hic etiam quum ſemiſomnus ſtuperet. Et Cælius in Antonium, Ipſum nanq; offendunt ſemiſomno ſopore profligatum. Et Salluſtius in Iugurtha, Signo dato, caſtra hoſtium inuadunt, ſemiſomnos partim, alios arma ſumentes fugant. Inſomnem, & exſomnem draconem ſæpe legimus, & ferè hanc differētiam ſeruatam inuenimus. Hæc admonui, vt in his nominibus, quæ ancipitem in compoſitione declinationem ſortita ſunt, tamen ſciamus vſum frequentiorem imitandum. Seneca autem de breuitate vitæ ait, Quàm multi heſterna crapula ſemiſomnes & graues.

EPITOME.

In oſus finita, ſi à nomine ſunt deducta, habitionem & copiam ſeu plenitudinem adſignificant, vt Animoſus, neruoſus: aut affectionem vehementem, vt Vinoſus, mulieroſus, libidinoſus, ſeditioſus, faſtidioſus. Si à verbo, aut actionem, aut paſſionem, aut vtranque. Actionem, vt Studioſus, faſtidioſus, ſtomachoſus, contumelioſus. Paſſionem, vt Odioſus & inuidioſus. Vtranque, vt Formidoloſus, operoſus. Similiter à nomine deducta, Voluptuoſus, religioſus. Sed moroſus, à nimiis moribus: curioſus, à nimia cura, quæ dicitur curioſitas. Cerebroſus, à peruerſo cerebro & noxio, non à nullo. Pannoſus, à groſſo & denſè conſuto panno, id eſt fruſto telæ laneæ. Vt Horatius in Arte,

Purpureus late qui ſplendeat vnus & alter
Aſſumitur pannus.

Formantur autem euphoniæ gratia interdum potius à diminutiuo, quàm à principali: vt Frauduloſus, meticuloſus, ſomniculoſus, ſiticuloſus. Quinetiam interdum addunt vt Voluptuoſus, laborioſus, curioſus, monſtruoſus, licet etiam monſtroſus dicatur. Interdum deponere videntur vt fœtoſus, quod vulgo dicitur: & bellicoſus, non belloſus à bellicus: tamen ſub alia forma ſunt vſurpanda, vt induſtrius, non induſtrioſus. Interdum ab alio deducuntur. Vnde pro eo quod ſit virtuoſus à virtute, dicitur ſtudioſus à ſtudio. Horum ea, quorum copia aut affectatio vitio datur, vituperant: quæ laudi, laudāt: vnde Vinoſus homo, mulieroſus, libidinoſus, famoſus, vitio dantur, quia maior eſt malorum quàm bonorum fama. Vnde famoſa meretrix, quæ infamis: at boni nominis famatus dicitur. In Iuuenale autem legitur, Fumoſos equitum cum dictatore magiſtros: non famoſos: licet Valla malum exemplar ſecutus ita legat. Loquitur enim de ſtatuis & imaginibus fumoſis ob vetuſtatem, diu videlicet in atriis nobiliū aſſeruatis, vt locus indicat. Non placet Calepino, vt curioſus à curia ducatur: & reuera à cura deducitur, per additionē i literæ, ſicut laborioſus: ſed à cura fortè fit curia vt curio: quo nomine non inepte dicatur qui vulgo curatus. Valla tamen putat curiā quoq; dici pro cura, quia dicitur incuria, non incura. Vir moribus præditus, moratus, nō moroſus dicitur: & Liber ethicus, moralis. Formantur autem ferè ab ablatiuo mutando vltimā vocalem in oſus, aut addendo oſus, ſi ſit quartæ, vt Gratioſus, nummoſus, lapidoſus, fructuoſus, ſpecioſus: formidulóſus autem à formidula. A monte montuoſus, per additionem: aut montoſus, per regulam. Virg. Et te montoſæ miſere in prælia Nurſæ, &c. Inuidia ſexcenties apud Quintilianū legitur pro odio ex atrocitate rei contracto: & Odiū pro moleſtia capitur: quia quæ odimus, moleſtè ferimus.

De nominibus in osus. CAP. XXI.

NOmina quæ exeunt in osus, partim à nomine descēdunt, partim à verbo, partim ab vtroq;. Et ea quidem quæ descendunt à nomine, habitionem siue vehemētiā, copiámve significant & affectionem: vt Animosus, ingeniosus, lacertosus, neruosus, saxosus, aquosus. Hæc copiam siue vehementiam, habitionémq; significant, quòd habent in se vehemētiam ac copiam aquæ, saxorum, neruorum, lacertorum, ingenii, animi. Vinosus, mulierosus, libidinosus, seditiosus, factiosus, qui affectus est ad hæc, & amat vinum, mulieres, libidinē, seditiones, factiones. Rursus ea quæ à verbo sunt, partim actionem significant, partim passionem, partim vtrunque. Studiosus, fastidiosus, stomachosus, iniuriosus, contumeliosus, curiosus, semper actiue ab authoribus accipi solent. Otiosum est in re aperta inculcare exempla, quæ vulgo sunt plurima. Hæc enim accipiuntur pro his, qui operam dant studio, qui fastidiunt, qui stomachātur, qui iniuriam, contumeliámq; faciunt, qui nimis curant, nisi velimus hæc à nominibus venire, non à verbis, vt Fraudulosus, qui fraudem facit: quod à fraudula diminutiuo videtur venire potius, quàm à fraude. quemadmodum Meticulosus, qui timidus est, à meticulo magis quàm à metu, & Somniculosus magis à somniculo quàm à somno, & Siticulosus magis à siticula quàm à sitivenit. Tenebricosus quoq; reperitur & tenebrosus. licet quædam ab vsu reguláq; recedant, vt mōtuosus potius quàm montosus, saltuosus quàm saltosus, tortuosus quàm tortosus. Verun tamen quæ sunt quartæ declinationis, assumunt u, vt vultuosus, actuosus, fructuosus. Ideóq; illud in Psalmo, Oues eorum fœtosæ: legendum est fœtuosæ à fœtus, sicut ediuerso plerique scribunt monstruosum pro monstroso. Lucan. Monstrosíq; hominum partus. Nec modo in osus faciunt nomina quartæ declinationis, verumetiam in arius, vt saltuarius, actuarius, fructuarius: quum nomina secundæ declinationis careant u, vt asinarius, caprarius. Odiosus & inuidiosus passiue. Ille enim significatur qui odio habetur, & cui inuidetur: nō is qui odit, & qui inuidet. Hæc passionem significant, vtique quū à verbo veniunt, secus quum à nomine. Nam odiū molestiam quoque antiquitus significabat. Teren. in Phor. Nūquam tuo odio me vinces. Et iterum, Si porrò esse odiosi pergitis. id est molesti. Cic. ad Attic. Sed quum horas treis ferè dixisset, odio & strepitu Senatus coactus est aliquando perorare. Et sic in Catone maiore, In infirmo corpore odiosa est omnis offensio. Et de Oratore, Verum si placet (quo-

Odiosus. Inuidiosus.

Odium.

niam hæc satis spero vobis quidē certe maioribus molesta & putida videri)ad reliqua aliquanto odiosiora pergamus. Odiosiora dixit, quasi molestiora. Inuidia autē præter illā significationem notā, est vel dicto vel facto in alterū maleuolentiæ conciliatio. Vt siquis referat ostendátve calamitates suas, vt authori calamitatum odiū cæterorū cōcitet. Et hoc vocatur inuidiā facere, vel vocare, vel adducere in inuidiā. inde inuidiosa res, quæ atrocitatem facti augens, inuisum illud vel illius authorem facit. Et inuidia quasi atrocitas, vel detractio. in quam significationem accipio illum versum, Inuidiam nimio cultu vitare memento. Nam latentem inuidiam, quia non deprehendo, vitare nequeo: sed eam, quæ extrinsecus significatur vel voce, vel gestu, quum populus indignè ferre se indicat in aliquo nimium & insolentem corporis cultum. Ideóque subiungitur, Quæ si non lædit, tamen hanc sufferre molestum est. hanc scilicet vel voce, vel gestu, vel vtroque modo detractionem. Quale illud quoq; Terentianum, Ita vt sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares. Et illud Sallustii, licet è Demosthene sit sumptū, Inuidiam gloria superasti. Formidolosus, Laboriosus, Operosus pariter actiue passiuéque accipiuntur. Terentius, Egón' formidolosus? id est, egóne, qui timeam? Sallustius, Regibus boni, quàm mali, suspectiores sunt, sempérque his aliena virtus formidolosa est. id est quæ formidatur. Cicero, Videtis vt senectus non modo languida non sit, verum etiam operosa. id est quæ agit, & rebus agendis operam dat. Idem pro Cælio, Vos laboriosos existimet, quibus otiosis ne in communi quidem otio liceat esse. Ouidius, Moles operosa laborat. Operosa quæ ab aliquo operata est, non quæ aliquid facit, vel vehementis operis, & multarum operarum. Ita res laboriosa, vel quòd in ea laborem capiamus necesse est, vel quòd plena laboris est. Voluptuosus quoque & Religiosus licet à verbis non veniant, tamen istis similia sunt, vt affectionem significent, & habitionem siue plenitudinem, simúlq; actiue accipiantur, & passiue. Voluptuosus homo, qui perquam amat voluptatem. Res voluptuosa, quæ in se habet voluptatem, vel quæ plena est voluptatis, & qua homo delectatur. Ille recipit, hæc recipitur. Religiosus homo, qui amat religionē. Sepulchra & monumenta religiosa sunt, id est habent in se religionem. Ille adorat, hæc adorātur. Præterea, Gloriosus, Famosus, Imperiosus, nōnihil & ipsa à cæteris differunt. Nam licet legamus gloriosam victoriam, id est plenam gloriæ: & apud Iuuenalem,

Famosos equitum cum dictatore magistros.

Inuidia. Formidolos⁹. Laboriosus. Operosus. Voluptuosus Religiosus. Gloriosus. Famosus. Imperiosus.

Et imperioſos populos, hoc eſt latũ imperiũ poſſidẽtes: tamẽ dicimus ita glorioſum hominẽ, affectatorẽ gloriæ: vt vinoſum, cupidũ vini: & mulieroſum, nimis appetentẽ mulieres. qualis miles glorioſus apud Plautum & Terentiũ. Et Famoſum, pro infami & turpi, vt famoſa mulier quæ noſcitur impudica eſſe.

Mulier famoſa.

Et imperioſus, oſtẽtator imperii in exercẽda ſæuitia, qualis Torquatus apud Liuiũ, qui filiũ ſecuri ob imperiũ contẽptum occidit, vnde imperioſus appellatus eſt. Verũ imperioſus & glorioſus quando honeſtæ ſignificantiæ ſunt, pro gloriã imperiũmq; habente, habitionẽ plenitudinẽmq; ſignificãt: quãdo inhoneſtæ, affectionẽ, vt dixi. Similiter quæſtuoſus & ſumptuoſus ab affectione magis quàm ab habitione ſiue plenitudine veniũt.

Quæſtuoſus. Sumptuoſus.

Quæſtuoſus, eſt homo auidior quæſtus & lucri, vndiq; lucella quæritãs. Sumptuoſus, qui auidior eſt ſũptus, quàm quæſtus, & immoderatũ ſumptum facit, id eſt immoderatas impenſas. Quæ duo magis poſſunt accipi actiue, quàm paſſiue, magíſq; ad homines pertinẽt. vt homo quæſtuoſus, homo ſumptuoſus.

Luctuoſus.

Luctuoſus verò magis ad rẽ, vt Res luctuoſa, hoc eſt plena luctu. Neſcio an liceat de homine miſero & afflicto dicere, Homo luctuoſus: ſicut, Fortuna huius luctuoſa.

Induſtrius. Virtuoſus ne dixeris.

Ab induſtria autẽ nõ habemus induſtrioſus, ſed induſtrius. Nec à virtute virtuoſus more Græcorum qui ἀπὸ τῆς ἀρετῆς nõ deriuãt ἀρετός, licet habeant ἀρετός. ſed pro illo dicunt tũ ἀγαθός, id eſt bonus: tum σπουδαῖος, id eſt ſtudioſus, Ariſtotele quoque & aliis quibuſdã teſtãtibus. Quod Cicero ad Herẽnium imitatus eſt, dicẽs, Ideóq; bonis viris, id eſt ſtudioſis amicus erat.

Studioſus. Moroſus.

Moroſus à more venit, nõ à mora. Primã enim habet longã vt mos moris: ſignificátq; eũ, qui nimis exacte, nimíſq; ad vnguẽ fieri omnia poſtulat, vt aliquãdo ob id indignetur ac iraſcatur. Vt Suetonius de Cæſare, Circa corporis curã moroſior, vt nõ ſolũ tonderetur diligenter, ſed etiã velleretur. Idẽ de Tyberio, Sed affectatione & moroſitate obſcurabat ſtylum. Cicero de Senectute, At ſunt moroſi, & anxii, & iracundi, & difficiles ſenes. Et idem ſecundo de Oratore, Me quidem hercle illa valde mouent ſtomachoſa, & quaſi ſubmoroſa ridicula, non quum à moroſo dicuntur. Tum enim non ſal, ſed natura ridetur. Suetonius accipit pro cupido nimis exactæ diligentiæ. Cicero verò adiungit impatientiam & iracundiam. In ſignificato tamen illo ſuperiore poſuit in Oratore, Vſqueadeo moroſi ſumus, vt nobis non ſatiſfaciat ipſe Demoſthenes. Denique ſic dicitur Moroſus à nimia diligentia & ſeueritate, vt Curioſus à nimia cura:

Curioſus.

quoties plus diligentiæ, quàm oporteat impendimus rebus vel

noſtris, vel alienis. Noſtris, quũ minutiſſima quæque diſquirimus, vt nullius frugis. Alienis, quũ de rebus cæterorum occultioribus nõ ſatis cum pudore perſcrutamur, aut interrogamus. Sed non tam à cura Curioſus videtur deſcẽdere, quàm à curia, cuius compoſitum eſt magis in vſu, incuria, id eſt negligentia, tametſi curia à cura dicatur. Atque vt Curioſus à peruerſa cura vocatur, ita Cerebroſus à cerebro peruerſo. Vnde Horat. Donec cerebroſus proſilit vnus. id eſt inſanus, & cerebri peruerſi. Pannoſus & ipſum aliquid differẽtiæ habet. is enim dicitur pannoſus, qui craſſo panno ac vili opertus eſt. Nec hoc niſi de paupere dicitur, quæ exempla ſunt plurima. Cerebroſus. Pannoſus.

EPITOME.

Verba in ſco, quæ potius meditatiua ſeu exercitatiua, quàm inchoatiua dicenda ſunt, non inchoationem, ſed exercitationem, ſeu paſſionem intrinſecus proueniẽtem connotant: cum in fio finita, extrinſecus illatam ſignent. Neque carent præteritis, ſed ea à perfectis mutuata, ad ſuam ſignificationem trahunt. Sæpe autem pro perfectis poſita leguntur. Caleſco igitur, dum intrinſecus calorem recipio: Calefio, dum extrinſecus. Calui, calorem recepi potius, quàm calidus fui, ſignificat. Cæterum non deſunt qui poſt doctrinam Vallæ, audent Priſciano ſubſcribere, vt Sulpitius Verulanus, vir anxie doctus. neque ſatis firma videntur Vallæ argumenta. Nam non ideo inchoatiua nũquam ſunt, quòd cum verbo inchoo aut incipio reperiuntur. Quia, vt dicit Alexander,

AEquiualens geminis harum ſi iungitur vni,
Dictio pro reliqua tantũmodo debet haberi. Et iteratiuis ſeu frequentatiuis à Valla quoque ſic dictis additur iterandi vox. vnde Plinius de Apelle, Gratior erat Alexãdro frequenter in officinam ventitanti. Sic Gellius, Ire viſere, dixit: cum viſere ſit, viſum ire. Et Terent. in Hecyra, It viſere, ad eã nemo admiſit. Sed dicet Valla tunc pro primitiuis accipi: ergo & ea in ſco, cum incipio, &c. Neque repugnat quẽ ægreſcere, id eſt fieri, aut incipere fieri ægriorẽ medẽdo: aut ſordidũ ſordeſcere adhuc, id eſt incipere ſordidiorẽ eſſe, & accipere nouos gradus ſordiditatis. Qui verò dicunt carere præteritis, ſi de propriis quantum ad formationem, intelligunt, nihil mentiuntur: vſurpant tamen voces præteritorum ſuorum perfectorum.

De verbis inchoatiuis, falſo ſic dictis. CAP. XXII.

GRammatici authores vno ore vniuerſi, qui de hac re ſcriptum aliquid reliquerunt, aiunt illa verba in ſco, vt caleſco, frigeſco, ſignificare inchoationẽ, ideóque inchoatiua: illa in ſo, vt viſo, deſyderiũ, ideóque deſyderatiua: illa in rio, vt eſurio, meditationẽ, ideóque meditatiua appellari ſolẽt. In quibus omnibus ab omnibus diſſentio. Sed Priſciano eruditorum nuperrimo potiſſimũ reſpondebo, qui (vt ordinẽ ſequar) inquit in illo Virgilii verſu, AEgreſcitque medẽdo, ſignificari inchoationem. Qualem medicum voluit eſſe Priſcianus, quo curante quis incipiat ægrotare? Quanquam quomodo curari quis antè poſſit, quàm ægrotus ſit? Neceſſe eſt ergo, vt antè ægrotare cœperit: & quum dicitur ægreſcere, vt intelligatur inter medendum

ægriorē fieri. Et hoc de Turno Virgilius intelligit, cuius augebatur ægritudo ad Latini salubria cōsilia. Sicut de Didone prius dixerat,

Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo.

Quid igitur attinet exēpla repetere, quū nūquā in sensu inchoationis reperiantur? An illud apud Quintilianum hoc significat? Tenuit cōsuetudo, quæ quotidie magis inualescit. Aut illud Ciceronis, Quantò plura ille miscebat, tantò hic magis in dies cōualescebat. Et illud Ecclesiasticum, Qui sordet, sordescat adhuc. Quo modo potest quid quotidie incipere validum fieri, & quidē magis, quod dicitur respectu præcedētis? at inchoationem nihil præcedit. aut quo modo quod sordet, potest incipere sordere? & sordescere adhuc, id est magis? quid magis? certe quàm antea incœperat. Sed quid ibi disputamus, quum dicatur, Qui iam sordet, sordescat adhuc? quasi sordidior fiat, nō autem sordere incipiat, quia iam sordet. Ideóque Græcè & hoc, & cætera huiusmodi verba per verba passiua explicantur. & illud Græce Sordescat, nihil aliud est quàm sordidetur. Plaut. in Captiui duo, Ego qui tuo mœrore maceror, macesco, consenesco & tabesco miser. Pro eodem penè accepit maceror & macesco, nisi quòd maceror ad animum magis pertinet, quasi affligor: macesco magis ad corpus. Videtur autem ratio dici velle potius macresco, vt nigresco, pigresco, ægresco. Sed etiam dici potest macesco, vt acesco. Crebresco tamen potius dixerim, quàm crebesco. Verum ad rem. Ediuerso Virgilius,

Quintil. lib. 2. ab initio.

Maceror. Macesco.

Crebresco.

Maria incipiunt agitata tumescere. Et iterum,

Fluctus vbi primo cœpit cum albescere ponto. Et iterum,

Sin in processu cœpit crudescere morbus.

Vbi quid opus erat dicere, quòd incipiāt res tumescere, albescere, crudescere: quū satis, imò magis propriū fuisset dicere, quòd tumescebant, albescebant, crudescebāt: id est, quòd incipiebant, siue inchoabant tumere, albere, siue crudere? Quid ergo significant verba inchoatiua? Nempe (vt breuiter finiam) quod verba cōposita à fio, calefio, frigefio, sordefio, inualefio, ægrefio, & ardefio. quæ ideo in vsu nō sunt, quia superuacuum esset, duas nos voces habere idē significantes: nec nisi vbi alterū deficit, alterius præsidio vtimur. Calescens pro calefiens, patescens pro patefiēs, quū vtrūque reperiatur, patesco & patefio: quanquā ne in simplici quidē suo reperitur fiens, nec quod ab hoc formaretur fiēdus. Dicemus itaque calescens & calefaciendus. Nec desunt qui fiens vtātur, sed in eo de quo loquor significato, vt in psalmo 21,

Et factum est cor meum,tanquã cæra liquefiens in medio võtris mei. Quũ in alia translatione dicatur,liquescens.Ex quo liquet eiusdem vtrũque esse significationis. Idiomate quoque Italico, atque Hispano (quod ex Italico oriundũ est) adstipulante, apud quod penè Latina voce hæc verba pronũtiantur,& certe in hũc, quẽ ego dico,sensum:quale est hoc,Ogni di magrisco,hoc est, omni die macresco, per quod incrementũ assiduũ atque continuum declaratur,non inchoatio. Quòd siquid inter huiusmodi verba in sco, & in fio, intererit, hoc esse arbitror, quòd hæc in sco passionẽ in se habẽt,illa verò extrinsecus allatã. vt In AEgypto Cæsar quũ hostes fugeret,elata læua natabat,ne libelli quos tenebat madefierent:melius quàm madescerẽt.Et quũ fores aperiuntur,melius patefiunt dicitur,quàm patescũt. At quũ quis in balneo sudore irrigatur,& fores sua sponte aperiũtur,magis ille madescit,quàm madefit: & hæ magis patescunt,quàm patefiũt. Inchoatiuorũ autẽ dicũtur præterita eadẽ esse, quæ primitiuorum.tamen paucissimis curæ est dignoscere,quãdo à primitiuis sunt,quandóve ab inchoatiuis.quorum multũ differt significatio,licet crebrior sit illa inchoatiuorũ,vt Pinguit,macruit, frixit,caluit,idem est quod pinguis factus est, non autem pinguis fuit.macer factus est,& frigidus,& calidus factus: non autẽ macer,frigidus,& calidus fuit. Nam pinguet idẽ est quod pinguis est:macret,friget,calet,idem quod macer est,frigidus est,calidus est.quorum præterita sunt pinguit,macruit,frixit,caluit: vix vnquam in hoc significato pinguis, macer, frigidus, calidus fuit: sed in illo,pinguis,macer,frigidus,calidus factus est,vt etiam in hoc apertius patebit exemplo , Tam cito macruisti ? Tam sero pinguisti? non id significo, quòd tam cito macer, aut tam sero pinguis fuisti,quasi nunc talis non sis:sed quòd pinguis,aut macer factus es, atque etiam talis es, siue tunc eras, si de alio tempore loquimur.Quæ præterita quia à primitiuis nõ veniunt (vt significatio indicat) necesse est veniant à deriuatiuis in sco. Vnde probatur etiam inchoatiua non significare inchoationem. Quare Seruius viderit,qui his verbis præteritũ non tribuit,quorum frequentius est,quàm suorum primitiuorum.Nam quod ait, Quia inchoatiua sunt, ideo carere præteritis, cassa ratio est, quũ hoc verbum inchoo etiã præteritum habeat. Verũ hæc verba nec inchoatiua sunt,& præteritũ habent. Illud transeo,quòd multa sunt quæ pro suis primitiuis accipiuntur,Conticesco,adhæresco,delitesco,concupisco,labasco,obdormisco, contremisco,expauesco,& his similia.

Verba in ſo tertiæ cõiugationis,à Priſciano deſyderatiua vocata: actum corporis, non affectum mentis important,ideóque potius inchoatiua vocari debeant. Vnum autem faceſſo,præter communem ſignificationem quæ eſt,factum eo vel facio, ſæpe accipitur pro eo quod eſt, ad recedendum eo, vel recedo. Quod inde tranſlatum videtur,quia qui ad faciendum it,recedit. Qui hæc quartæ putant, errant,decepti propter præterita & ſupina.

De verbis deſyderatiuis male ſic vocatis. CAP. XXIII.

NAm quæ idẽ author deſyderatiua appellauit, ipſius quoq; exemplo oſtenduntur, nequaquã eſſe deſyderatiuæ ſignificantiæ. Hoc enim exemplum ille affert, Virgilius in 8,

Nam memini Heſiones viſentem regna ſororis
Laomedontiaden Priamum.

Viſentem dixit pro cupientem videre,quod Græci dicunt ὀψέοντα. Idem & in eodẽ exemplo Seruius dixerat, Simile eſt facio faceſſo,capio capeſſo,lacero laceſſo, arceo arceſſo, accio accerſo, quæ poſſumus non incongrue deſyderatiua nominare. Sed quæro à Priſciano,cur magis Priamus cupiebat videre ſororem, dum iter faciebat, quàm quum erat in Troia? aut cur magis Priamus, quàm cæteri? aut cur ſolus? Poſtremo quis nouit voluntatem eius? quid agat video: quid velit,non video. Quid ergo ſignificat viſere? Nimirum id quod agit Priamus,ire ad videndam ſororem,quod frequentatiuum ipſius declarat, viſito. Itaque actum corporis hæc ſignificant verba,non affectum mentis. Viſo, vado ad videndum, non autem cupio videre. Cicero ad Atticum, Cupio equidem & iãpridem cupio Alexandriam,reliquámque Ægyptum viſere. id eſt (vt ego ſentio) ire ad videndum. Aliter dicendum erat, Viſo equidẽ & iampridem viſo. Quo certe modo ne Priſcianus quidem ipſe loqui auderet. Vſurpamus tamen hæc verba (quemadmodum de ſuperioribus teſtatus ſum) pro eorum primitiuis: vt, Miſſi ſunt legati viſendi cauſa,id eſt videndi. Quod certe ita exponi non poteſt,cauſa videre cupiendi. Tolerabiliórque, noſtra ſententia, expoſitio foret, cauſa vt eant ad videndum. Similiter faceſſo, eo ad faciendum, vel facio. Virgilius,

Viſo.

Haud mora,continuo matris præcepta faceſſit.

Faceſſo.

Frequentius tamẽ accipiaur pro eo ad recedendũ, vel recedo. Vt Liuius libro 1, Faceſſo hinc Tarquinios, aut Corinthũ. Capeſſo, eo ad capiendũ, vel capio: Laceſſo, eo ad lacerandum, vel lacero prouocando: Accerſo, vel arceſſo, vtrunque pro eo ad vocãdum, vel voco. Terentius in Andria, Obſtetricem accerſo. Quidã etiã in quarta cõiugatione vtũtur: vt ibi, Mitte in Ioppem, & accerſi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus.

Accerſo.
Arceſſo.

EPITOME.

In rio finita, non meditatiua, ſed potius deſyderatiua, aut optatiua vocāda ſunt: vt Parturio, deſydero, aut opto parere. In ſco ergo, meditatiua, id eſt exercitatiua: in rio, deſyderatiua: in ſo, inchoatiua aut initiatiua vocabūtur. Ea verò quæ frequentatiua aut iteratiua dicuntur, rectam obtinent appellationem.

De verbis meditatiuis non ritè ſic vocatis. CAP. XXIIII.

COmmodius autem deſyderatiua, atque optatiua vocarentur ea, quæ nominātur meditatiua in rio, parturio, eſurio. Cicero, Vtinam aliquando dolor populi Romani pariat, quod iādiu parturit. Et Liuius, Et quod diu parturit animus veſter, aliquando pariat. affectum ſignificauit, non cogitationem aut actum corporis, qui per hoc verbum indicatur. Vnde meditatio armorum, meditatio declamandi, meditatio gladiatorū, id eſt exercitatio. Eſurio, cupio edere. Quintilianus, Pater liberos eſurit. Valerius Martialis vndecimo Epigrammaton,

Philip. 2.

Meditor

In paſtu cadauerum.

In omnibus Vacerra quòd conclauibus
Conſumit horas, & die toto ſedet,
Cœnaturit Vacerra, non cacaturit.

Id eſt, cœnare cupit, nō cacare. Vel dicamùs hæc accipi pro primitiuis. Scaturio magis pro ſuo primitiuo ſcatet ponitur, quod eſt non ſolum aquarum, ſed herbarū, cæterorúmque ſua ſponte vbertim naſcentium. Quòd ſi volumus ſua quibuſque apta tribuere vocabula, nec à conſuetis recedere: ea quæ ſunt in ſco, appellemus meditatiua, id eſt exercitatiua. Qui enim caleſcit ſiue caleſit, quaſi meditatur: atque vt caleat, exercetur. Terētius, Nūc vide vtrum vis argentū accipere, an cauſam meditari tuam. Ea in ſo, inchoatiua: hæc in rio, deſyderatiua. Atque hanc opinor fuiſſe veram & germanam verborum ſignificationem, quā antiquitus impoſitam poſteritas deprauauit.

EPITOME.

Nomina ſubſtantiua, præſertim cum verbis affinitatem habentia, gerundium in di legitime ſibi aſſociant. quæ ſi infinitiuum habeant, Græcam faciant locutionem.

Adiectiua verò quæ præſertim genitiuum non regunt, infinitiuum verbum efflagitant. Quæ verò & nomina & participia eſſe poſſunt, dum nomina, gerundium: dum participia ſunt, infinitiuum deſyderant. Verborum autem quædam poſtulant tantum gerundiuum accuſatiui caſus cum præpoſitione, vt Induco, voco, ſto, ſedeo, vado, & ſimilia. Non enim, niſi more Græco, cum verbis motum importantibus infinitiuum conſtrua. quædam tantum infinitiuum, vt Iubeo, cogo, cogito, timeo, & ſimilia. quædam vtrunque, vt Hortor, flagito, paratus ſum, aptus ſum, idoneus ſum, & ſimilia. Subſtantiua hoc modo gerundium regentia ſunt huiuſmodi, Tempus, hora, locus, ſpatium, otium, opportunitas, idoneitas, aptitudo, occaſio, amor, ſpes, cupido, deſyderium, fames, ſitis, auiditas. Græcam autem figuram cenſet Seruius, ÆEneidos ſecundo cum dicitur, Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros. quod Latine diceretur, Caſuum noſtrorum cognoſcendorum, aut cognoſcendi caſus noſtros. Quando autem infinitiuus pro ſuppoſito ponitur, non

est locus gerundio: vt Optima res est agricolare,non agricolandi. Item,Non est mihi opus modo respondere:non respondendi. Adiectiua infinitiuum postulātia sunt,Dignus amari,dignus habere multas opes,lætus me bene valere. Participia quæ in nomina migrare possunt,sunt,Timens,cupiens,peritus,promptus,consuetus,cupidus,timidus,auidus: vt Timens nauigare,& nauigādi. Simile est de substantiuis:vt,Habeo mandatum,aut præceptum conueniendi te, aut tui conueniēdi. Mandatum est,aut præceptum est mihi te conuenire,aut vt te conueniam. Quia verò gerundia in di raro admodum passiue accipiuntur:ponemus infinitiuum passiuum cum dictis participiis,non gerundium in di: nisi præponatur genitiuus passiue significans,& gerundium fiat gerūdiuū nomen: vt,Mulier est cupida videri, non videndi:nisi sit,sui videndæ.Sum tui videndi cupidus,mei commendandi,&c.Item cum Virgilius dicit AEneid.primo,

Non nos,aut ferro Libycos populare penates
Venimus. Et Euangelium, Vado piscari. Latinius dixissent ad populandos & piscatum.

Vbi infinitiuo,vbi gerundio potius vtendum sit. CAP.XXV.

QVædam orationes infinitiuum magis postulāt, quædam gerundium,quædam vtrunque.Adiectiua magis infinitiuum siue actiuum, siue passiuum. Substantiua gerundium genitiui duntaxat casus. Nam de accusatiuo mox dicam. Tu es dignus habere opes,tu es dignus honorari, tu es lætus me bene valere, tu es lætus me honorari. Rursus, Tēpus est gaudendi, locus est expostulandi, commoditas est alloquendi. Participia autem,& multa adiectiua à verbis deriuata,vtranque formam sibi vendicant.Sed participia iuncta infinitiuis,dicuntur seruare vim participiorum:iūcta gerundio,vim nominum: Timens nauigare,& nauigandi: cupiens discere,& discendi: doctus,peritus,promptus,consuetus cantare,& cantandi.Timidus, cupidus,auidus nauigare,& nauigādi. Nam illud admonitione nō indiget,Optima res est agricolare,recte dici: Optima res est agricolandi,dici non recte. quia illud resoluitur, Agricolare est optima res:hoc resolui sic non potest,Agricolādi est res optima. nisi forte durè & asperè,sic, Ipsa enim res agricolādi est optima. Quare illum non probauerim,qui dixit,Non est mihi opus respondendi. quum esset dicēdum respondere: vt sit suppositum, me respondere:opus verò,appositum.Item Habeo à patre mandatum conueniendi te,Latinè dicitur.Mandatū est mihi à patre conueniendi te,Latinè non dicitur. quia mādatum hîc verbum est,vnde non potest regi huiusmodi gerūdiū: illic nomen substatiuū, vnde regitur gerūdii genitiuus, nisi in vtraque oratione expositione vtaris.In prima quidem vt sic intelligas, Habeo à patre mandatū conuenire te:scilicet hoc ipsum, cōuenire te. In secunda verò vt mandatum sit nomen, non verbum aut participium,quasi mandatum adest mihi à patre. Ad quā tergiuer-

ſationem confugere non poterit quiſpiam in talibus exemplis: Habeo in tabulis publicis à patre mandatum conueniendi te. Hîc non poteris dicere, conuenire te. item, Eſt mihi iniunctũ ac mandatum conuenire te: vbi dicere non poteris, conueniendi te. Cicero tamen ad vxorem nouo quodam modo locutus eſt, Quũ in animo haberem nauigãdi: pro eo quod eſt, nauigare. Vt libro primo de diuinatione, Haberétque in animo nauem conſcendere. Itaque ſubintelligitur propoſitum, ſiue voluntas. Sicut in illo fit apud eundem, Quũ illius diei mihi venit in mentem. Et alibi, Non minus ei venit in mentẽ poteſtatis, quàm æquitatis tuæ. Vbi quidã volunt accipi genitiuum pro nominatiuo. Mihi potius placet ſubintelligi cõditio, ſtatus, qualitas illius diei, tuæ poteſtatis, tuæ æquitatis, aut aliquid ſimile. Ita hic propoſitum ſiue voluntatem: vt ſit, Quum haberem in animo propoſitum nauigandi. Venio nunc ad accuſatiuum gerundii. Dicimus itaque, Induxi te ad nauigandum: non autem nauigare, niſi more Græcorum, qui quum careant gerundio, funguntur infinitiuo cum articulo, raro ſine eo: licet nunc quidam frequentiſſime vtantur: vt Non veni ſoluere legem, ſed adimplere. Plerique eruditorum dixiſſent, Non veni ad ſoluendam legẽ, ſed ad implẽdam: quos & ipſe nũc imitor, imitandóſque omnibus arbitror. Quam enim cauſam habes, vt alienam linguam ſecteris, relinquas tuam? Quanquam ne illam quidem ſequaris, quum careas articulis, quibus Græci vtũtur. Et quod illi habent καθότι, tu malis dicere, quia, aut quoniam, quàm quòd: vt in eodem, Putatis, quia veni ſoluere legem? quum eſſet dicendum, quòd. Sed ad rẽ. Vocaui te ad currendum, non currere. ſto ad prædandum, non prædari. ſedeo ad audiendũ, nõ audire. vado ad venandum, nõ venari. Rurſus, Iuſſi te arare, nõ ad arandũ. cogito inſidiari, non ad inſidiandum. timeo ædificare, non ad ædificandũ. Quædam verba cum vtroque conueniunt: Hortor te ſtudere, & ad ſtudendum. flagitor reſpondere, & ad reſpondendum. paratus ſum ſcribere, & ad ſcribendum. ego aptus ſum pugnare, & ad pugnandum. ille eſt idoneus militare, & ad militandum. Quæ omnia rara ſunt. nam pleraque huiuſmodi accuſatiuum poſtulant, vt bonus, vtilis, commodus, malus, inutilis, incommodus ad militandum. Quia.

EPITOME.

Fore, quia futuri temporis ſignificationem habet, reſpuit participia, niſi in nomina migrent. Compoſita fore, futurum quoque tempus connotant, ſed abſolute ferè pronuntiantur. Forem autẽ, fores, & foret, non differunt ab eſſem, eſſes, eſſet,

eorúmque constructionem habent. Non ergo dicemus, Amaturũ fore, sed esse, aut Amatorem fore. Quod autem Ouidius dixit, doliturus erit: sensus potest esse, siquis erit qui postmodum sit doliturus: itaque duo futura non coincidant. Nã hæ possunt simul verificari, Nemo est Antichristum visurus, &, Erunt multi Antichristum visuri: siqui eum videbunt, nondum sunt. Ciceronianum autem quod Mancinellus adducit, possumus construere, vt Fore non detur participio: sic, Diuinarem fore, id est futurum esse, studium tuum mihi aliquando expetendum: subaudi, esse. Digest. exemplum cum authore militat, qui dicit idem esse, forem & essem. si ergo rite dicitur, præstandum esset, etiam præstandum foret. Calepinus autem sic, Construitur Fore quandoque etiam cum participio præsentis temporis, quod est cõtra Vallam. Cæsar, Nonnulli etiam Cæsari nuntiabant quum castra moueri, aut signa fieri iussisset, non fore dicto audientes milites. Quod exemplum certè cõtra Vallam non est. Non enim Audientes participium est, sed nomen: quod rectè cum Fore construitur: vt Spero me amantem tui fore: non te. Et, Spero amicitiam nostram notam posteritati fore. non à posteritate. Sic dicto, non dictum, audientes dixit: & ne participium putes, rectè dixeris audientissimos, &c. Verba autem Mancinelli sunt, Participium passiuum futuri, etiam si in nomen nõ reuertitur, legimus recipere Fore. Tullius enim lib. tertio epistolarum familiarium, in epistola quadam ad Appium Pulchrum ita scribit, Quasi diuinarem tali in officio fore mihi expetendum aliquando studium tuum: sic cum de tuis rebus gestis agebatur, inseruiebam honori tuo. Et lib. 9. Digestorum sic legitur, Sufficeret id præstari, quod præstãdum foret. Sed tamen asseris idem esse forem fores foret, quod essem esses esset. Ouidius quoque participio futuri in rus ERIT futuri vocem coniunxit, Metamorph. 9,

-siquis tamen Hercule, siquis
Fortè Deum doliturus erit &c.

De participio in dus nil affero, cum id passim legatur. Quæ enim rara inuentu sunt, tantum obseruo. Hæc ille.

De differentia infinitiuorum Esse & Fore, & compositorum. CAP. XXVI.

FOre vocem quidem habet infinitiui vt esse, significationẽ verò participii, quod est futurum vnà cum infinitiuo esse. Idem est enim fore, quod futurum esse, non tantum esse: licet forem fores foret, idem sit, quod essem esses esset. Quare cum nomine iũgi debet fore, non cum participio: ne duo participia simul confundamus. Spero te amatorem, vel amicum fore: nõ autem amaturum fore, sed tantum amaturum: ne videaris hoc dicere, te futurum amaturum: quod ratio non patitur, quum futurum superuacuũ sit. Item de participio passiui futuri, Timeo te verberandum fore. Satis erat verberandum, vel adiuncto infinitiuo verberandum esse. Participia autem præsentis temporis & præteriti, videtur minus cõmunionis habere cum fore, quod ad futurum spectat, quàm participia futuri temporis: tamẽ plus habent communionis. Ibi enim ideo non cõuenit, quia superuacua significatio est: quod hic non fit. eóque sæpe quum istis coniunctum illud fore reperimus. sed ita transeunt in nomen, alioquin non cõgruant diuersorum temporum eodem in loco participia. vt, Spero te sapiẽtem fore, Credo me amantẽ tui fore,

non te. Seruant enim naturam nominis,non participii. Opinor te acceptum illis fore,non ab illis.Cicero, Spero amicitiam nostram notã posteritati fore.non dixit à posteritate. Quod si quãdo reperiatur retinere naturam verbi, quid mirum? quum etiã nomén ne sit,an participium,dubitari possit,& putari potius nomen. vt, Ego sum dilectus ab omnibus,& Ego ero dilectus ab omnibus.Nõ enim hoc est participium præsentis temporis aut futuri,nec tempus perfectum indicatiui,nec futurum subiunctiui,tamen cum præsenti iungitur & futuro . Propter quod debet potius nomen videri,sicut & participium futuri passiuum in nomen cõuertitur,túncque recipit Fore:vt Spero hunc puerum admirandum virum fore.id est admirabilem.Composita autem à Fore nullam controuersiam habent, quia ferè nuda ponũtur sine nomine & participio.Affore,vt Virgilius,Affore cernetis.Statius tamen libro primo Thebaidos videtur accipere pro significatione præsentis,

-sensit manifesto numine ductos
Affore,quos nexis ambagibus augur Apollo
Portendi generos vultu fallente ferarum Ediderat.

Defore, vt Marcus Tullius contra Rullum, Verum arbitrantur nõ defore qui illam restituerent.Abfore,quod minus in vsu est. Vnde dicũtur absfuturi.Confore & Profore apud Comicos.Profore,vt Horatius,

Quæ nocuere sequar, fugiam quæ profore credam.id est profutura esse.

EPITOME.

Supina,quia neque genus,neque numerũ,neque casum more nominum habent: non nomina, sed verba censenda sunt. Gerundia verò, quia casum nominalem habent,& regunt post se in significatione vtique actiua,participialia verba vocari solent . Sane Valla confuse loquitur & indistinctè de gerundiis & gerundiuis nominibus,dicens, Gerundia in vtroque numero habere casus & genera:quod gerũdiis non conuenit,sed tantum gerundiuis. & regere post se suorum verborum casus: quod tãtum gerundiis in singulari conuenit:in quo casus tãtum, non genus agnoscunt,& casus post se regunt.Eadem ergo voce dicas, Petendum est honorem,rẽ, vectigal:honores,res,vectigalia,&c.Differunt tamen à participiis tã gerundia quàm gerundiua nomina: quòd participia,tempus sine rei administratione connotant: gerundia,rei administrationem sine tempore. Verbi gratia,quando dico, Puer hic quantumuis perditus, est à matre amandus. id est amabitur. tempus futurum noto sine rei administratione:non enim dignum dico qui ametur,sed duntaxat quòd amabitur à matre.At cum dico,Puer hic cuique amandus, amabitur à nullo,rei administrationem:id est dignum qui ametur significo,ídque sine temporis differentia. Habent autem gerundia nomina casus omnes in vtroque numero, sed nullum regunt:verum reguntur cum substantiuis suis in eodem casu.

Supina non habere genus,numerũ,aut casum patet:quia indifferenter dico, Vado scitatum oraculum & oracula, sortes & libros Sibyllinos. Gerundia habere ca-

ſum patet: quia reguntur in nominatiuo, genitiuo, accuſatiuo, & ablatiuo more nominum: vt, Petendum eſt pacem. Ducor ſtudio videndi patres. Oblectatus ſum inter videndum patres, aut videndo patres. Dixi poſt ſe habere caſum: quia ante ſe nullum regunt. Vnde, In conueniendo populos in vnum, In cõuertendo dominus captiuitatem, & ſimiles: non ſunt Latinæ locutiones. Nec dices, Scribẽtem habendũ eſt calamũ: ſed, Scribẽti opus eſt calamo. Addidi, In ſignificatione vtique actiua: quia in paſſiua, abſolute ponũtur: vt Res ad intelligendũ difficilis, fit facilis ſæpe repetẽdo. Id eſt dũ ſæpe repetitur. In di verò, raro admodũ paſſiue legũtur, niſi fiant gerundiua nomina aut pluralis numeri, vt ſtatim dicã. Gerũdiua autẽ nomina eodẽ modo declinãtur, vt participia in dus: ſed non ſignificãt tẽpus vtilla. vt AEneid. 9,

Turne, quod optanti diuûm promittere nemo
Auderet, voluenda dies en attulit vltro.

Voluenda inquam dies, non quæ voluetur, aut volui debeat in futuro: ſed volubilis, & quæ tum voluebatur. Significat ergo adminiſtrationem rei, id eſt formam rei gerendæ, vnde & gerundia dicta ſunt. Reguntur autem cum ſubſtantiuis ſuis, ſicut cætera adiectiua: vt, Dies voluenda attulit. Habeo rationem diei voluendæ. Accommoda te diei voluendæ. Obſerua diẽ voluendam. O dies voluenda quid attuliſti nobis? Terreor à die voluenda, & ſic de aliis. Quia verò doctrina authoris confuſius traditur, quàm vt facile capiatur, dicemus diſtinctim quæ reſtant de ſingulis.

Gerundia in dũ conſtructa cum verbo ſubſtantiuo aut ſimili, nominatiui cenſentur caſus, regũntque poſt ſe, niſi paſſiue capiuntur, ſuorum verborum caſum: ſæpe tamen abſolute ponũtur, & indicãt quandam neceſſitatem & officii congruentiã, vertũntque ſuppoſitum verbi in datiuum. vnde Horat. in arte,

-ſi vis me flere, dolẽdũ eſt Primũ ipſi tibi.

Qui datiuus omnibus conuenit, vt Miſerendũ, ſeruiendũ, legendũ, vtendũ eſt mihi: præter quẽ ſuorũ verborum caſum habent. Ouidius, Vtẽdũ eſt ætate, cito pede labitur ætas. Virg. Pacẽ Troiano ab rege petendum. Lucret. Externas quoniam pœnas in morte timẽdum eſt. Eoſdem caſus regunt, dum ipſa accuſatiui ſunt caſus, aut eius more reguntur, vt mox dicemus.

Gerundia in di, à ſubſtantiuis affinitatem præſertim cum verbo habentibus, & quibuſdam adiectiuis genitiuum regentibus reguntur: ídque ferè in ſignificatione actiua, in qua poſt ſe caſum ſui verbi regere poſſunt, cõciniúſque ponuntur quàm gerundiua, quoties interuenit relatiuum. Paſſiue autem, nõ inuenuſte pro gerundiuis ponuntur cum genitiuo plurali, quaſi vtriuſque ſint numeri & generis omnis. Gerundiua autem nomina genitiui caſus, ab eiſdem, à quibus ſubſtantiua ſua, regũtur, ſed nullum regunt caſum. recipiũt autem cum genere diuerſas terminationes: potiúſque paſſiuam quàm actiuam rerum adminiſtrationem important. Exempla igitur ſunt, Rapior ſtudio videndi patrem. Sum cupidus videndi patrem: non, videndi à patre. Pulchrius tamen (vt dicemus) loqueremur per gerundiuũ nomẽ, niſi interueniat relatiuũ: cuius interuẽtu, locũ habet gerũdiũ. vt, Hic dies attulit initiũ dicẽdi quæ vellem. nõ eorũ dicẽdorũ quæ vellẽ. Cũ genitiuo plurali: vt, Veſtri adhortãdi cauſa, apud Liuiũ. nã genitiuus primitiuus eſt à vos, veſtrũ vel veſtri. & Iſtorũ nominandi, apud Plautum. Sui irridendi, apud Ciceronem. quæ exempla in litera patẽt. Illud tamen Plautinum manifeſtius erit, ſi animaduerterimus loqui de obſoniis multis, quorum illi potius nominandi quàm edendi, hoc eſt comedendi erat copia, cum ea non haberet. De gerundiuo hoc ſit exemplum, Cupidus ſum patris videndi, matris videndæ, templi videndi, parentum videndorum, ſororum videndarum, ſpectaculorum videndorum. ſed ad vitandam ſyllabæ coincidẽtiam, non inepte dixeris, videndi ſpectacula. Mancinellus docet etiam paſſiue capi gerundium in di, ſed id rarenter, & apud vnum Iuſtinũ. verba eius in fine huius ponẽtur.

Gerundia in dum, conſtructa cum verbis & nominibus regentibus accuſatiuum, mediantibus his præpoſitionibus Ad, ob, propter, ante, inter, & ſimilibus, tam actiue

quàm passiue capi possunt.sed actiue, suorum verborũ casum post se regunt: passiue, nullũ. vt apud Sallustiũ, Ipse ad imperandũ vocaretur. id est vt ei imperetur. Cũ verbis sine præpositione licet rarius cõstruũtur. Nã Columella dixit, Vt poeticis numeris explerẽ Georgici carminis omissas partes, quas post se memorandum reliquit. Vbi MEMORANDVM regitur à verbo RELIQVIT, & regit accusatiuũ QVAS: consuetius tamen dicas MEMORANDAS. Cũ INTER verò, significant ferc quod imperfectũ subiũctiui, addita particula CVM. Gerundiua autem nomina accusatiui, vtriusq; numeri, & omnis generis, cũ eisdẽ cõstruũtur, aut sine præpositione cũ his verbis, Loco, cõduco, mãdo, curo, habeo pro debeo, & similibus. Exẽpla patent in textu. vt, Ad videndũ spectacula, ob purgandũ scelus, propter coronã obtinendã, ante domandũ. Inter cœnandũ. id est cũ cœnaretur, aut cũ cœnaremus, secundũ exigentiã sermonis præmissi. Locaui vineã pastinandã. Habeo agros colẽdos, &c. Passiue accipitur cum dico, Res est ad cognoscendum facilis.

Gerundia in do, sæpe cum his præpositionibus, De, è, ex, pro, præ, à, ab, abs, cum, in, & similibus cõstruũtur: sæpe sine præpositione per morẽ ablatiuorũ absolute positorũ, quasi impersonaliũ: & tã actiuè quàm passiuè accipiũtur, sed passiue etiã post se nullũ habet casum. Gerundiua vero nomina in do, tã datiui quàm ablatiui sunt casus: regũturq; à quibus dicti casus, idq; in omni genere & vtroque numero. refugiũt tamẽ verba motus de loco, quæ etiã in litera declarantur. Sunt qui velint gerũdia datiui etiã casus esse, & post se verbi sui casum regere. vt Puer aptus discẽdo rhetoricen à præceptore, & aptus docendo rhetoricen. quod genus locutionis à Calepino positũ, nõ prius recipiã, quàm apud aliquẽ idoneũ inuenero: tametsi eã esse gerũdii potestatẽ, vt cõmuniter significet, nõ ignoro. Neque pro ea sententia refellẽda, vt pro focis & aris seruandis certẽ. Nã quũ dicit Quintilianus, Maximi tũ virorũ, & quibus artis suæ soluẽdo nõ sit humanitas: videtur SOLVENDO datiui casus, sicut quũ dicitur, Nõ sũ soluẽdo. id est nõ sum satis vt aut qui soluã. Datiuus QVIBVS recte regitur à soluẽdo, à quo regi possit etiã si sit ablatiui casus: verũ artis suæ rectorẽ nõ habet, & si suppleatur gratia aut nomine, dici posset etiã Quibus artis eorũ nomine &c. Et Apuleius, Quũ primũ charitate nubẽdo maturuisset. Et Tullius in oratore, Cũ est inficiãdo accusatori reus, duo primo sunt. Vidẽtur etiã Nebrissensi, nubẽdo & inficiãdo datiui. Addere tamẽ possumus quòd venustius interdũ vtimur gerũdiuis nominibus, quàm gerũdiis. Possumus itaq; vnã rẽ multis modis exequi. Primò per gerũdia: vt, Veni causa vidẽdi matrẽ, ad videndũ matrẽ. nõ audeã dicere, pro vidẽdo matrẽ. Secũdo, per gerũdiua nomina: vt, Causa matris vidẽdæ, ad matrẽ videndã, pro matre vidẽda, idq; (vt dixi) venustius. Tertio, Græco more, nobis nõ vsurpãdo: vt, Veni videre matrẽ. Quarto, per participia in rus: vt, Veni visurus matrẽ. Quinto, per supinũ: vt, Veni visum matrẽ. Sexto, per verbũ in so: vt, Viso matrẽ. Septimo, per verbũ & particulã vt, quo, aut similẽ: vt, Veni dũtaxat quo matrẽ videã, vel vt matrẽ videã, nõ vt quicquã auferã. Passiue accipiũtur: vt, Vritq; videndo fœmina. id est dũ videtur. Vriturq; videndo fœminã masculus, quod absurdũ nõ videtur: quãuis nõ dicatur, Vritque videndo fœmina à masculo.

Exẽplum de gerundiuo absolute posito: est apud Ciceronẽ in prologo officiorũ, Orationem autẽ Latinam efficies profectò legẽdis nostris pleniorem pro eo quod vulgatiores dicũt, legendo nostra, vel dũ nostra leguntur. Et in eodẽ, Quis est enim qui nullis officii præceptis tradendis philosophũ se audeat dicere? hoc est, tradẽdo nulla præcepta. Verba Mancinelli, quibus probat gerũdia in di etiã passiue capi, sunt hæc, Amandi, & huiusmodi gerũdia in di, passiue quoque proferri inuenimus. Iustinus enim siue Trogus est, lib. 17. ita scribit, Athenas quoque erudiendi gratia missus. de regio quodam puero dixit. Et in prologo primi voluminis ait, Quòd ad te imperator Antonine non tam cognoscendi quàm emendandi causa misi. Hæc ille. In quorum posteriore, si placeret, actiua significatio inueniretur: sic, co- Mancinellus.

gnoscendi, id est vt ipsum cognoscas: quàm emendandi, id est vt ipsum emendes. Ex his quæ de comparatiuis & superlatiuis dicta sunt, déque gerundiis & supinis dicentur, possunt inferri aliquot regulæ discétibus non inutiles: quarũ hæc sit prima,

Regula 1. Gerundia & participia inuenta sunt, vt plures actiones vni supposito sine coniunctione media tribuantur: quomodo primo participium, deinde gerundium, aut verbum ponere solemus. Vt, Socrates primus moralis philosophiæ præceptor repertus, non scribendo, sed docendo memoratu, scriptúque digna, plurimum bonis moribus profuit.

Secunda. Tametsi quæ eandem habẽt significationem vt deriuatiua & primitiua, eosdem casus regere possunt: tamen obseruanda est peritorum consuetudo. Gerũdia enim & supina passiue sumpta, nullum post se casum regere volunt: neque in quacũque significatione ante se, nisi pro futuro infinitiui vsurpentur. Non ergo dices, Dignus es amatu ab omnibus, sed amari: nec, Vrit vacca videndo à mare, sed absolute, videndo. Neque, Vrbs est in periculo capiendi ab hostibus: sed, in periculo capiẽdi, ídque parce. Neque, Hoc est facile ad intelligendum ab omnibus, sed duntaxat, facile ad intelligendum. Cuius non videtur alia ratio, quàm peritorum consuetudo.

Tertia. Neque impersonalia passiuæ vocis, tametsi cũ ablatiuo supposito construi possint, continuò accusatiuum post se regent. Verbi gratia, dicere licet, Ita nunc viuitur ab omnibus: pro eo quod est, omnes ita viuunt. non tamen dicemus, Matthæum legitur, sed Matthæus legitur. Construuntur tamen impersonalia cum accusatiuo, mediante præpositione: vt, Itur in antiquam syluam.

Quarta. Semper autem cum infinitiuis impersonalium passiuæ vocis exprimi vult ablatiuus, si quidem ab actiuis veniant. Vt, Volo à me amari, Notum est sic ab omnibus doceri. Addo, Si quidem ab actiuis veniant: quia tunc sine ablatiuo viderentur passiua: quod in absolutis non fit: vt Notum est sic viui.

Quinta. Gerundia autem in dum, & gerundiua nomina, vtcunque exeant, cum verbo SVM constructa, verbo videntur, vt dixi, quandam necessitatem & officii congruentiam connotare. Vt, Ita faciendum erat. id est ita facere, aut fieri oportebat. Mos gerundus est Thaidi. id est geri debet. Habenda est ratio honestatis. id est haberi debet.

Sexta. Turpe est autem infinitiuum construere cum nominibus substantiuis, cum quibus gerundia in di construenda sunt: aut cum verbis importantibus motum ad locum, cum quibus priora supina, non tamen in significatione passiua, construi volunt: quanuis Græci tale discrimen non habentes, id decenter factitent. Non ergo dices, Vado piscari, sed piscatum. non tamen Homicida vadit decollatum à tortore, sed decollandus: aut alio modo Latinis noto. Neque dices (vt iam ostendimus) Locus est dicere, sed dicendi quæ vellem. Sed ad authorem reuertendum est.

De gerundiis. CAP. XXVII.

GErundia licet à participiis differant, tamen proprie inter participia numerari possunt (sicut supina inter verba) meritóque participialia vocata sunt. Nam & casus & genera in vtroque numero habent. ex quo verba non sunt, sed participia, siue participialia. Regunt præterea casum more verborum participiorúmque. ex quo nomina nõ sunt. Post se inquam regunt, non ante se. Nam eiusmodi locutio, qualis est, In conuertendo Dominus captiuitatẽ Sion, facti sumus sicut consolati: inaudita est, Græca figura decipiẽte (vt in aliis multis) interpretem.

Græci enim hoc loco infinitiuum habent,quod vult ante ſe accuſatiuum.Quod multis modis transferri poterat:vel ſic, Dum conuerteret Dominus captiuitatem Sion. Vel ſic, Conuertente Domino captiuitatem Sion.& aliis (vt dixi) multis modis. Quidam imperiti aiunt,caſum pro caſu poni,quaſi Latinè diceretur, ſi eſſet Dominum:quale eſt illud, In deficiendo ex me ſpiritum meum. Et alibi, In conueniendo populos in vnum, & reges,vt ſeruiant Domino.quum (vt oſtendi) gerundiũ non habeat ante ſe caſum.Sed ad propoſitũ. differũt gerundia à participiis: quòd ipſa ſignificant rei adminiſtrationem ſine tempore: illa verò tẽpus ſine rei adminiſtratione. Vt Tenet me occupatio iuris dicũdi.gerundium eſt,nec tempus ſignifico futurum,ſed rei adminiſtrationẽ,hoc eſt in iure dicundo.Rurſus,Tenet me cura dotis numerãdæ,id eſt,quæ numerãda eſt:participiũ eſt futuri ſignificatiuum ſine adminiſtratione rei.Neſcio an dicendum ſit,gerũdium eſſe participium præſentis temporis more Græcorũ.Cuius rei hoc argumentum eſt, quòd idem eſt, in legendo, & in ipſo legere,quod Græci melius ἐν τῷ ἀναγινώσκειν. & in libris legẽdis, idem eſt quod quum libri leguntur: penè eodem modo,quo de futuro in legendis libris, videlicet qui legẽdi ſunt. Nolunt autẽ grammatici gerundium rectum habere caſum, ſed quatuor tãtum obliquos: fortaſſe & caſu recto non caret apud Lucretium atque Virgilium, Voluenda dies en attulit vltro. Voluenda,non tempus futurum intelligit, ſed rei adminiſtrationem: dies videlicet quæ voluitur,non quæ voluẽda eſt,aut quæ voluetur. Vnde indicatur gerũdium eſſe participium præſentis temporis.Iuſiurandum etiam poteſt videri eiuſdem caſus,atque etiam vocatiui.Sed de quatuor nunc obliquis diſſeramus:quo in loco breuiſſime ſtultorum quorundam opinionem reprehendamus,qui aiũt recte dici, Cauſa eſſendi rex,eſſendi regis,eſſẽdi regem:quũ nuſquam eſſendi reperiatur:& ſi reperiretur,non regeret caſum, ſicut manendi,viuendi,exiſtendi.Et de genitiuo iam exemplum ſubiecimus,Occupatio iuris dicundi.De datiuo tale eſt,Da operã rebus agendis. De accuſatiuo,vt, Ad accuſandos homines duci præmio,proximum latrocinio eſt.De ablatiuo,Tu delectaris,criminibus inferendis. Cum accuſatiuo ferè ſemper iũgimus præpoſitionem: præter quædam pauca, quæ ſunt,Loco, Conduco, Mando,Curo, Habeo pro debeo,& ſiqua ſunt alia. Vt Faciendã ſepulturam locarent.id eſt,alteri darent faciẽdam: vel,ipſi locarent ſe ad faciẽdum: vtrunque enim ſignificat:nec participiũ eſt, ſed gerundium illud Faciendam.quod exemplum ſumptum eſt

Quod hic Valla gerundium vocat, grãmatici verò nomẽ gerũdiuũ,videtur participiũ eſſe paſſiuum præſentis tẽporis.

Eſſendi.

Loco.

ex Sulpitio. Cicero de diuinatione,lib.2, Et tu ſcilicet mauis numine deorum id factum quàm caſu arbitrari: & redemptor qui columnam illam de Cotta & Torquato cõduxerat faciendam, nõ inertia aut inopia tardior fuit,ſed à diis immortalibus ad iſtã rem reſeruatus eſt.Conduxerat faciendã,quaſi locarat & conduxerat ad faciendũ.Suetonius autem in vita Cæſaris, Gladiatores, inquit,notos ſicubi infeſtis ſpectatoribus dimicarent,vi rapiendos, reſeruandóſque mandabat. Curauit iaciendos lapides, ſæpe legimus:ſed ita ferè, vt alius curet,alius iaciat. Vt Cicero 7.Verrinarũ,Recenti negotio ad te literas miſit,mittẽdáſque curauit. Interdũ idem qui curat,& qui agit. vt Plinius poſterior, Petis vt libellos meos,quos ſtudioſiſſime comparaſti, recognoſcendos, emendandóſque curem.Et iterũ,Continendos cauea nidóve curabis.Quintilianus in Mathematico,Poſitus,patres Cõſcripti,in ea conditione triſtiſſimæ ſortis,vt nec morte dignus ſim,niſi me parricidam putetis:nec præmio,niſi innocentem:adeóque ludibriis miſeræ ſum diuerſitatis implicitus,vt impetrãdũ à vobis habeã odii mei fauorẽ.Plinius idem ad Saturninũ, Præſertim quũ enitẽdũ haberemus,vt quod parentibus dabatur,& orbis probaretur.Suetonius in vita Cæſaris, Vt cõſolandos eos magis imperator,quàm puniendos habuerit.Hunc modum loquendi apud Ciceronem reperiſſe non memini me . In his exemplis, vbique gerundium eſt. Illa autem participia in nomen tranſeuntia,Putaui ad te ſcribendum,exiſtimaui hanc rem tractandã, cẽſui tibi illud ſignificandum: id eſt,dignũ ſcribi,tractari, ſignificari:quæ omnino idem valent quod ſcripſi,tractaui, ſignificaui: ſed non ſine deliberatione tamen nec inconſulto.Dicebant autem antiquiores, Rogatũ te velim, oratos vos velim:pro eo quod eſt rogo,vel oro.Sicut poſteriores (quorum eſt Quintilianus)dicebãt, Venio petiturus,venio oraturus: pro eo quod eſt,venio petitum, venio oratum.Sed hoc ad ſupini magis rationem pertinet.Illud autem,quod Seruius ait gerundium eſſe,participium eſt potius, aut nomen,quũ inquit,Similiter etiam accuſatiuo caſu vtimur, quum volumus abſolutam facere elocutionem,& per gerundii modum aliquid dicere:vt,Petendum mihi eſt equum,codicem, byrrum . Hinc Virgilius, Pacem Troiano ab rege petendum. Nam ſi dixeris, Petendus eſt codex:iam non per gerundii modum,ſed participialiter loqueris. Hoc non aliter participium eſt ſeu nomen,quàm illud,Petendum eſt mihi iumentum:præſertim quòd gerundia non regunt paſſiue,ſed actiue,& nominatiuis carere creduntur,& accuſatiuis præpoſitionem anteponi vo-

ſunt, ſicut antè oſtendi. Vt accuſatiuus, ita & ablatiuus amat ſecum præpoſitionem: vt, In defendendo maior labor eſt, quàm in accuſando. Indagemus (ſi poſſumus) cum quot præpoſitionibus accuſatiuus gerundii iungitur, cum quot item ablatiuus. Accuſatiuus iungitur frequenter cum ad, raro cum in. Item frequenter cum ob, propter, & inter, raro cum ante: vt Vado ad capiendum hoſtem, ego veni ob te, vel propter te redimendum. Inter nauigandum, pro in nauigando ſæpe legimus. Virgilius,

-& inter agendum
Occurſare capro, cornu ferit ille, caueto. Idem,
-nanque ante domandum
Ingentes tollent animos.

Totidem ferè præpoſitiones ablatiuo gerundii ſeruiunt. In, frequenter: cæteræ, rarius. de, ex, vel è, à vel ab, & cum. In, vt In nauigando. De, vt De edendo, de migrando, de agendo. Quintilianus, Sed quia latius fuſus eſt hic locus, mixtúſque cum elocutione, tractabitur quum præcipere de apte dicendo cœperimus. Etiam cum motu: vt Cicero ad Atticum lib. 8, Tu quid cogites de tranſeũdo in Epirum, ſcire ſanè velim. Ex, vel E: vt Ex defendẽdo, quàm ex accuſando huberior gloria cõparatur. A, vel Ab: Cicero, Ex quo exardeſcit ſiue amor, ſiue amicitia (vtrunque enim dictum eſt ab amando). Alibi quoque, In quo etiam iſti nos iuriſconſulti impediunt, à dicendóque deterrent. Et alibi, Non diſtinguit à non dolendo, voluptatem. Plinius poſterior, Sermonibus dies tranſigebat, quum à ſcribẽdo vacaret. Cum, vt Quintilianus, Sed ratio recte ſcribendi iuncta cum eloquendo eſt. Variantur porrò gerundia per omnes quos enumerauimus caſus, numeróſque, & genera. Nam (vt ego ſentio) hæc omnia habent in genitiuo, vt Delectatio fruendi principatus, fruendæ prouinciæ, fruẽdi imperii: Moleſtia educandorum filiorum, locandarum filiarum, colendorum prædiorum. Regítque hic genitiuus aliquando caſum. Cicero, Equidem efferor ſtudio patres veſtros, quos colui & dilexi, videndi. Nam durum fuerat futurum, ſtudio videndorum patrum veſtrorum. Et quoties oporteat loqui per relatiuum, neceſſe eſt loqui per hoc gerundium. vt Hic dies attulit initium dicendi quæ vellem. non autem, dicendorũ eorũ quæ vellem. Illud Titi Liuii libro 21, quis non vitioſum putaret, in quo ſumma honeſtas Latinitatis ſubeſt? Non enim vereor, nequis hoc me veſtri adhortandi cauſa magnifice loqui exiſtimet, ipſum aliter animo affectum eſſe. Cicero pro Marcello.

Adhortãdi enim singularis numeri est, vestri verò pluralis. Item Cicero libro 2. de diuinatione, Doleo tantam Stoicos nostros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse. Plaut. in Captiui duo, Nominandi tibi istorum erit magis quàm edundi copia. In datiuo, Vaco agro colendo, vineæ pastinandæ, nemori succidẽdo. In plurali vna vox est trium generum: vt Vaco agris, vineis, nemoribus procurandis. Qui casus regimen non habet. Absurdum sit nanque dicere, Do operam colendo agrũ, vel legendo librũ.

Soluendo. Soluendo non sum, nunquam patitur secum substantiuũ. Ideo dubitari potest, an datiuus sit, an ablatiuus. significat autem satis facere pro eo, quo obligatus sum, siue pecunia, siue remuneratione. vt Quintilianus, Placeamus licet nobis fortuna nostra, pater, pauperi soluendo nõ sumus. Vult autem semper post se datiuum, licet non semper apponatur. Interdum etiam alium casum, vt apud eundem, Maximi tamen virorum, & quibus artis suæ soluendo non sit humanitas. In accusatiuo, vt Eo ad salutãdum fratrem, ad salutandam sororem, ad salutandum sydus: ad salutandos fratres, ad salutandas sorores, ad salutanda sydera. Quod elegantius dicitur, quàm cum regimine: vt Eo ad salutãdum fratres, ad salutandum sorores, ad salutandum sydera. Per alias quoque præpositiones similiter: sed Inter raro habet cũ gerundio substantiuum, rarius regimen: vt Liuius lib. 2, Et ipse inter spoliandum corpus hostis veruto percussus. Et iterum, Inter accipiẽdas de suis commodis rogationes. De Ante nullum tale impræsentiarum exemplum occurrit. In ablatiuo sine præpositione: vt Fit iniuria domino fundi, vel defringendo ramo, vel ligno incidendo. Res eunt ordine lite æstimanda. id est, quum defringitur ramus, quũ inciditur lignũ, quũ lis æstimatur: vel defringendo ramum, incidendo lignũ, æstimando litem. Sed frequẽtius vsi sunt veteres ablatiuo plurali in tali genere sermonis: vt Cicero, Orationem autem Latinam profecto legẽdis nostris efficies pleniorem, id est legendo nostra. Nam in singulari solebant sæpius apponere præpositionem: vt In cõmittendo prælio. Regit autẽ hic ablatiuus sine præpositione casum: vt Hos accusando, illos occidendo, totam ciuitatem labefactasti. Cum præpositione In tum regit, vt In tribuẽdo suum cuique: tum variat genera, vt In colendo agro, in pastinanda vinea, in nemore excidẽdo. Per De, simili modo etiã regit: vt Cicero in Tusculanis, His præsertim cognitis, quæ de nihil sentiẽdo paulo antè dicta sunt.

Nihil. Nisi dicimus, Nihil esse aduerbium, non nomen. Et variatur per genera: vt De accusatore constituendo, de collocanda filia,

Marginal notes: In gladiatore (beside "tione.vt Quintilianus"); In geminis languẽtibus (beside "sum, vt apud eundem").

de prædio emendo. Per EX, vel E, & A, vel AB, nescio an liceat dare tali gerundio regimen. nullum enim exemplum occurrit. Variari autem per genera certum est. Cato, Ex cataplasmatis bibendis, ex aluo leuanda. & Abstineas ab offendenda Repub. Sed cauendum ne id verbum significet motum, quale esset, Reuertor ab arando, vel ab arando aruo: Redeo à spectãdo, vel à spectandis ludis. quum sit dicẽdum, Reuertor ab aratione, vel ab aratione arui: Redeo à spectaculo, vel à spectaculis ludorum. Per Cum vix locum habet talis oratio, vt nõ participium sit potius quàm gerundium: vt Sedeo cum viro coronando, id est qui coronabitur, non autem qui coronatur. Posset etiam habere regimen, sed nullum exemplum ad manum est. Atque omnia gerundia quũ sociata sunt substantiuis, passiue accipiuntur. Disiuncta verò, actiue: nonnunquam passiue, vtique sine genere & sine præpositione in casu ablatiuo, & quasi absolute: vt apud Virgilium, Alitur vitium, crescítque tegendo. Et alibi, AEgrescítque medendo. Et iterum, -vrítque vidẽdo Fœmina. hoc est quum tegitur vitium, quum curatur æger, quum videtur fœmina. Neque id modo apud poetas, verum apud oratores quoque: vt apud M. Fabium, Sed memoria excolendo, sicut alia omnia, augetur. excolendo, dũ excolitur, non autẽ dum excolit. Nec regit casum, quale foret, Vrit fœmina videndo à maribus. Sicut dicimus, Vruntur viri & equi videndo fœminas. Accusatiuus quoque cum præpositione non tantum actiue accipi solet: vt Tu es idoneus ad discendum: sed etiam passiue, vt Hæc res est facilis ad discendum. Sallustius in Iugurthino, Pauca supra repetam, quò ad cognoscendũ omnia illustria magis magísque in aperto sint. Quidam non indoctus hac ætate scribere ausus est, Iamíam vrbs in periculo capiendi est. pro eo quod est, vrbs iam in periculo est ne capiatur, siue hostis parum abest à capienda vrbe. Quum semper sine substantiuo gerũdium accipiatur actiue: aut si à neutro venit, neutraliter: nisi aliquando, vt ostendimus, in ablatiuo. Verba motus

EPITOME.

Supina in tum, quæ mera verba sunt, non sine verbo importante motum ad locum, saltem latentem, construi volunt: quo gerundia in dum carere possunt. Differunt præterea à futuris participiorum in rum, quòd ea (vt nunc eis vtimur) genus & numerum discernentia, non sine futuri temporis nota, sed bene sine verbo motus collocantur: supina verò, neque genus, neque numerum agnoscentia, citra futurum tempus cum verbo motus accipi possunt. Sæpe tamen præsertim in passiua voce, & nonnunquam aut ob pœnuriam, aut consequentiam, aut grammaticorum consensum, in actiua pro futuris infinitiuorum cum verbo ire & iri vsurpantur.

Dico supina in tum, propter supina in tu, quæ lõge aliam habent acceptionem, vt proximo capite dicemus. Addo, quæ mera verba sunt, quia casum regũt, & nul-

lius casus aut generis sunt.vt AEneid.2,
Suspensi,Eurypilum scitatum oracula Phœbi Mittimus. Vbi scitatum supinum, regit accusatiuum oracula.Capiuntur autem ferè actiue: nisi cum verbo iri capiantur pro futuro infinitiui passiui. In tu verò,semper passiue. Addo præterea,Nō sine verbo.quia illo gerūdia carere possunt:vt Equus ad currēdū idoneus.Subiicio, Saltē latentē: quia cū dicitur in arte poetica, Spectatū admissi risum teneatis amici: non est manifestus motus:nemo tamē admittitur nisi moueatur, quanuis permitti possit sine eo. Dico de futuris participiorum in rum, vt nūc eis vtimur:propter antiquos, qui sine genere & numero ea vsurpabant, neque participia esse censebant, sed(vt author est Aulus Gellius lib.1.cap.7.) verba indefinita, quæ Græci aparemphata vocāt. Huius rei tum ex Gellio,tum ex Prisciano multa collegit Nestor exempla,quæ hæc sunt.Cicero in oratione quinta in Verrem, Sed quocunque venerint,hanc sibi rem præsidio sperant futurum. Et Caius Gracchus in oratione, cuius titulus est de Quinto Pompilio,Credo ego inimicos meos hoc dicturum.Cato lib. 5.originum,Illi polliciti sunt sese facturum omnia.Leo papa in sermone dominicæ intra octauam Epiphaniæ, Tres itaque viri fulgore insoliti syderis diuinitus incitati,præuium micantis luminis cursum sequuntur, existimantes se, significatum puerum Ierosolymis ciuitate regia repertурū. Vbi Chalcographi,id est in ære scribentes,reperturos impresserunt. Claudius Quadrigarius Annalium 3, Hostiū copias ibi occupatas futurum.Et in principio 12.Annaliū,Si pro tua bonitate & nostra voluntate tibi valetudo suppetit, est quod speremus deos bonis benefacturum. Valerius Antias lib.14,Aruspices dixerunt omnia ex sententia processurum esse.Plautus in Casina,Etiámne habet Casina gladiū?habet, sed duos,quibus altero te occisurum ait,altero villicum.vbi intelligitur se. non enim sensus est,te occisurum, sed occidendum esse.Laberius in Gemellis,Non putaui hoc eam facturum.Lucilius libro 17, Nupturum te nupta negas, &c. Sylla lib.1. rerum suarum, Ad summam perniciem rempublicam peruenturum esse. In quibus omnibus,ponitur futurum in rum,sine genere, & casu, ac numero: forte quia illis nondum perspecta erat discretio inter supinum & participium. Nos autem vtemur participiis cum discretione generis, numeri,& casus.vt,Dicemus hunc amaturum esse,hanc amaturam,hoc amaturum, hos amaturos,has amaturas,hæc amatura.Neque tamen damnabimus veteres quibus placuit futurum infinitiui circunloqui per prius supinum aut futurum in rum: vtrunque sine declinatione,genere,casu,ac numero.Nos autem per vtrunque circunloqui possumus.sed,vt Valla docet,alterum,hoc est supinum,verbum est: alterum participium,quod semper futuri temporis significationem affert,sicut & supinum frequentius,vt cōcedit Valla in passiuo: & vt diximus,etiā in actiuo,aut propter pœnuriam. Nam quia caremus futuro infinitiui, videtur congruum , vt quod pro eo ponimus,futurum significet,præsertim id tota manu grammaticorum cōcedente. Adieci,Aut propter consequentiā. Nam licet cum dico,Eo lectum: iam significo præsentem itionem:tamen non præsentem lectionem mihi esse, sed futuram.Itaque lectum ire,est quidem nunc ire: sed vt cum perueneris quo is, legas: non autem nunc legere.In principali ergo verbo denotatur tempus.Præterea licet de rigore singularum partium,cœnatum ire,importet itionem & motum , atque ita posses verè dicere,te cœnaturum esse,& non cœnatum ire, siquidem vbi es cœnaturus,es:tamen quia hoc complexum cœnatum ire,sumitur pro eo quod est cœnaturum esse,ex eo quòd qui cœnatum it,nondum cœnat,sed cœnaturum se sperat.non recipiam eiusmodi differentiam de futuro tempore,cum non sit ratio cur cœnatum iri sit futuri, & cœnatum ire præsentis temporis. Vt Mancinellus attestatur,adducens & aliam probationem,dicens,idem esse,itum ire,& iturum esse.quod Valla negaret. Nam te iturum esse,significat te iam non ire, sed futurū esse vt eas.

At itum ire, significat te iam ire. Si dicas, Ergo frustra additur itum. dicam quòd non, quia possum ire, vt eam. verbi gratia, Si ex iniuncto, septem passus ire debeam in templo quouis in quo non sim, & interroget me qui iniunxit, Iuisti? congrue respõdero Non, sed Eo itum. Atque ita dixero me itum ire, quod ex sequela importat iturum esse. Vnde de rigore neque omnis qui itum it, iturus est: quia posset desinere esse. Neque omnis qui iturus est, itum it: quia posset quiescere. Sed de consensu, pro eodem ponimus amatum ire, & amaturum esse. At si præsentem itionem notatam velim, dicam me non amatum iri, sed ire amatum. De qua re, priusquam Mancinelli verba ponantur, subiiciam vnum, quod dicimus congrue (teste A. Gellio lib. 9.) Audio illi iniuriam factum iri, &, Contumelia vel iniuria factum itur. Vnde Marcus Cato pro se contra Cassium, In hac contumelia quæ mihi per huiuscemodi petulantiam factum itur, rei quoque publicæ mediusfidius miserear. Quod locutionis genus nescio an vsurpare audeam. Est certe iucundum & rarum, habétque nescio quid quod vix aliter dicas. nam, Contumelia mihi fit, aut fiet: longe friget. Verum vt finem faciam, verba Mancinelli sunt, Idem esse oratum ire, & oraturum esse: satis patere potest, vel solo infinitiuo huius verbi eo, is, it. Idem nanque est itum ire, & iturum esse. Adde etiam Laurenti, quòd (vti tute ipse asseris) in passiuo idem est damnandum esse & damnatum iri. Quod quidem esse non posset, nisi damnatum ire in actiuo infinitiuo, esset futuri temporis. Quo enim pacto id quod in actiuo præsentis est temporis, in passiuo futuri esse possit? Itaque Priscianus optime docuit. Hæc ille. Verum si pro Valla loqui liceret, dicerem, damnatum ire: ideo ex parte, saltem præsentis esse temporis: quia ire quo vtimur, præsentis est. damnatum iri, non nisi futuri: quia iri non vtimur per se, nisi impersonaliter, quo modo illic non accipitur, sed per vtrunque exprimitur vnum futurum: quod tamen similiter dicam per damnatum ire, fieri: licet aliter dicam ire damnatum. sed finem facio.

Mancinellus.

De supino in um. CAP. XXVIII.

DE supinis ita ait Priscianus in compẽdiario quodam opusculo. Sed hoc interest inter amandum quod est gerundium, & amatum quod est supinum: quòd amãdum necessitatem amoris significat, amatum autem *initiationem ad amorem. Dignum obseruatione præceptum elegantiæ, si modo verum, quod minime est, tum authoritate, tum ratione. Nã authoritatis loco exemplum nullum posuit. Et quodnam quæso ponere poterat? Quid interest Vado venatum, & vado ad venandum? vado piscatum, & vado ad piscãdum? dormitum, & ad dormiẽdum? Sallustius, Legatos ad Iugurtham de iniuriis questum misit. Et iterum, Non mea culpa ad vos sæpe oratum mitto P. C. Scilicet necessario, non imitatione. Præterea pro ratione hoc fit, quòd Græci pro his duobus nostris transferẽtes vtuntur vno suo infinitiuo cũ articulo, πρὸς τὸ παρακαλεῖν. quod nos vicissim transferentes nunc per gerundiũ, nũc per supinũ interpretamur. Siquid autem inter hæc duo interest, id erit, quòd supinũ nũquã ferè est sine verbo significante motũ ad locum, vt eo, vt venio.

*imitationem

Nam illa, Do filiam nuptum, do vænum, siue vænundo ædes, spectatum admissi fuimus,latentē in se motum obtinent. Idem Priscianus in alio grandi opere & multi tum ingenii,tum laboris,inquit, Frequenter tamen antiquissimi neutro participio futuri addebant esse,& infinitiuum futuri significabant: vt Oraturum esse,pro oratum ire: facturum esse,pro factum ire : nupturum esse, pro nuptum ire . quod mihi minime videtur. Nam vt concedam,quod meritò denegare possum,quòd Latinè,aut certè vsitatè dicamus,pro eo quod est,Cupio filiam meam nuptum ire,& nos factum ire:Cupio filiam meam nupturum esse,& nos facturum esse:quum dicendum sit nupturam esse,& facturos esse:Dico aliud esse oratum ire,& oraturum esse.Ego quidem cœnaturus sum,non tamen eo cœnatum,vel ad cœnādum.Et Scio te cœnaturum esse , sed non protinus ire cœnatum , vel ad cœnandum. Nam participium futuri cum verbo substantiuo non habet actionem illam & motum , quem habet verbū eo. Atqui in passiuo fuerat verisimilius si dixisset,quo etiam frequenter vtuntur authores, idem esse, damnandum esse, & damnatum iri. Nam eodem loco dicere possumus, Credo peccatū meum resciscendum esse, & rescitum iri. Item Intelligo,scio,video, opinor, existimo peccatum meum patefaciendum esse , vel patefactum iri:& cætera verba huiusmodi.Illa autem quæ ad futurum respiciūt, vt Timeo,metuo,vereor,spero,cupio,non idē faciunt: quibus maior differētia est cum passiuo participio futuri: vt,Vereor peccatum meum patefactum iri , magis quàm patefaciendum esse.Cupio culpam meam celatum iri,potius quàm celandam esse.Item,Timeo peccatum meum patefactum iri.Et pro il lo modo per passiuum participium futuri substituimus hūc,Timeo peccatū meum ne patefiat,vel vt patefiat.quod fieri nequit in aliis verbis.Non enim licet dicere,Scio peccatum vt resciscatur,sed rescitum iri,vel resciscendum esse.Denique(vt eò reuertar,vnde egressus sum,& semel Prisciano respondeam,nō idem esse oratum ire , & oraturum esse) alterum præsentis tēporis est: vt,Video te accusatum ire me:id est nunc.alterum futuri:vt,Video te accusaturum esse me. & tamen Accusatum iri me abs te video,accipitur pro eo quod est,Video te vel accusatum ire me, vel accusaturum esse me,vel abs te accusandum esse me.

EPITOME.

Supina in tu,quæ mera verba sunt,nō cōstruuntur rite cū verbis importantibus motū de loco:nec sunt alicuius casus,nec regunt casum,nec reguntur ab alio quàm ab adiectiuo sine præpositione, cum quo passionem substantiuo conuenire signifi-

cant. Vnde multum à nominibus illis in voce duntaxat similibus, discrepant. Nam illorum quædam sensus corporis significare possunt constructa cum adiectiuis, & regere casus, & regi à verbo aut participio, etiam interueniente præpositione. Vt Sum captus visu, vel Sum debilis in visu, vel Destituor à visu: nomen est. Sed, Sum terribilis visu, id est dum videor, vel vt videar, vel ad videndum: supinum est. Neq; dices, Venio visu spectacula: sed, à spectaculorum visione. Et quærenti, Vnde venis? (quia vnde quærit de loco) non dices, lusu: sed è ludo, aut lusorio. Quia verò supina in tu passiue significant, ab absolutis rara sunt inuentu, vt Statu, cursu, sessu. nisi quis velit illis impersonaliter vti: vt Iocundum est hîc sessu. id est vt sedeatur. dignū cursu, vt curratur. quæ quia à doctis vsurpata non sunt, nemo me quidem authore, vsurpauerit. Dico ritè, quia licenter & præter morem à pluribus receptum cum verbis constructa etiam in significatione leguntur actiua: quocirca dubitem nominane sint an supina: & reuera nomina vidētur, licet Prisciano, Aldo, & quibusdam aliis videatur aliter. vt Plauti illud in Menæhmis, Obsonatu redeo. id est ab obsonando, aut obsonatu. Sic Stat. in Achil. Et tunc venatu rediturum in limine primo: à venādo aut venatu certe actiue. Cato in re rustica, Primus cubitu resurgat, postremus cubitum eat. vbi quia cubitum supinum est, videtur etiam cubitu supinū. Nebrissensis tamen nomen censet: ego supinum, sed vetusto more vsurpatum, nec imitari velim.

De supino in tu. CAP. XXIX.

IDem author & in eodem quo suprà dixi opusculo, ita ait, Hoc interest inter amando & amatu: quòd amando est in ipso amore, amatu verò pro amatione, vel pro amore, id est pro ipsa re accipitur. Et hoc manifestat ipsa etiam interpretatio Græca. Sed an hæc differentia vera sit, & hoc ex Græco argumentum quantum momenti habeat, Priscianus viderit. Mea autem sententia tum ex superioribus, quæ dixi in gerundio, tum ex sequentibus apparebit. Paulo post subiungit, Accipitur venatum pro ad venationem, quomodo venatu pro venatione. sicut miserabile visu, pro visione: & Nec visu facilis, nec dictu effabilis vlli. pro visione & dictione. Multis igitur modis, sicut & in aliis docuimus locis, nomina sunt hæc accipienda magis, quàm verba. In hoc ego à Prisciano libere dissentio, vel ratione quam postea dicam, vel authoritate, & potissimum M. Fabii, quem omnibus sine controuersia ingeniis antepono, qui ait, dictu factúq; aliud esse, quàm dicto factóque. quæ Priscianus appellat dictione & factione: quæ alîus in significādo figuræ sunt quàm visione & venatione. Præterea Quintilianus vocat verba participialia, sicut à multis gerundia dicuntur nomina participialia. Et (quod ad rationem pertinet) supina hæc per verbum potius à Græcis transferuntur, quàm per nomen. quòd si nomina forēt casus ablatiui, certe alii casus non deessent. At nemo vnquam auditum habet, hic dictus, hic factus, sed tātum dictu & factu. Propter quod necesse est aliud esse quàm dicto & facto, siue dictione & factione,

Quintilianus omnibus ingeniis anteponendus.

id eſt aliud quàm nomen. At viſu, auditu, cognitu, inquies, omnes caſus habent, & hi ablatiui ſunt. Hæc parum prudentis, aut certe parum perſpicacis eſt ratio. De qua ante quàm dicam, libet caſtigare vulgus imperitum grammaticæ profeſſorum, qui vniuerſum ſane orbem ſtulto errore peruertunt, ſic ſemper loquentes, Eo lectum, venio lectu: pergo auditum, reuertor auditu. Qui error vnde profectus, & quo ex fonte imperitiæ emanauerit, neſcio. Summóque opere hallucinationem publicam admiror, quòd tandiu à nemine animaduerſus eſt. Nunc oſtẽdamus quæ differẽtia eſt inter viſu & auditu nomina, & inter viſu & auditu verba. Quando ſunt nomina ſignificãt ſenſus corporis, cõiunguntur cum adiectiuis, regunt caſus, reguntur etiam à verbo & participio, ſubſeruiente quoque præpoſitione. vt, Careo toto viſu oculorum, antea priuatus auditu aurium, nonnihil etiam ex odoratu. Hæc omnia abſunt à ſupino. ſiquidem non rem, nõ ſubſtantiam, non qualitatem, ſed actionẽ, ſeu potius paſſionem verbi ſignificant. Non iunguntur cum adiectiuo, nõ regunt caſum, non reguntur nec à verbo, nec à participio, ſed à nomine tantum, eodémque adiectiuo, nunquam interueniente præpoſitione. vt, Miſerabilis viſu, id eſt quum videtur: non autem miſerabilis ſenſu videndi. Facilis viſu, id eſt vt videatur, vel facilis ad videndum, non autem quòd habeat viſum facilem. Effabilis dictu, id eſt vt dicatur, non autem vt dicat. Optimum factu, id eſt vt fiat, nõ autem vt faciat. Difficile factu, quia difficile ad faciendum eſt. Incredibile memoratu, quum memoratur, non memoratione. Dignum auditu, quod eſt audiri dignum, non vt ſenſu audiendi potiatur. Impoſſibile creditu, vt credatur, non vt credat. Acipenſer piſcis rarus inuentu, vt inueniatur ſcilicet, non vt inueniat. Res iucunda cognitu, vt videlicet cognoſcatur. Abſurdum relatu, quum refertur. Obſcœnum aſpectu, quum aſpicitur, & ſi qua ſunt alia. At homo ſuperbus dicto & dictis, non dictu. Sæuus facto & factis, non factu, id eſt quum dicit, non quum dicitur: quum facit, non quum fit. Res verò ſæua factu & dictu, id eſt quũ fit, aut dicitur, non quia facit, aut dicit. Scipio clarus adminiſtratione bellorum dicitur, & adminiſtratu bellorum, quando eſt ablatiuus, id eſt adminiſtratione. Cato dignus adminiſtratione Reipub. & adminiſtratu, eodem modo. At Reſpublica digna eſt adminiſtratu, verbum eſt, id eſt vt adminiſtretur, niſi addẽdo genitiuum facias nomen, adminiſtratu Catonis. Quare in illo Virgiliano, quod Priſcianus attulit,

Nec viſu facilis, nec dictu effabilis vlli.

Quandoquidem abeſt genitiuus,non eſt nomen,vt ille vult pro viſione & dictione,ſed verbum, pro eo quod eſt ad vidēdum vel audiendū.Nec ignoro à multis legi affabilis,non effabilis: quod putatur ſumptum ex illo verſu Accii in Philoctete, Quem neq; tueri contrà,neque affari queas.Quod ſi ita eſt,nomen eſſe confitebimur,ſed tamen nequaquam ſupinum. Multi ſcripſerūt de cultu agrorum, nomen eſt,id eſt de cultione & cultura agrorū. Locus autem ſaxoſus nō eſt dignus cultu,nempe vt colatur,vel dignus coli. Homo dignus amatu, puer dignus doctu, liber dignus lectu,id eſt qui ametur,doceatur, legatur. Ideóque quum ex omnibus verbis paſſiuis liceat vti talibus ſupinis, rarò tamen eiſdem vocibus vtimur loco nominum. Quis enim dicat,Tu es priuatus amatu meo, excluſus à doctu meo, doctus ſine lectu meo?profecto nemo.Ex quo apparet,quum in vſu vulgatiſſimo ſint pro verbis, vt Ille liber eſt dignus lectu,non poſſe inter nomina numerari. Ea tamen quæ ambiguum vſum habent verbi & nominis,animaduertendum eſt vtram in partem accipi debeant:vt,Tu es dignus gubernatu: ſi pro gubernatione,nomē erit: ſi pro eo quod eſt,vt guberneris, vel dignus gubernari,verbum. ſed nomini accommodare ſolemus, aut etiam debemus genitiuum:verbo,nec debemus,nec ſolemus.Denique ex duobus ſupinis alterum actiuo verbo dare poſſis,alterum paſſiuo, vt amatum ſit ab amo,amatu ab amor.

EPITOME.

Circunſpectus,conſideratus,diſertus,cautus,tutus,ignotus,argutus,falſus,contentus,tacitus, profuſus,fluxus,ſcitus,inueteratus,cōplacitus,&(quo nonnulli vtuntur) diſcretus,iuratus,excretus,exoletus, adultus,defectus,& quædā alia: in voce paſſiua, actiuam frequenter ſignificationem obtinent.Contrà,euidens & indulgens:in actiua,ſæpe paſſiuam. A facio autem,in ficus formata,& eorum comparatiua & ſuperlatiua, communem habent ſignificationem. Verum hæc omnia, potius nomina verbalia quàm participia dixeris. nam & tempus amittunt,& comparationem admittunt : neque dubium eſt,ſi mera participia ſint,quin in ſua ſignificatione accipi poſſint: ac ſi dicas,Turnus lapidem vix circunſpectum arripit:&,Stultus periculum bis cautum incurrit. Nemo rem bene conſideratam temerè exponit. Qui dicunt ciuitatem incenſam, accipiunt continens pro contento. Nemo aquam turpem profuſam recolligit. Dico igitur, Frequenter & ſæpe, quia Valla ipſe fatetur quædam etiam paſſiue capi, & Quintilianus in Declamationibus indulgentem actiue poſuit. Sane illud, cuius nos admonuit vir doctiſſimus Iacobus Tuſanus,eſt adnotatu dignum in litera, in qua circunſpectus deſcribitur, vbi vulgo legitur,Et in omnem partem moræ iam ſpectat: legendum eſſe, more Iani. Ianus enim circunſpectus,ſiue quòd à tergo,ſiue quòd antè videt. vnde Perſius,
O Iane à tergo quem nulla ciconia pinſit. Eum enim alii bifrontem modo,alii etiam quadrifrontem finxerunt:vnde in omnem partem ſpectare dicitur:ſed nolo tam manifeſtis immorari. Suſpectus paſſiue accipitur, vt apparet in Hecy.Terētii,

Sed esse falsa fama nolo gnatum suspectum: &, Philippe, nostras mulieres suspectas fuisse falso. Actiue legitur suspicax. Discretus vulgo pro prudente & res prudenter discernente ponitur: nondum tamen apud idoneos legi: vnde miror à Valla asscriptum. Sunt etiam alia à participiis deducta nomina, & à vulgata significatione discrepantia, vt impotens & insolens. Impotens enim sæpe dicitur non qui nihil potest, sed qui propter nimiam potentiam sibi moderari non potest, & multa insolenter facit. Nam & insolens dicitur qui per impotentiam & nimiam audaciam in faciendo nimius est, & solitos mores transgreditur. Et tamen insolens infamiæ, quasi insuetus etiam dicitur. Cicero ad Atticum, Amicus noster insolens infamiæ. Et alibi ad eundem, Tam inconsuetus contumeliæ, &c. Dixi, Et quædam alia: vt consultus, potus, cœnatus, &c. Verum qui propius respexerit, non offenderit longe à propria significatione aberrare. Nam consultus, est abs quo consilium petitur. qui quia peritus esse solet & prudens, videtur quasi pro perito & prudēte accipi, vt Consultus iuris, quasi peritus. Verum docti dicunt etiam iure consultum. Ponitur etiam consultum, pro prudente, quasi à consulto dictum: vt apud Ouidium, Sit tibi credibilis sermo, consultáque verba. Peritus autem, à perior verbo deponentali, vnde periculum deriuatur. Potus verò, est quidem qui bibit plus satis, quasi ab alio potus: id est potu saturatus. vnde potus, passiue dicitur à Iuuenale:

-epotáque flumina Medo
Prandente.

Sic cœnatus, qui cœnauit, sed ab aliquo cœna acceptus. Quinetiam circunspectus, consideratus, cautus, & similia, ideo accipi actiue videntur, quòd quibus passio inest, etiam actio inesse solet: vt qui ab aliis circunspicitur, solet esse prudens, & circunspicere: & similiter consideratus. Et cautus: quia sæpe cauetur, cauens & euitans versutias aliorum. Iuratus est, quasi iureiurando astrictus, licet iurauerit. Scitæ quæstiones, quasi factæ cum scientia & euidentia. Contentus, cuius appetitus cōtinetur. Argutus, sæpe castigatus, vnde solertia præditus. Defecta lingua, quasi senio confecta. Atque ita in aliis inuenitur quædam ratio patiendi, vnde plurima etiā passiue accipi possunt, vt tacitus. Seneca, Quod tacitum esse vis, nemini dixeris. Falsus, apud Comicum, vt in litera videre est. Quia verò de significatione participiorum aut verbalium illorum loquimur, addamus plæbeios versiculos quibus significatur, quòd participia præsentis temporis & futuri in rus, à verbo communi, significant tantum actiue: futuri in dus tantum passiue: sed præteriti, communiter: alioqui non essent communia.

Verbum commune quanuis agat & patiatur:
Sola per ans, ens, rus, tamen actio significatur.
Dus solum patitur: sed præteritum dat vtrunque.

vt Amplexus sum te, & à te. Criminatus te, & à te. Criminans & criminaturus te, non à te. Criminandus à te, nō criminandus te. & sic de aliis.

De participio præteriti temporis, significante actionem: & de præsenti, passionem. CAP. XXX.

PArticipia quædam in voce passiua actionem, quædā in actiua passionem significant. Circunspectus, consideratus, disertus, cautus, tutus, ignotus, argutus, falsus, contentus, tacitus, profusus, fluxus, scitus, & quo nōnulli vtuntur, discretus. Circunspectus est non qui circunspicitur, quem solemus appellare conspicuum: sed qui circunspicit, & in omnē partem more Iani spectat, hoc est prudens & sagax. Cōsideratus, inconsideratúsq; qui agenda considerat, aut secus: non qui consideratur, aut non

cōſideratur. Diſertus,qui probè diſſerit,nō qui diſſeritur. Cautus, qui ſcit ſibi cauere, non cui cauetur. Nonnunquam tamen res cui cauetur, vt pro Cæcinna Cicero, Quo res mulieri eſſet cautior. Tutus portus,tuta vrbs,quòd tueatur alios,nō quòd ab aliis defendatur.Tamen ſæpe paſſiue in hominibus:vt Tutus ſum ab hoſtibus,quòd munitus & ſine periculo ſum. Ignotus etiam ſæpe actiue. vt Quintilianus, Nequis tamen erret ignotus, non eſt filii mei nouerca,ſed mater.ignotus dixit pro ignorās,& pro hoſpite & alieno,nō pro ignorato. Argutus,qui eſt acuta quadam & accurata ſolertia, quaſi acute arguens & veſtigans: non autem ab altero acutè intellectus & veſtigatus. Falſus,qui fallit: vt Terentius, Cenſen' me aliquam cauſam fictam,falſam, ineptam ſaltem potuiſſe proloqui?Aliquādo etiam paſſiue: vt idem, Carine falſus es.id eſt deceptus es.Et Salluſtius,Nec ea res me falſum habuit. Contentus,qui cōtinet quod animo ſatiſfacit,non qui continetur. Tacitus homo,taciturnus:qui tacet,non qui tacetur.Virgilius tamen poſuit paſſiue,

Quis te magne Cato tacitum,aut te Coſſe relinquat?

Profuſus & fluxus actiue apud Salluſtium, Alieni appetens, ſui profuſus.quaſi profuſor. Nam diuitiarūm & formæ gloria,fluxa & fragilis habetur. Scitus,qui ſciēs eſt & argutus: vnde ſcitæ Platonis interrogationes dicuntur aſtutæ & vafræ, ac cum magna arte compoſitæ.Vt apud Terentium quoque,Scitum hominem, hic prorſus ex ſtultis inſanos facit. Niſi accipere velimus paſſiue: vt apud eundem,Scitus puer natus è Pamphilo eſt.quaſi ſcitè & doctè natus. Diſcretus, qui qualitates perſonarum & rerum momenta diſcernit,non qui diſcernitur. Complacitus autem ab actiua voce ſicut fluxus venit,habétque ſignificationem nec actiuam planè,nec paſſiuā, ſicut fluxus & inueteratus, quod & ipſum ab actiua voce deſcendit inueteraſco. Neutralis enim verbi & actiui vna vox eſt, ſicut paſſiui & deponentis atque communis. cui ſimile eſt iuratus à iuro. Iuratos enim iudices dicimus,qui iurarunt,& excretos hœdos apud Virgilium,ab excreſco. Et exoletus ab exoleſco, quod dum eſt ſubſtantiuum, ſignificat ſcortum maſculum, & præcipue iam adultum. dum eſt adiectiuū,ſignificat adultū, ſed raro reperitur:vt apud Plautum,Reliqui domi exoletā virginē. Adultus ab adoleſco. Defectus quoque qui deficit. vt Martialis,

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
 Cantator cygnus funeris ipſe ſui.

Quintilianus, Defectáque labore ſenectus, magna pars mortis, In apibus pauperis.

nihil mihi reliquit, nisi diligentiam. Et hæc quidem significationis actiuæ in voce passiua: pauciora sunt in actiua passiuæ. Euidens negotium dicitur, quod videtur apertè & intelligitur, nō quod videt & intelligit. Indulgentior facies apud Quintilianum pro pulchra, non quæ aliis indulgeat, sed cui alii indulgeāt. Idem in alio loco, Fili indulgentissime vidi te, nec semel vidi. Vnde Statius,

In infami in matrem.i. In sepulchro incantato.

Pulchrior haud vlli triste ad discrimen ituro
Vultus, & egregiæ tanta indulgentia formæ.

Præterea honorificentissimos, magnificentissimos, munificentissimos ludos quum dicimus, videmur passionē significare in participio præsentis temporis. Ab honorificens enim magnificens, munificens veniunt, licet ficens pro faciens non dicatur: vel certe à magnificus, munificus, honorificus: quæ cum facio componuntūr, quod est actiuum, & tamen ita accipiuntur, quasi honorificè, munificè, magnificè facti, non autem facientes. Sed causa est, quòd hæc ipsa cum facio composita tam actiue quàm passiue significant. Siquidem vocamus hominem magnificum, & opus magnificum. Illum quidem magnanimiter facientem, hoc verò magnanimiter factum.

EPITOME.

Ab actiua voce quia participium præteriti temporis Latinis deest, vsurpant interdum pro eo præsens: quod tunc licitè fit, quando significatio arridet. Et quia à passiua voce deest præsens, frequentius pro eo ponunt præteritum. Exemplum prioris, vt in litera, Quum è Cilicia discedens, seu potius decedens, &c. Vbi arridet significatio: quia à termino à quo decedimus, vsque ad terminum ad quem. itaque decedentes aduenimus. Exemplum secundi: vt AEneid. 1,
Et qua vectus Abas, & qua grādæuus Alethes. qua vectus, id est vehebatur, aut qua paulo ante, aut illucusque vectus erat, sed & adhuc vehebatur: quia adhuc in ea erat, & non submersus.

Participium præsentis temporis pro præterito poni. CAP. XXXI.

SOlent authores nonnunquam pro præteriti participio substituere illud præsentis: nec solum Latini qui carent participio præteriti actiui, sed Græci quoque qui nō carent. Cicero in Bruto, Quū è Cilicia *discedēs Rhodū venissem. Non enim quis discedens applicat. Multum inter principium viæ & finem interest. Primum discedimus: postquam verò discessimus, nauigamus, vel iter facimus: postea quò tēdimus, peruenimus. Quomodo ergo discedens è Cilicia venit Rhodum? nempe vtēs præsentis participio loco præteriti quod deest. Quod probatur per aliquod verbum, cui non desit huiusmodi participium: quale est

*decedens

Proficiſcor. Neque enim dixiſſet, Quum è Cilicia proficiſcens, ſed profectus. Vt idem de Officiis libro tertio, Si exempli cauſa vir bonus Alexandria profectus, magnum frumenti numerum Rhodum aduexerit. Nec tamen quis in omnibus verbis permiſſum eſſe, quod in Diſcedo permittitur, putet. veluti ſi dicas, Quũ amicos ſalutans, qui Alexandriæ erant, Rhodum veniſſem. dicendum erat, amicis ſalutatis. Nam is qui recedit, tandiu recedere dicitur, quandiu tendit ire, dúmq; perueniat: quod nõ idem fit in ſalutando. Siquis tamen hoc ſæpius vti velit, faciat, ſed temperatè.

EPITOME.

In propoſitione de copulato prædicato, videtur verius poni participium cum verbo, quàm duo verba: quod ſi non verius, certè concinnius fit. Vnde hæc, ſi ſit copulatiua, falſa dicatur, Mulieres ornant ſe, ne videantur & derideantur. quia altera categoricarum eſt falſa, vtpote, Mulieres ornant ſe, ne videantur: videri enim volunt. quæ ſi ſit de copulato prædicato, vera cenſeatur. venuſtius tamen dicatur, Mulieres ornant ſeſe ne viſæ derideantur. & ſic de ſimilibus.

De compendio participii. CAP. XXXII.

HAbet autem participium talem, tantámque nonnunquam gratiam, vt ſine eo non ſit Latina planè oratio. Vt eſt apud quendam perſæpe hoc vitium admittentem, Circundedimus caſtris foſſam & vallum, ne hoſtes venire poſſint & nos opprimere. Quaſi foſſa & vallum ideo fiant, aut hoc præſtare queant, ne hoſtes venire poſſint. Sola ratio eſt, ac cautio de oppreſſione. Itaque dicendum fuit, ne venientes hoſtes, aut ne aggreſſi hoſtes, nos opprimant.

EPITOME.

Participia præſentis temporis ſubſtantiuata, ſi pro certo accipiuntur ſubſtãtiuo, illius ſunt generis cuius & illud: ſin pro incerto, ad neutrum tranſeunt, quod in cæteris quoque fieri ſolet. Verbi gratia, quia cum dicitur oriens & occidens, intelligitur ſol: quando fluens & confluens, fluuius. ideo maſculina ſunt. Sicut quia dum dicitur conſonans, intelligitur litera: dum continens, terra peninſula: dũ prægnãs, aut lactans, fœmella: & dum bidens, ouis: ideo ſunt fœminina. Sed ſi bidens capiatur pro duplici dente, aut pro inſtrumento bidente, erit maſculinum, vt tridens. Animans autem, ſi ſubaudiatur natura animata, fœmininum eſt: ſin abſolute ponatur, neutrum, vnde animantia dicuntur: ſicut & alia multa, neutra ſunt, vt continẽs pro firmamento rationis, impertinens, accidens, &c. Legitur tamen elephas lactans, & lepus prægnans: ſed id in promiſcuis pœnuria quadam fit. Adieci, Quod in cæteris quoque fieri ſolet: vt quia dum dicitur, Aprilis, Quintilis, Sextilis, September, &c. intelligitur menſis. dum Tyberis, Scaldis, Sequana, fluuius. dũ Boreas, Iapyx, ventus. dum ædilis, magiſtratus aut vir. dum molaris, dens aut lapis. dum Cupido, deus. ideo hæc omnia maſculina ſunt: ſed cupido pro cupiditate fœmininum. Sicut quia dum dicitur, pyrus & pomus, intelligitur arbor, dum Corinthus & Babylon, vrbs.

dum Iuno, dea. dum Glycerium, nomen proprium fœminæ. dum bipennis, securis. ideo fœminina sunt. Quòd si dicatur ferro bipenni, vt à Virgilio, fiat neutrum.

De participiis in ens, in substantiuum transeuntibus. CAP. XXXIII.

PRæsentis temporis participia solent quum substantiuantur, neutri generis esse, vt Accidens, contingens, antecedens, consequens, decens, conueniens, præsens, cõtinens apud rhetores pro firmamento rationis. Quædam tamen alterius generis sunt: masculini, vt Oriẽs, occidens, profluẽs, pro flumine, & confluens quo duo flumina conueniunt. Fœminini, continens pro terra quæ non est insula. vt, A Sicilia ad continentem parum intercapedinis est. Plinius maior libro quinto cap. 31, Lesbos à proxima continente abest septem millibus quingentis passibus. Animans quoque. vt Cicero, Requirat atque appetat, ad quas se applicet sui generis animantes. Nonnunquam tamen hoc nomen in neutro genere reperitur, sed magis in plurali. Consonans, pro litera non vocali. Prægnans verò vnde sit participium, nescio. Alia quoque quædam huc pertinentia, in nostris de philosophia libris commodius explicantur.

EPITOME.

Sicut futurum participii in dus, dum tempus amittit, & habilitatem seu dignitatem connotat, in nomen migrat: sic & in rus, dum qualitatem non tempus, salua tamen actione, connotat. De participio in dus, innumera sunt exempla. De participio in rus, tria ponit author exempla. Dixi autẽ, Salua actione. quia licet tempus amittere videatur, non tamen significationem, quia adhuc casus suos regit. vt, Non taciturus gloriam suam, aut de gloria sua: vbi etiam futuri temporis habetur ratio.

Quòd participium futuri temporis in nomen transit. CAP. XXXIIII.

NE illud quidem transeundum est, quemadmodum participium passiuum futuri temporis transit in nomen: Amandus, dignus amari: Colendus, dignus coli: ita & actiuum. Seneca de naturalibus quæstionibus, Nullam autem mentionem fecit cometarum, nõ prætermissurus, siquid explorati apud illos comperisset. Prætermissurus dixit pro eo quod est talis qui prætermitteret. nec tempus innuit, sed hominis qualitatem, atq; animi voluntatem. Quintilianus in vndecimo cap. 2, Neq; omnino huius rei meminit vsquam poeta ipse: profectò non taciturus de tanta sua gloria. Non alio modo dixit, non taciturus, quàm per participiũ passiuum iã conuersum in nomen, vt modo dixi, tacẽdum, dignum taceri, sic: Neq; omnino significauit

hoc vſquam poeta ipſe, profectò rem ſibi non tacendam. Et adhuc Plinius iunior, Itaque partem oneris tui mihi vẽdico, & tanquam parens alter puellæ noſtræ confero quinquaginta millia nummûm: plus collaturus, niſi à verecundia tua ſola mediocritate munuſculi impetrari poſſe confiderem, ne recuſares.

EPITOME.

Repetundarum & repetundis, qui ſoli ſunt in eo ſenſu caſus, in quibus ſubauditur pecuniarum & pecuniis, e in u mutant, vt à participio & verbali repetendus differant. Quod in aliis quoque à tertia præſertim coniugatione deductis fieri ſolet, vt gerundus, faciundus: & omnia ab eo & queo, vt eundi, abeundi, trãſeundi, nequeundi. Ideo autem in genitiuo & ablatiuo hæ voces in vſu ſunt, quòd in illis nomina damnorum & pœnarum poni volunt. Quod autem ait, Sed tertia cõiugatio præter cæteras hoc iuris habet, &c. intelligendum eſt de frequentiori vſu, aut vt tertia quartam quoque complectatur: ſicut apud Donatum, quum dicitur, Eſt præterea, quando tertia coniugatio futurum tempus non in am vel in ar tantum, ſed in bo & in bor ſyllabam mittit, vt Eo is ibo, queo quis quibo, eam vel queam. Nam nonnulla quartæ id quoque facere docet Mancinellus his verbis, Idem in quarta coniugatione licere Au. Gellius lib. 16. cap. 6. oſtendit. nam ita ſcribit, Redeuntes è Græcia Brunduſium, nauem aduertimus. ibi quiſpiã linguæ Latinæ literator, Roma à Brunduſinis accerſitus, experiundũ ſeſe vulgo dabat, &c. Et Tullius lib. 2. de diuinatione, Nam quod aiunt quadringenta ſeptuaginta millia annorum in periclitandis experiundiſque pueris, quicunque eſſent, Babylonios poſuiſſe fallunt. Idem pro A. Cæcinna, Nulli experiundi ius conſtitutum. Curtius lib. 6, Rex non cupiditate magis potiundi loci, quàm vice eorum, quos ad tam manifeſtum periculum miſerat. Hæc ille. De accuſatiuis tertiæ declinationis eſt Seruiana regula, ad illud primi AEneid. Treis Notus abreptas in ſaxa latentia torquet. quòd quæcunque habent ium in genitiuo plurali, niſi ſint neutra, poſſint habere etiam Latine is in accuſatiuo: vt, omnis & omnes, tris & tres, &c. Sciemus autem non eſſe verum quod plerique dicunt, accuſatiuum & vocatiuum tertiæ declinationis etiam finiri in is, præter hæc, Sardis, Trallis, Gadis, Alpis, & Syrtis. Videtur autem accuſatiuus pluralis à ſingulari legitime formari. Nam ſi ſingularis definit in a, pluralis nõ neutri generis exibit in as: vt, hunc cratera, hos crateras. Si in em, in es: vt, hunc panem, hos panes. Si in im, in is: vt, hanc nauim, has nauis. Illud autem is accuſatiui, quod longum eſt, veteres per ει diphthongum ſcribebant. Sed finem facio. Mancinellus.

De Repetundis & Repetundarum. CAP. XXXV.

Repetundarum, & de pecuniis repetundis, non habet alios caſus: & dubitari poteſt participiúmne ſit, ſiue nomen, an gerundium. Verres accuſatus eſt repetundarum, vel de pecuniis repetundis. Quum dico repetundarum, ſubintelligo pecuniarum. Quo nomine, pecuniæ, & omnia quibus diuitiæ conſtant, contineri dicimus. Hæc accuſatio propriè cadit in eos, qui quum forẽt magiſtratus, prouincialibus, aut vi, aut dolo eripuerunt pecunias, aut vaſa pretioſa, veſtem, frumentum, nauigia, nummos. Mutatur autem e in u: Repetendarum enim erat dicendum. Sed tertia coniugatio præter cæteras hoc iuris habet, vt literam hanc immutare poſſit, ſicut accuſatiuo plurali tertiæ de-

clinationis licet mutare eandem vocalem in i, duntaxat in his nominibus, quorum genitiuus pluralis exit in ium, vt Seruio placet. Nam Priſcianus plura præcepta dat. Salluſtius in initio Catilinarii, Omnes homines, qui ſeſe ſtudent præſtare cæteris animantibus, ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſeant. Ita hoc, ſiue participium, ſiue nomen, ſiue gerundium, à tertia coniugatione natum, mutauit e in u: vel ob hoc ſaltem, vt differret ab illo quod dicitur ad res repetendas. vt, Sunt miſſi legati ad res repetendas, quo ſignificatur aut principi, aut populo erepta eſſe vel pecorum, vel hominum, vel locorum, aut terrarum, agrorúmque corpora.

EPITOME IN SECVNDI LIBRI PROOEMIVM.

Si Cæſar, Meſſala, Varro, Gellius, Macrobius, cæteríque literaturæ proceres, de Latina lingua etiã minutiſſima quæque ſectati ſunt: dabitur authori huius operis venia, ſi illos, ab optimis viris Auriſpa Græco & Leonardo Aretino cohortatus, imo perſuaſus, de elegantiis ſcribendo imitatur, præſertim quum nonnulli ab ipſo inuenta, pro ſuis ediderint. Defendit ergo ſe contra æmulos ab authoritate, ſicut & Comicus in prologo Andriæ, dicens,

Faciunt næ intelligendo, vt nihil intelligant.
Qui quum hunc accuſant, Næuium, Plautum, Ennium
Accuſant: quos hic noſter authores habet, &c.

Commendat præterea Auriſpam præceptorem ſuum, & Aretinum amicum: à quibus ſe adhortatum atteſtatur. Et vt ex opere in Raudenſem conſtat, ipſum Raudenſem furti arguit, quòd aliena pro ſuis ediderit: quo minor ſit inuidia, ſi ipſe tandem ſua edat. Poſſet etiam de Sypontino epiſcopo intelligi, niſi verò ſimile ſit illum poſt huius operis editionem ſcripſiſſe.

LAVRENTII VALLENSIS IN SECVNDVM librum Elegantiarum præfatio.

HACTENVS de nomine verbóque, & ex his duobus compoſito participio: nunc de aliis partibus orationis, quid ſingulæ proprietatis habeant, diſſeramus: poſtea de earum diſputaturi complexu. De quo priuſquam ego dicam, non puto mihi diſſimulandum, non defore qui meos hos commentarios antequam legant, ſumántve in manus, putent reſpuendos: tanquam aut ea, quæ haudquaquam vetuſtas ſtatuiſſet digna memoratu

continentes, aut vetuſtatem ipſam partim negligentiæ, partim imperitiæ condemnantes: quòd præteriſſet quæ eſſent in primis (vt ego ſentio) digna quæ literis mandarentur, aut potius vtrunque facientes: quòd inepta quædam, miniméque memoratu digna præcipiam, & veteres illos perfectos ſanè & conſummatos, exiſtimem minus commodè præcepiſſe. Ego verò (vt ad illud primum reſpondeam) non video cur hanc, de qua loquor, materiam ſe indignam exiſtimaſſet aut Caius Cæſar, qui de analogia: aut Meſſala, qui etiam de ſingulis literis volumina conſcripſit: aut Varro, qui de etymologia minutiſſimas tractauit quæſtiones: aut Marcellus, Pompeiúſque linguæ Latinæ indagatores: aut Aulus Gellius publicus penè literarum cenſor, qui vt magnum quiddam annotaſſe ſe præter cæteros apud Ciceronē exiſtimat, explicauerunt pro explicuerunt, & eſſe in hoſtium poteſtatem, pro poteſtate, quæ ipſe indigna ducerem opere meo: aut Macrobius Gellii æmulus, qui omnes libros videtur excuſſiſſe, vt aliquid in Latina lingua, quod auribus hominum dignum eſſet, pro ſua virili parte conferret in medium: aut tres illi tanquam Triumuiri de quorum principatu inter eruditos quæritur, Donatus, Seruius, Priſcianus. Quibus ego tantum tribuo, vt poſt eos quicunque aliquid de Latinitate ſcripſerunt, balbutire videantur. quorum primus eſt Iſidorus indoctorum arrogantiſſimus, qui quum nihil ſciat, omnia præcipit. Poſt hunc Papias, aliíque indoctiores, Eberardus, Huguitio, Catholicon, Aymo, & cæteri, indigni qui nominentur, magna mercede docentes nihil ſcire, aut ſtultiorem reddentes diſcipulum quàm acceperunt. Multos tranſeo quum indoctos, quos numero comprehendere non licet: tum doctos, inter quos ſunt Pædianus & Victorinus. quorum alter ad orationes, alter ad rhetoricos Marci Tullii commentaria compoſuit. ſed prior vt ætate, ita doctrina longe antecedit. Poſtremò non video cur aliquis de grammatica ac lingua Latina componens, hæc ſuo officio minora exiſtimet: quibus nihil ſanè eſt in grammatica & Latinitate præſtantius, vt proximus liber potuit eſſe documento. Quod quum ita ſit, dicámne eos aut imperitia hæc omiſiſſe, aut negligentia? minime. Sed Caii Cæſaris ac Meſſalæ libri interciderunt temporum culpa, Varronis verò de lingua Latina dimidiati reperiuntur: in quibus fortaſſe ea, quæ ego præcipio, continebantur. Cæteri autem (fieri poteſt) vt quæ à ſuperioribus tractata nouiſſent, ſibi non attingenda exiſtimarent.

Donatus. Seruius. Priſcianus. Iſidorus.

Denique multi ſcriptores ad noſtram vſq; memoriam non peruenerunt. Neque verò aliquis hoc loco expectet, vt dicam, non eſſe contumelioſum prioribus, ſiquid ad illorum inuenta poſteriores adiiciant. Nulli vnquam ab antiquis ad eundem curſum conficiendum viam fuiſſe præcluſam. Nihil vſquequaque perfectum, non omnia poſſe omnes. Non dicam id, quod Priſcianus ait, artis grammaticæ vetuſtiſſimos quoſque authores maxime erraſſe: recentiſſimos verò & ingenio & diligentia lõge præſtitiſſe. Id dicam, quod vere poſſum dicere, me non tam mea voluntate (quæ ardentiſſima erat) ad hoc opus deſcẽdiſſe, quàm prudentiſſimorum atque amantiſſimorum cõſilio, quum aliorum, tum præcipue Auriſpæ & Leonardi Aretini. Quorum alter Græce legendo, alter Latine ſcribendo ingenium excitauit meum. Ille præceptoris (vni enim mihi legebat) hic emendatoris, vterq; parentis apud me locum obtinens. Ad quos quum ſeparatim de propoſito animi mei retuliſſem, deguſtationémq; quandam operis demonſtraſſem, vterque pro ſe, vt pergerem, hortatus eſt, & vt ſe authore ederem, iuſſit: vt iam integrum mihi non eſſet, illorum authoritati repugnare, ſi repugnare voluiſſem. Sed currentem (vt dicitur) incitarunt. O viros omni laude digniſſimos. O de literis, ac de literatis optime meritos, non veremini ne alii eò quò perueniſtis (licet perquam arduum ſit) perueniãt: ſed hortamini, incenditis, & quaſi de alto, manum ſcandenti porrigitis. Quare quærentibus, atque mirantibus audaciam meam, ita reſponſum velim, me ſummis viris ſuadentibus hoc opus & condidiſſe & edidiſſe. Quanquam (quod ad cupiditatem meam attinet) quæ tandem ſocordia atque ignauia mea extitiſſet, ſi commiſiſſem, vt alius hãc laudem mihi qualemcunque præriperet? Sunt enim qui nonnulla horum quæ à me præcipiuntur, vel de me, vel de auditoribus meis audita (nunquam enim iſta ſuppreſſi) in opera ſua retulerint, feſtinántque edere, vt ipſi priores inueniſſe videantur. Sed res ipſa deprehendet, cuius domini verè ſit hæc poſſeſſio. Quorum vnius libellos quoſdã pro amicitia quũ legendos eo præſente cepiſſem, deprehendi quædam mea, & quæ me amiſiſſe neſciebam, furto mihi ſublata cognoui. Parco illius nomini. Erat autem locus de Per & Quàm in compoſitione, de qua re proximo libro diſputaui: & de Quiſque quum adiungitur ſuperlatiuo. Negligenter ille quidem & inſcite tractatus, vt ſcires aliunde decerptum, non ex ſe prolatum: & auditum, non excogitatum eſſe. Conturbatus tamen ſum, & inquam homini, Hanc ego elegantiam agnoſco, & mancipium meũ aſſero, téque

plagiaria lege conuenire possum. At ille erubescens, ioco tamen atque vrbanitate elusit, quòd diceret, vti rebus amicorum licere, vt suis. At istud, inquam abuti est, nō vti. Nihil enim mihi reliqui fit, vbi tu huius rei, in qua ipse laboraui, palmam semel occupaueris. Tum ille etiam vrbanius, quòd malus parens essem, qui filios quos genuissem & educassem, è contubernio eiicerem. Ipse tum misericordia, tum amicitia nostra ad se domum suam colligeret, atque educaret pro suis. Destiti in illum stomachari, intelligens multo magis mihi bona mea negligenti, quàm illi bona ab aliis neglecta colligenti vitio dandum esse. Quare quis non videt, nō inhonestum esse, ea me mandare literis ex me inuenta, quæ alii ne furto quidē sublata, turpe sibi ducunt scriptis suis inserere? Adductus sum igitur ad hoc opus componendum non modo magnorum hominū consilio, sed etiam necessitate. Nunc ad incœptum redeundum est.

EPITOME.

Genitiuus omnis, aut passiue tantum significat, vt Mei, tui, sui, nostri & vestri, genitiui pronominū primitiuorum: aut actiue tātum seu possessiue, quod ferè idē est, vt olim hi genitiui, nunc obsoleti, Mis & tis, & nunc nostrum & vestrum: aut vtroque modo, vt reliqui omnes. At quia mis & tis in vsu non sunt, vtimur pro eis pronominibus possessiuis meus & tuus: & loco sis, quod non reperitur, suus: quæ quia mera sunt adiectiua, volunt substantiuis in genere, numero & casu cōformari. Ex qua propositione sequuntur complures (vt dicunt) consequentiæ.

Quoties dictio regens, tam actiue quàm passiue capi potest: semper est amphibolia cum genitiuo, nisi cum his genitiuis Mei, tui, sui, nostri, vestri, nostrum & vestrum. vt Amor Dei. Prima.

Quia possessiua in eodem casu construi volunt, continget aut gratia identitatis, aut gratia coniunctionis, vni regenti, diuersos casus dare. Vt, Tua vnius nihil refert, quod mea vnius opera factum est. Saluus sum meo præsidio atque hospitis. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Et cum participio apud ecclesiasticos, Exaudi vocem meam clamantis ad te. Item, Sustulit puerum de latere meo ancillæ tuæ dormientis &c. Secunda.

Interrogando per adiectiuum, & respondendo per substantiuū, aut econuerso: vtimur diuersis casibus. Vt Cuium pecus? an Melibœi? Non, verum AEgonis. Cuius hæc tunica? mea. Cuia hæc chlamys? militis. Tertia.

Congrue ad possessiua fit relatio, vt fieret ad primitiua: licet in nullo conueniāt, neque primitiua illic poni possint. Vt in Andria, Omnes laudare fortunas meas, qui haberem filium tali ingenio præditum. vbi non liceret dicere, fortunas mei: & tamen videtur ad ipsum fieri relatio. Ouidius, Quarta.

Tu mea scripta legis, qui sum submotus ad Histrum.

Mei, tui, sui, nostri, & vestri, nunquam construentur nisi cum dictione quicum passiue accipiantur: vt cum nomine verbali, aut genitiuum regente, & cum dictione partitiua totius integralis, non multitudinis. Verbi gratia, congrue dico, Amor vel desyderiū tui, hic memor est sui, cupidus nostri, misertus vestri, egeo vel misereor tui &c. Item aliquid mei, nihil nostri, parte mei, congrue dico. Non tamen, Aliquis nostri, sed nostrum: nec, Nullus vestri, sed vestrum: & non vestrorum, nisi subaudiatur, subditorum aut familiarium. Causa est: quia dū dico, Nullus nostrū, partitio Quinta.

est totius multitudinis, quæ sine passione partis fieri potest. Cũ autem, Nihil nostri, partitio est totius integralis. nam sensus est, Corporum nostrorum, aut (vt sic dicã) personarum nostrarum. Vnde virgines dicere possent, Si per milites transimus, amittemus aliquid nostri: quia virginitatem: & si de rebus intelligant, aliquid nostrũ, vel nostri, vt sit genitiuus deriuatiui nostrum.

Sexta. Quando tamen substantiuũ licet agat, etiã habet rationẽ rei possessæ aut potestatis, seu præsidis, bene dantur illi pronomina possessiua: vt sunt pater, genitor, iudex, dux, & similia. Terentius, Sed vbi est Phædria iudex noster? Virgilius, Dux ego vester erã. Sic ferè Quintilianus in declamationibus loquitur. Et Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, & cæteri sancti, Adiutor, protector, creator, redemptor noster Deus. Sic legimus, Crimen & iudicium meum, quo tamen ego criminor & iudicor: quia etiam illa mea duco, quia vtcunque possideo.

Septima. Interest & Refert importãtia pertinentiã status vel officii, includũt in se substantiua fœminini generis quibuscũ genitiui passiue significãtes cõstrui nequeunt: ideo nequeũt post se ablatiuos possessiuorũ, mea, tua, sua, nostra, & vestra. Et ante se nominatiuũ neutri generis, vt Nihil id refert tua. EST autẽ sic captũ loco ablatiui fœminini generis nominatiuũ postulat neutri generis. Perottus dicit hunc locũ non satis diligenter à Laurentio tractatum. Nam vera (inquit) causa cur non genitiuos sed ablatiuos regant, est, quia in his verbis includuntur ablatiui fœminini generis. Sed ea non est causa primaria, sed quã Valla dat. quia videlicet cũ dictis verbis non congruit significatio genitiuorum primitiuorũ passiue significantium, cum actiue aut possessiue significare debeant. Verũtamen friuolæ & inanes videntur ratiunculæ cur in ablatiuo, quia natura genitiuo simillimus est: nec ideo in fœminino, quia id genus medium, aut suauius est. Sed quia (vt dicit Perottus) substantiuum fœmininũ includitur, idque ablatiui casus. vnde nihil aliud est, interest, quàm, in re est: & refert, quàm (inquit) res fert: sed sic non est ablatiui casus. vnde mallem dicere, quàm pro re fert. Neque tamen ea ratio sufficeret, nisi adderetur Laurentiana. Nam si licet dicere, causa mei: non sequitur, hæc dictio Est aut includit substantiuum fœminini generis: ergo habebit ablatiuũ possessiuũ fœminini generis, & non genitiuum primitiuum: sed oportet addere, & significat sic, vt illi nõ congruat genitiuus passiue tãtũ accipiendus. Ergo non dicam, Refert mei, sicut interdum causa mei: quia res aut re mei non dicitur. Adieci quòd interdum nominatiuũ ante se regunt: vt, Nihil refert mea, multum interest tua. Cæterum verbum Est, quod non includit substantiuum fœminini generis, postulat nominatiuũ neutri generis: vt, Non nostrum est, inter vos tantas componere lites: aut, non vestrum, non meum, non tuum, non suum. Quia tamen genitiuum regit, sicut interest & refert, nonnulli volunt ipsum etiam ablatiuos regere: forte quia subauditur, in re. vt Est mea, supple, in re: sed desyderẽ exempla authorum, dicámque Est meum, non mea. De genitiuo exempla sunt, -grates persoluere dignas
Non opis est nostræ. Non viri cuiusque est, Corinthum adire &c.

Octaua. Mei, tui, sui, nostri, & vestri, dum genitiui primitiui sunt, consortium substantiui quasi per appositionem, respuunt: sicut Meus, tuus, suus, noster & vester adiectiua, consortium genitiui nominis proprii. Quocirca aut casum, aut sermonem mutabimus. Verbi gratia, Non dices (authore Valla) Eges mei Prisciani: sed, mei qui Priscianus sum, vel, me Prisciano. Nulla tamẽ videtur, nisi vitandæ amphiboliæ, ratio cur nõ liceat dicere, mei Prisciani, sicut meo Prisciano. sed dũ dicitur, mei Prisciani: dubiũ est an, mei qui sum Priscianus, an eius qui est Priscianus meus, scilicet seruus aut filius. Nam sicut propria non regunt genitiuum, nisi per supplementũ appellatiui: sic nec construuntur cũ possessiuis. vnde cũ dicitur AEneid. 6, Deiphobe Glauci: subauditur, filia. Et dum dicitur primo AEneid. Quid meus AEneas in te cõmittere tantum. subauditur, filius. De secundo exemplum est: vt licet dicatur, Mea

solius opera:non tamen,mea Prisciani opera.

Recipiunt autē mea,tua,sua,nostra,& vestra,frequenter hos genitiuos,vnius,solius,ipsius,cuiusque:& nonnūquam genitiuum participiorum, clamantis,dormiētis &c. Primitiua autē genitiuum gerundiui nominis,& etiam participii,ac illos,vnius &c.Exempla patuerunt,Mea vnius opera,tua solius diligentia,tuam ipsius animam, sua cuiusque gratia.Ouidius in epistolis,Copia placandæ sit modo parua tui.Cicero ad Lentulū,Quocunque tempore mihi potestas præsentis tui fuerit.Neque inepte dixeris,Non egeo tui solius,sed omnium tuorum.Et sicut Tua vnius,ad vnum loquens,dico:ita Vestra duorum,trium,aut quatuor opera factum,dicere possum. sed quia illic proprium est in vsu,mallem dicere,Vestrum omnium, aut vestrū duorū, quàm vestra.Brutus tamen ad Ciceronem dixit,Qui vestris paucorum respondeat laudibus.pro vestrum.At vbi Terētius dixit, Atque inopis te miserescat mei. Valla diceret, Miserescat te mei qui vel quæ inops sum. Et vbi Boetius,Solantur mœsti nunc mea fata senis.qui sum senex.Hæc autem rara sunt,nec imitanda.vnde non dicam,Misereatur mei peccatoris:sed Orent Deum pro me peccatore vt misereatur mei:non enim recipiunt substantiua aut substantiuata. Nona.

De tribus pronominibus Mei,Tui,Sui. CAP. I.

MVltis in locis Priscianus testatur nihil interesse, an vtamur primitiuo,an deriuatiuo in illis pronominibus,Mei,tui,& sui. Quid est,inquit,meus est filius,nisi mei filius? Et alibi,Mei ager est,& mei agri instrumentum. & mei agro dedit,& mei agrū colo.similiter mei agri, & mei agrorum, & mei agros dicimus. Similiter tui agrum,& tui agros: sui agrum,& sui agros: nostri agrum,& nostri agros:vestri agrum,& vestri agros. Et alibi, Amat ille suum filium, & amat sui filium. bene dicit suo filio, & bene dicit sui filio. Petit à me vt prosim sui filio, & prosim suo filio,& in aliis adhuc locis. nisi hac ratione, vt ipsius vtar verbis, Si ipsa tamen possessio in possessorē faciat transitionem, non est congruū vti genitiuo primitiui pro possessiuo . quia vim habet cōpositi Græci.vt Ciceroni redit suus filius,nō satis cōmodè pro hoc dicitur, Ciceroni redit sui filius.nec Ciceronē laudat sui filius,pro suus filius,& similia.Quia nec apud Græcos bene dicitur,κικέρωνα φιλεῖ ἑαυτοῦ υἱός,nisi more Attico pro simplici accipiatur.In quo Priscianū falli vel ex hoc argumentū est,quòd nulla (vt fere solet) authorū exempla attulit, & de contrario illorum vsu reticuit.Ego autem (quoniam de his trium pronominū genitiuis inter me & Priscianū quæstio est) aliquanto altius repetā de natura genitiui,& de vsu doctissimorum authorū disputabo. Et licet non pauca in hanc rem mihi dicēda sint,non prosequar tamen paruula & minuta quædā,& tot verbis quot ille fecit,sed quæ eruditissimis euadere volentibus sint gratissima:quæ quum ignota fuerint Prisciano,declarant eum non satis stylo oratorio

Priscia.li.17. de secūda diffe.pron.possessi.

Genitiuorum significatio.

fuisse exercitatū. Genitiuus omnis (vt taceã siqui sint alii modi) aut actiue, aut passiue accipitur. Adde etiam possessiue, quod penè pro actiue accipio. Actiue, vt Prouidentia Dei, bonitas Dei. Passiue, vt Timor Dei, cultus Dei. Ibi Deus prouidet, & benigne agit, non ipsi prouidetur, & benigne fit. Hic timetur & colitur, non timet, nec colit. Possessiue, vt Sedes Dei, regnum Dei. Atque in huiusmodi oratione, vt intellectus apertus atque vnus est, ita in illis ambiguus & anceps, Amor Dei, charitas patris, suspicio vxoris: dubium est de vtro loquaris, an de amore quem Deus in nos habet, an de eo quem nos in eum: de charitate patris in filios, an filiorum in patrem: de suspicione maritali, an de suspicione vxoria. Taceo quòd aliquãdo ambo hi genitiui eidem orationi adsunt, vt in Catone maiore Cicero, Quid de Publii Licinii Crassi, & pōtificii, & iuris ciuilis studio loquar? Crassus studet, quod est actiue. Ius (vt sic dicam) studetur, quod est passiue. Iterum de officiis libro primo, Quare L. Syllæ & C. Cæsaris pecuniarū translatio à iustis dominis ad alienos, non debet liberalis videri. Tria igitur pronomina, de quibus agimus, sola omnium binos genitiuos sortita sunt: vnos mei, tui, sui: alteros, qui iam exoluerunt, mis, tis, sis: in quorum penè locum successerūt deriuatiua, meus, tuus, suus. Horum binorum genitiuorum antiquitati placuit, alteros actiue significare, alteros passiue. Nam illa mis, tis, sis (vt coniectura ducor) actiue, siue possessiue significabāt: vt hæc ipsa meus, tuus, suus, vnde pronomina possessiua vocitantur. Ennius libro secundo, Ingens cura mis est concordibus æquiparare.

Mei, tui, sui.

Mis, tis, sis.

Plautus in Pœnulo,

Da diem hunc sospitem quæso rebus mis agundis.

Quanuis idem in Milite, & iterum in Mercatore, tis pro tui videri possit accipere: tamen hic cum Ennio mis posuit pro meis, nō pro mei. Quod non licere fieri, authoritatem ex authoribus repetamus, nec accipi vnquam mei, tui, sui, nisi passiue. M. Fabius Quintilianus, Et (quod inter ista difficillimum fuit) amore mei vicit etiam matrem suam. Cicero, Quod desyderium tui ferre non posset, & me tui pudet. Virgilius in sexto,

In Andria.

Quique sui memores alios fecere merendo. Terentius,

Vnum scio hoc, hanc meritam vt memor esses sui.

Non significatur hic amor meus, quem in alterum habeo, sed (vt sic dicam) quem de me alter habet, & quo amor. Item non Desyderiū tuum, sed alterius de te: & Pudor non tuus, sed de te: & Memoria non sua, sed de se. Similiter in plurali dūtaxat duorum. Nam sui non variat vocem genitiui pluralis, ac ne singu-

laris quidem, vt Prisciano placet. Sis enim non reperitur, vt Mis, tis. Ideóque opinor & hæc duo illius exẽplo pariter intercidisse, quum præsertim in vicem eorum succedant deriuatiua. Habent itaque hæc duo pronomina in plurali nostrum & vestrũ, quæ respondent ad illa mis & tis. & item nostri & vestri, quæ respondent ad illa, mei, tui. vt, Nemo nostrum, nemo vestrũ: non autẽ nemo nostri, nemo vestri. Rursus, Habete curam nostri, sicut habemus curam vestri: non autem, habete curam nostrum, sicut habemus curam vestrum. Siquis exempla desyderat, sibi facile reperire poterit. In diuersa opinione Seruius grammaticus est, qui ait, Nostri autem & vestri genitiuus pluralis est antiquus, & ex Græco descendens, sicut singularis est mis & tis. & hoc est vnde dicimus, Nostri causa fecit, hoc est nostrum. Forsitan Aulum Gellium (vt postea apparebit) est secutus. Sed hos & Priscianum cum aliis in errorem (vt auguror) induxit, quòd interdum inueniũt hæc non ad aliã referri personam, sed reciproca esse. vt, Ego omnia facio amore mei, tu istud fecisti gratia tui. Virgilius,

Nemo nostrum, non nostri.

AEneid. 3.

Oblitúsve sui est Ithacus discrimine tanto.

Sed non fuit causa cur errarent. Nam ita in his passio est, vt in illis. nec alio modo, aliquid ego facio amore meiipsius, quàm tu amore mei. Vt enim Diligor abs te, ita diligor à me. vt est apud Ouidianum Narcissum, Vror amore mei. & tu, sicut ab altero, ita & à teipso diligeris, & sibi quisque amicus est, vt alteri. Est alia præterea causa cur errarent: quòd viderent hæc (quæ nos distinximus per actiue & passiue) in multis indifferẽter poni. vt, Causa mea, & causa mei. fama mea, & mei. imago mea, & mei. potestas mea, & mei. vsus vtilitásque mea, & mei. memoria mea, & mei. interdũ etiam ipsa deriuatiua pronomina passiue accipi: vt apud Terentium, Et lachrymis opplet os totum sibi, Vt appareat facile desyderio id fieri tuo. videlicet quòd tu desyderaris, non quòd desyderas. Quale est, Accusatio mea, & crimen meum, quum accusor criminis, quasi accusatio mei, & crimen mei. Sed non satis solertis fuit, tam facile falli. Nam vltimum, vbi passiue positum est hoc pronomen deriuatiuum (quod quidem rarum est) non magis cõtra me facit, quàm contra veteres omnes, qui hæc pronomina possessiua vocauerunt, id est possessionem significantia, quod (vt dixi) rarum est. Ideóque non passim hoc reperias. Non enim dicas pro eodem, dolorem tuum, & dolorem tui, vt dixit Terentius desyderium tuum, pro tui, quod scilicet ipse non dicerem. Verum quãdoquidem non infinita sunt hæc nomina, quæ natura quadam ab vsu aliorum recedunt, non grauabor de nõ-

nullis singillatim dicere, dum non grauentur audientes legentésque hæc audire vel legere. Dicam tamen breuiter:& res digna scitu in primis, in qua videmus maximos etiã esse hallucinatos.

Causa mea, & mei.

Primum est, Causa mea venisti, & causa mei. Causa mea accipitur possessiue, eo modo, quo Via mea venisti, pecunia mea fecisti sumptũ, iter meo sumptu fecisti. Causa mei verò passiue, eo modo quo beneuolentia mei. Modus tamẽ prior est vsitatior. Quid autem de hoc Seruius idem sentiat, postea videro.

Fama.

Fama mea & fama mei, eiusdẽ rationis est, & mea fama frequentius dicimus.

Imago.

Imago mea, scilicet quæ mea est, vt statura mea, & forma mea. Imago mei, nempe quæ de me est. Sed prior modus est vsitatior. Hæc quæ sequuntur, in vtranque partem frequentiora, vt alterũ tamen alterius sensus sit.

Memoria.

Memoria mea actiue, quod ego recordor: memoria mei passiue, quod alii de me recordantur, vel mẽtionem habent. sæpe etiam possessiue eo modo quo fama mea.

Dolor.

Dolor meus, quem ipse patior: dolor mei, quem alius de me patitur, vel forsan ego ipse, símque dolens meam vicem, sicut dicimus, Misereor mei.

Copia.

Copia mea possessiue, quam ego possideo: copia mei passiue, qua ego possideor. vt, Faciã omnibus copiã mei, non meam. Meretrix facit omnibus copiam sui, non suam.

Potestas.

Potestas mea, quam habeo: potestas mei, qua habeor. Nec pulchre dicas alterum pro altero. vt, Tu vides potestatem meam quanta est, non mei. habes potestatem mei, non meam. nisi aliud significet, pro eo quod est, habes eandem similémve potestatem. vt apud Ciceronẽ, Bello Marsico Q. Octauius omnibus faciebat sui conueniẽdi potestatem.

Vtilitas.

Vtilitas mea, aliud est quàm vtilitas mei. Ibi possideo, hîc possideor. Quintilianus, Sed vt aliquid præstaret patriæ vtilitas mei. id est de me. Nam fieri potest vt in eadem re non sit vtilitas sua alicui cum vtilitate sui. Quidam legunt, vtilitas mea. Idem, Quid nunc agam, aut quem vltra esse vsum mei diis repugnantibus credam?

Vsus.

Vsus inquam est non meus, sed ex me aliorum. Adhuc idem, Præsens quidem illa protinus redditur merces, quòd omnibus quibus insedere, odorem mellis inspirant, & breui contactu vim sui relinquunt. vim sui, nõ suam, sed ex se. Quo modo tu captus amore mulieris, malles habere copiam sui, quàm suam.

Fastidium.

Fastidiũ mei, quo ego ab aliis fastidior. Fastidium meũ, quo ego alios fastidio. Vt idem, Seu mulier omnibus exposita mortalibus, vanitatẽ fastidio mei, despectúque captauit. Hæc sunt, & his similia, non tamen plurima, quæ ancipitem naturam habent, cætera verò minime. Non enim sic dicimus, Pulchritudo mei, fortitudo tui, longitudo sui, vt imago sui:

non prudentia,non ingenium,non ſapientia,non probitas,non virtus,nõ innumera alia. Quòd ſi tã parua res eos mouit,debuit ediuerſo illud magis mouere:quòd quædã,quæ & ipſa nõ multa ſunt,habent ancipitem ſignificationem, ſed quam nemo niſi cæcus non diſcernat,vt Pars,dimidium,mediũ,membrũ, quid, aliquid,multũ,& ſiqua alia.Quis enim nõ videat,quũ dico,Hæc eſt pars mea: non de corporis mei parte intelligi,ſed de hæreditatis? Et iterũ, Hæc eſt pars mei,nõ de hæreditate,ſed de corpore? Manus pars mei eſt,nõ mea.Fundus pars mea eſt,nõ mei.Dimidiũ tui maius ait eſſe,q̃ dimidiũ ſui: profectò de corpore intelligo. Dimidiũ tuũ maius ait eſſe, q̃ dimidiũ ſuũ: de præda,aut de cibo,aut de ſucceſſione,aliiſq; ſimilibus intelligendũ eſt.Mediũ tui tangã,nõ mediũ tuũ.E medio mei prodiit,nõ è medio meo. vt,Auferã iniquitatẽ de medio tui Iſrael.Membrũ,quũ pro parte accipitur,eandem rationẽ ſequitur.vt,Hic puer membrũ mei eſt,quaſi pars mei:ſin pro mẽbro aliquo,& in ſuo ſignificato,ita accipitur, vt caput,vt manus,vt pes. Hic puer membrũ meũ eſt, quaſi ſic vt caput,& manus. Hic digitus mẽbrũ meũ eſt, nõ mei. Item,Quid mei tetigiſti? quid tui vidi? Aliquid tui virgo perdes, ſi venatũ cũ adoleſcẽtulis prodibis. nõ aliquid tuũ. niſi dicamus tui à neutrali genere,vt Cicero de oratore li.3, Ex quo vereor,ne nihil ſim tui,niſi ſupploſionẽ pedis imitatus.id eſt de tuo, nõ de te.Vlyſſe, ſiquid tui Polyphemus prehendet,id omne deuorabit. Mei nihil attigit.quicquid enim attigiſſet mei,ſtatim contriuiſſet.Multũ mei ille auferre poteſt,ſed plus tui.plus inquam de te, quàm de me: nõ de tuo,& de meo. Item,Quicquid Melibœe diripuiſti,aliquid meum fuit,non mei.Nunc redeo ad Seruiũ,qui ait,Tui cauſa feci,& tua cauſa feci,diſcretionem hanc habent:vt tui cauſa tunc dicamus, ſi aliquid ipſi ad quem loquimur, præſtiterimus,vtputa,Tui cauſa te defendi.Virgilius in 12, Pars mea, & mei.

Victus amore tui,cognato ſanguine victus,
Coniugis & mœſtæ lachrymis,vincla omnia rupi.

Tua verò cauſa,quum alteri aliquid alterius contẽplatione præſtamus.Vt,Tua cauſa mãcipium tuum defendi.Si Seruius tantũ de hoc vocabulo cauſa loquitur,& non in vniuerſum de omnibus huiuſmodi, non rectè attulit exemplum alterius vocabuli, præſertim nonnihil natura differentis: ſin verò de omnibus,non poteſt vna lex dari diuerſis,vt ſuprà oſtẽdimus. Si tamen lex eſt, & non potius contra legem omniũ veterũ.Nam(vt ego dicebã) cauſa ſæpius cũ pronomine deriuatiuo copulatur, atq; hoc quidẽ indifferenter, ſiue aliena ſit cauſa,ſiue tua. veluti ſiquis dicat,

Epicurus vult omnia cuique agēda esse causa sua, mihi mea, tibi tua, illi sua, nobis nostra, vobis vestra. non mihi tua, aut sua, nec tibi mea, nec illi vestra, nec nobis sua, nec vobis nostra. Hîc nihil opus est admiscere primitiuū. Sed ne sine exemplo loquar (quod ipse fecit) vno ero contentus sumpto ex Quintiliano, Mea depugnasti causa, tua peristi. Atque hoc quod Seruius præcipit nobis, ipse constanter vsus est, neminem tamē secutus. Quale est illud in 7. AEneid. Non spe salutis, sed mei causa. Et in 8, Hæc signa mei causa fiunt. Et in 9, Vult enim intelligi sui causa matrem secutā. Verum quid mirū de Seruio, quū Aulus Gellius, & quidem antiquior, nō modo nullum exitū in hac quæstione potest reperire, sed etiam non optime sentit. ita enim inquit, Cur igitur Terentius, Pœnitet nostri, nō nostrum? Nihil hercle mihi de ista re venit in mētem, nisi authoritas quædam vetustatis non nimis anxiè, neque superstitiosè loquentis. Paulo post, Sed procul dubio qui rectissimè loqui volet, nostrum potius dixerit, quàm nostri. Et idcirco importunissimè fecerūt, qui in plerisque Sallustii exemplaribus scripturam istam syncerissimam corruperunt. Nā quum ita in Catilinario scriptum esset, Sæpe maiores nostrum miserti plebis Romanæ, &c. nostrum * aboleuerunt, & nostri scripserunt. Ex quo in plures libros mendæ istius soboles manauit. Tu Aule Gelli de genitiuo nostri loqueris, non de nominatiuo nostri pluralis numeri. Vtrum rectius sit ad exemplum Sallustii (vt mihi & cæteris placet) in nominatiuo casu, nihil ad rē facit, neque ad exemplum Terentii. Et qui (vt tu vis) Sallustii scripturā corruperunt: non in genitiuum mutauerunt sonum illum, sed in nominatiuum, per quem casum non audeas tu dicere, corrupte nos loqui. imò (quantum ego sentio) incorruptius. Est enim vna eadémque vox nostri, ab eo quod est ego genitiui casus, & nominatiui ab eo quod est noster. Neq; verò ego repugno Aulo Gellio dicenti mutatam scripturam esse à nostrum in nostri, nominatiuum tamen, non genitiuum. Nam neque aliquis recte in genitiuum mutasset, neque ratione mutasset. Quin potius fateor, & hoc libentius, quòd vnicum illud exemplum, quod ipse ex Plauto protulit, fortasse mendosum est, dicente, Duorum labori ego hominum parsissem lubens. Mei, te rogandi: & tui, respondendi mihi. Ait autem Aulus Gellius, Mei enim hoc in loco Plautus non ab eo dixit quod est meus, sed ab eo quod est ego. Itaque si dicere velis patrem mei, pro patrē meū (quod Græci modo τὸν πατέρα μου dicunt) inusitate quidem, sed recte profecto: eáque ratione dicas, qua Plautus dixit labori mei, pro labori

Lib. 20. cap. 5.

*Obleuerunt.

meo. Nolo equidẽ tam confidenter (vt facit Gellius) ſcripturam mẽdoſam dicere, & affirmare quod inexploratum habetur. Taceo autẽ quòd damnat fortaſſis immeritos, qui nec corruperunt ſcripturam, & melius ſic dici putauerũt. Quæro cur veriſimilius ſit aliquos ſcripturã illam mutaſſe Salluſtii, in qua nihil abſurdi erat, quàm hanc Plauti, qui contra grammaticorum leges, qualis eſt Seruius, & Priſcianus, & Donatus, qui hũc poetã in ſchola lectitabant, facere videbatur, ſi ita diceretur, Duorum labori hominum parſiſſem lubens, Meo te rogandi, & tuo reſpondendi mihi. Nulla nanque grammaticæ ratio videtur poſſe hoc tueri. Quin potius quum per indiuidua exponimus ſingillatim, quod dixeramus per vniuerſum, eodem caſu vtamur, ſic, Duobus hominibus laborem detraxi: neceſſe eſt vt dicamus, mihi ſcilicet & tibi, non autem meum & tuum. Tamen (vt ego ſentio) in genitiuo permiſſum eſt. vt, Affert hic accuſationem duorum hominum, mei & tui, ſiue meam & tuam: quale hoc loco fit. ſed dicendum potius per pronomina deriuatiua, quia poſſeſſio, ſiue actio ſignificatur, non paſſio. Quod ego mutatum eſſe nolo dicere ab ipſo Aulo Gellio, ſed à grammaticæ profeſſoribus, quorum nihil eſt ſupercilio ſuperbius, nihilque improbius, & ad emendandos libros, vel corrumpendos potius magis audax. Præterea Plautus licentia verborum poteſt dici vſus, in qua fuit planè nemo liberior. Poſtremo quid habet momenti, ex vno authore & eo poeta, afferre vnum exemplum in tanto numero omnis generis authorum, qui adeo refugerunt dare actiuam ſignificationem his tribus genititiuis primitiuorum, vt eos mutauerint in alteram vocem, genitiuis aliarum dictionum, cũ quibus coniuncti erant, natura repugnante, minime mutatis: vt Cicero in Gabiniũ & Piſonem, Dico mea vnius opera rempublicã eſſe liberatam. Idem ad Atticum, Solius enim meum peccatum corrigi non poteſt. Idem pro Murena, Ex tuo ipſius animo cõiecturam cæperis. Non dixit, ac ne dicere quidem potuiſſet, mei vnius opera, mei ſolius peccatum, tui ipſius animus. Et in plurali, Quintilianus, Deinde quum ſatis vires eorum explorauerint, ſuæ ipſorum fiduciæ permittunt. non dixit, ſui ipſorum fiduciæ. Quid multis? quum etiam apud recentiores (de Chriſtianis loquor) hoc ſit obſeruatiſſimum, vt in Pſal. 141, & 43. ſecundum Hebraicam veritatem, quorum alter ita incipit, Domine clamaui ad te, feſtina mihi, exaudi vocẽ meam clamantis ad te. Alter ſic, Audi Deus vocem meam loquentis, à timore inimici ſerua vitam meam. Et in 70, ſecũdum aliam è Græco tranſlationem,

Grãmaticorũ ſupercilium.

Lib. II. epiſt. 223.

Solius. Ipſius.

Suæ ipſorũ.

Domine memorabor iustitiæ tuæ solius. Est autem solius non fœminini generis, sed masculini, vt ex Græco apparet. refertúrq; ad Dominum, nõ ad iustitiam. Item libro Regũ 3, Sustulit filiũ meũ de latere meo ancillæ tuæ dormientis. Et in euangelio Lucæ, Et tuam ipsius animam pertrãsibit gladius. Nec desunt quidam imperite docti, qui conantur illud exponere, tuã ipsius animam, aliud esse quàm tui: si tui dicere liceret, homines ignaros non solum theologiæ, sed etiam literarum. Interrogẽt Græcos, & reperient penes eos, vnde nos sumpsimus, tui esse, non tuam. quum illi non habeant in his tribus pronominibus, quam nos, elegantiam. Ideóque apud eos est, Pater nostrum vel nostri, qui es in cælis. Sanctificetur nomen tui. Adueniat regnũ tui. Fiat voluntas tui, sicut in cælo & in terra. Panem nostri, vel nostrum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostri vel nostrum: sicut & nos dimittimus debitoribus nostri vel nostrũ. quæ nos, ne barbare loqueremur, mutauimus in pronomina deriuatiua. Ex quo apparet nõ modo illud Auli Gellii, maiores nostri per genitiuũ contra grammaticam, verũetiam illud, maiores nostrum contra vsum esse: potiúsque in tali genere vtendum esse deriuatiuo nostri, quàm primitiuo nostrum, licet hoc, ratione non vteremur. Nec vsquam contrarium exemplum reperire cõtingit, nisi vnũ in epistola quadam Ciceronis ad Curionem sic dicentis, Eam autẽ vnius tui studio me assequi posse confido. Quod & sic defendi posset, studio pro gratia & fauore, vel amore aliorum erga te. vt apud Horatium ad Vinnium Asellam, Ne studio nostri pecces. tamẽ malim dicere id factũ esse vitio librariorũ. Ac ne semper culpam reiiciam in librarios falsò, dabo argumẽtum cur & prius & nunc merito in illos impetum faciam. In proxima statim epistola legitur bis, tyranno P. Lentulo, pro eo quod est tribuno plebis. Et in præcedente libro ad Lentulum, qui est illius operis primus, bis etiam idem vitium est in secunda & vndecima epistola. Et quum omnia vt reor (maximam enim partem vidi) exemplaria quæ in Italia sunt, mendosa & deprauata hoc vitio essent, nullus tamen tantum flagitium animaduerterat. Itaque sicut nunc illud emendauimus, ita hoc quoque emendare, & in pristinam synceritatem restituere audeamus: sic, Eam rem tuo vnius studio me assequi posse confido. Nec alia causa factum est, vt Terentius dixerit, Saluus sum meo præsidio, atque hospitis. nõ præsidio mei atque hospitis. Quem imitari Petrarcha si sciuisset, non titulum operi suo indidisset de sui & aliorum ignorantia, sed de sua. Aliud nanque est ignorantia sui,

aliud ignorantia sua. Si tamen sensit de ignorantia quam de se habuit, recte dixit. Et vulgo dicimus, Scio tuas diuitias, qui te pauperem quereris: non tui diuitias. Aspice liberos meos, qui dicor orbus: non mei liberos. Cernant supra prædia, qui mihi vnum fundum inuident, non sui prædia. Vbi non modo genus dissimile est antecedenti & relatiuo, sed etiam numerus. Quanquam (quod validissimum est) ingens differentia significationis est inter primitiua pronomina & deriuatiua. Sed ista omnia fieri cogit, quòd non licet primitiuis genitiuis dare significationem actiuam. Cuius rei & illud maximum argumentum & apertissimum est, quod subiiciam, nulli adhuc grammaticorum intellectum, quòd dicimus, Mea, tua, sua, nostra, & vestra, interest & refert: nō autem mei, tui, sui, nostri, & vestri. Est autem illud mea, tua, non ex parte ante (vt quidam volunt) sed ex parte post, non aliter quàm quum dicimus, Hoc interest illius, quasi hoc est officium illius. Ita hoc interest mei, si liceret mei aliter accipere q̄ passiue. Nunc dicimus mea in voce possessiua, sed ita tamen vt sit primitiuum & substantiuum, & non adiectiuum. Denique ita ac si diceremus mis. Regi autem à parte posteriore, atque ideo hoc verbum habere ante se nominatiuum, sicut Sum, es, est: sed in neutro genere, quis dubitet, quum omnia plena sint exemplorum? Cicero pro Plancio, Siquod mea minus interest, id te forte magis delectat. Et pro eodem, Non solum quid cuique debeā, sed quid cuiusque intersit. Et pro Sylla, Vestra enim, qui cum summa elegantia atque integritate vixistis, hoc maxime interest. Et pro lege Manilia, Illud primum parui refert. Vbi etiam dicere possemus, Illud mea parui refert. Sed hoc nihil ad præsens tēpus. Hæc omnia resoluuntur in verbū substantiuum, hoc modo: Siquod minus meum est, quid cuiusque est, vestrum est hoc maxime. Illud parui momenti est, vt appareat non differre naturam verbi substantiui & horum duorum impersonalium verborū, nisi quòd illud naturaliter post se nominatiuum postulat, hæc genitiuum, sed actionis siue possessionis, more verbi substantiui. Sed hoc in cæteris nominibus ac pronominibus nihil dubitationis habet, quorum genitiui actiue, passiue, possessiue, & siquis est alius modus, accipiūtur. Mei autem, tui, sui, diuersam naturam habent. Quid igitur faciendum erat? hæc passiue accipiuntur, non actiue, nec possessiue. Illa verba post se volunt genitiuum actiuum, siue possessiuum. Danda ergo fuit vox possessiui pro significato primitiui, non genitiuus possessiui, qui idem erat qui est primitiui, sed ablatiuus, qui natura est

Interest. Refert.

Est.

genitiuo ſimillimus: & in genere fœminino, vel tanquam medio trium generũ, vel ſuauitatis gratia: ne durũ videretur meo, tuo, ſuo, noſtro, & veſtro. Ideóque hi ablatiui iungi ſibi patiũtur adiectiua illa, tanquam actionem poſſeſſionémque ſignificantia in genitiuo, vt ſuprà demonſtrauimus, ſic, Mea ſolius intereſt, tua vnius refert, ſua ipſius intereſt: non mei ſolius, tui vnius, ſuiipſius: niſi in alia loquẽdi figura, de qua mox ſubiiciã. Vnde maxime palàm fit, nunquã hos genitiuos ſumi niſi paſſiue: vt, Habeo curã mei ſolius, non meã ſolius. Habeo curã tui vnius, non tuã vnius. Vnuſquiſque curã gerit ſuiipſius, non ſuam ipſius. Cur ita? quia paſſio hîc ſignificatur, vbi ſuperius vel actio, vel poſſeſſio. Cuius rei vnũ exemplũ ſuffecerit ex Terentio, Hem tot mei ſolius ſoliciti ſunt cauſa, vt me expleãt. Et planum quidem iam fecimus, tres genitiuos mei, tui, ſui, paſſiue ſemper poni: meus, tuus, ſuus, plerunque poſſeſſiue. Ideóque quum vtendum eſt illis primitiuorum genitiuis, mutari ſonũ de i in a. Nunc aliqua addenda ſunt de his dictionibus, quæ legitime coniũguntur cum huiuſmodi pronominũ genitiuis: nec enim omnes poſſunt. Ante omnia nullum ſubſtantiuum in conſortio ſuo ſuſtinent. Vt, Fili, noli domo recedere reſpectu mei patris. Quod non tam placuiſſe Priſciano reor, quàm per imprudentiam eſſe lapſum, quũ dicit, Mei Priſciani eges, tui Priſciani egeo. Et alibi, Ego Virgilius, tu Virgilius, ille Virgilius, mei Virgilii, tui Virgilii, illius Virgilii. Hæc enim oratio declarat meum Priſcianum, Virgiliúmve, aut tuum: non me Priſcianum, Virgiliúmve, aut te. non aliter quàm ſi dicas, Eges mei patris, egeo tui domini. Quod profecto nõ eſt primitiuorum ab eo quod eſt ego & tu, ſed deriuatiuorum, ab eo quod eſt meus & tuus. Neque diſcrimen facit, quòd hic appellatiuum nomen eſt, ibi proprium. Virgilius,

Mei, tui, ſui, primitiua, ſubſtantiuũ reſpuunt.

Siqua tui Corydonis habet te cura, venito. Et alibi,
AEneæ mihi cura tui. Et iterum,
AEneǽque mei. quæ à meus, tuus, non ab ego, tu, veniunt. Itaque ſic emendemus Priſcianum, qui quum de lingua Latina componit, antiquitatem omnem corrigens, nomen ſuũ Latine proloqui neſciuit, Mei qui ſum Priſcianus eges: tui egeo, qui Priſcianus es, vel me Priſciano eges. te Priſciano egeo, vel tui, vel te Priſciane egeo. Nam illud Apoſtoli ad Corinthios, Salutatio mea manu Pauli, è Græco eſt ſumptũ: ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου. Tertium verò exemplum quod idem protulit, illius Priſciani eget, recte dicitur. Non habent enim cætera pronomina ancipitẽ naturã, vt illa tria, de quibus diximus. Adeóque verum eſt, hos

ipſos genitiuos reſpuere conſortium ſubſtantiui, vt ne in poſſeſſiuorum quidem forma illud pati velint. Vidimus licere dicere, meam vnius operam, tuum ſolius ſtudium. Non tamen dicemus, meum Laurentii ſtudium, ſuũ Priſciani prædium: ſed meũ ſtudium, qui ſum Laurẽtius: prædium ſuum, qui eſt Priſcianus. Neque tamẽ ob id excludo, ſi genitiuos hos paſſiue accipiamus, eo modo quo exemplum ponemus. Nam (vt ſuperius docui) aliquando duos genitiuos alterum actiue, alterum paſſiue poſitũ videmus vnà iungi. vt, Quid de P. Licinii Craſſi iuris & ciuilis, & põtificii ſtudio loquar? Ita fit in pronomine, vt idem author ad Atticum, Mihi fuit & laudis noſtræ gratulatio tua iucunda, & timoris conſolatio grata. Et iterum, Vehementérque tua ſui memoria delectatur. Quòd ſi igitur hæc pronomina, ſiue in genitiuo paſſiue, ſiue mutata in vocem poſſeſſiuorum actiue non admittunt genitiuos ſubſtantiuorum, nunquid admittunt omniũ adiectiuorum? Nõ opinor. ſed proprie ſolorum participiorum, participialiúmque gerundiuorum, & frequẽtiſſime illorum triũ (vt quidam volunt) pronominum, vnius, ſolius, ipſius, & ſiqua alia, quæ rara ſunt, de quibus mox dicam. Per genitiuum cum participio. Cicero ad Lentulum, Quocunque tempore mihi poteſtas præſentis tui fuerit. Per fœmininum, ſed cum gerundiuo. Ouidius heroidum,

Mei, tui, ſui, cũ adiectiuorũ genitiuis.

Copia placandæ ſit modo parua tui.

Per vocem mutatam in poſſeſſiuum, vt ad Ciceronem Cato, Libenter facio, vt tuam virtutem, innocentiã, diligentiam cognitã in maximis rebus domi togati, armati foris, pari induſtria adminiſtrare gaudeã. Cicero de Oratore, L. Craſſum quaſi colligendi ſui cauſa ſe in Tuſculanũ contuliſſe. Sed hoc gerundiũ eſt. Et ea exẽpla quæ ſuprà attuli, quorũ vnũ fuit, Suſtulit de latere meo ancillæ tuæ dormientis, ad quod pronomen malo referri illud dormiẽtis, quod eſt adiectiuũ: quàm illud ancillæ, quod eſt ſubſtantiuũ. ita vt ſi abfuiſſet participiũ, vix tolerabile fuerit futurũ, quale Boetii, Solantur mœſti nunc mea fata ſenis. Quintilianus in ægro redempto, etiã ſolet omittere pronomen. vt, Accepi fateor illum qui ſolutus quoque non ſequebatur, quem nõ gaudium redemptionis, non lætitia prælati, non hortantis erexit patris amplexus. Et in eodẽ libro, Rus, ſeruulos, penates, & omnia vtiliora properanti feſtinatione * parentis addixi. Omiſit ſui, vt eſſet, nõ lætitia ſui prælati. & meus, vt eſſet, non meus hortãtis amplexus. & iterum mea, vt eſſet, feſtinatione mea * parentis. Poetæ etiam frequenter. Ouidius heroidum,

*pergentis.

*pergentis.

Denique quiſquis erat caſtris iugulatus Achiuis,
Frigidius glacie pectus amantis erat.

Id eſt, meum amantis. Idem,

Illa meis oculis ſpecies abeuntis inhæret,
Quum premeret portus claſſis itura meos.
Auſus es amplecti, collóque infuſus amantis,
Oſcula per longas iungere preſſa moras.

Id eſt, tua abeuntis, & meo amantis. Idem in eodem opere, ſed inuſitatius,

Et fleſti, & noſtros vidiſti flentis ocellos.

Noſtros dixit pro meos, & flentis pro flentium. Eſt enim illud flentis genitiuus ſingularis, non accuſatiuus pluralis. quod accẽtus probat, quum tales accuſatiui habeãt vltimam longam, quæ hîc non eſt. Hoc dixi, quia quidam hunc locum exponunt per accuſatiuum. Illa diuerſitas numerorũ, meos ſiue noſtros amãtis, vix aliis quàm poetæ permiſſa eſt. Poſtremo hæc pronomina, ſiue in primitiuorũ genitiuis, ſiue in poſſeſſiua voce (vt dixi) maxime gaudent illis tribus, vnius, ſolius, ipſius, quorũ multa exẽpla iam protuli. Nec ab re fuerit ſicut vnius, ita duorum, trium, quatuor, poſſe dici. Item omnium, cuiuſque, plurium, & ſiqua ſunt adhuc. vt, Veſtram duorum, vel veſtram trium, vel veſtram omnium operam deſydero, pro veſtrũ. Cicero de Oratore lib. 3, Sed voluntati veſtræ omniũ parui. Cuiuſque, aptius cum pronomine ſui, ſiue ſuus coniungitur. vt, Vellem noſſe quæ ſit ſua cuiuſque ſententia. non ſui cuiuſque. Brutus ad Ciceronem, Qui veſtris paucorum reſpondeat laudibus. pro veſtrum. Verum iam huic quæſtioni finem imponamus.

Cuiuſque.

Veſtris paucorum.

EPITOME.

Meme & tutu, ſemper figurate, & vbi πάθυ eſt, dicuntur. Tete frequenter, ſed etiam citra figuram: ſicut & ſeſe, frequentius. Pronomina autẽ quadrifariam cõponũtur. Primo inter ſe. vt ex iſte & hic, fit iſtic, iſtæc, iſtoc: aut iſthic, iſthæc, iſthoc. Secundo, cum aliis partibus. vt ex is & demum, fit idem. Tertio, ex ſe. vt meme, tete, ſeſe. Quarto, cum ſyllabicis adiectionibus, met, te, pte, ce, & cine: vt egomet, tute, tutemet, tuapte, hiſce, hunccine. Tete ergo poteſt eſſe à nominatiuo tute, ſecunda breui: & tunc nulla erit figura. Ideo autem (vt quidam volunt) non dicimus Tumet ſicut egomet, in rectis ſingularibus, quòd coincidat ea vox cũ tertia verbi tumeo: in plurali tamen reperitur voſmet, vt AEneid. primo,

Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

Ac in obliquis dicimus tuimet, non tuite: ſicut contrà, in nominatiuo tute, non (vt dixi) tumet, ſed tutemet.

De Meme, Tete, Tutu, Seſe. CAP. II.

EAdem ferè hæc tria pronomina geminari etiam ſolẽt: priora quidem per figuram, Meme, tete: tertiũ ſine figura. Virgilius in nono AEneidos,

Meme adſum qui feci,in me conuertite ferrum
O Rutuli. Et in vndecimo,
-meme duce ferrum
Corripite ô Rutuli. Et in duodecimo,
Verte omnes tete in facies.

Sed hoc videri poteſt eſſe ſine figura. Non enim eſt ita acre & ardens.vt apud Quintilianũ, Tete hoc loco mulier interrogo. In nominatiuo planè ſemper figuratũ eſt . vt Cicero in Antoniũ, Tutu faces illas incẽdiſti. Seſe (vt dixi) nunquã figuratũ eſt.vt idem,Hic viri fortiſſimi ſanguine aſperſus,ſceleratã gratulantibus manũ porrigens,in templum Iouis contulit ſeſe.id eſt ſe. In Cæco, in limine. Philip.2.

EPITOME.

Noſtras,veſtras,& cuias,nõ tantum patriã,-nationémque adſignificant,ſed etiam partes,& quaſi ſectam:nec neutro genere carent. Exempla patent in litera.

De Noſtras,Veſtras,& Cuias. CAP. III.

Noſtras, veſtras, & cuias, non tantum patriam, nationémque innuunt, ſed etiam partes, & quaſi ſectam.vt, Veſtrates philoſophi nõ ſunt ita populares & fauorabiles,vt noſtrates,qui ab Epicuri ſchola prodierunt. Et,Cuiates philoſophi vos eſtis? Stoicíne an Academici, an Peripatetici, an noſtrates Epicurei? Cicero, Putaréſne vnquam accidere poſſe,vt mihi verba deeſſent, non ſolum iſta veſtratia oratoria, ſed hæc etiam leuia noſtratia?

EPITOME.

Hic,iſte,& ille,cum ſuis condecliniis & aduerbiis hoc differunt:quòd hic,ad primam perſonam:iſte,ad ſecundam:ille,ad tertiam,remotã ſcilicet ab vtriſque, ſpectat.Solet enim fere cõtingere,vt hic,hæc,hoc,ſint loquẽdi vicina: iſte,iſta,& iſtud, ei ad quem loquitur: & ille, illa,illud, ab vtriſque diſtantia. Ille præterea,ſignificat nobilitatem: ipſe præſtantiam & excluſionem minorum:iſte contemptũ minorũ.

Verbi gratia,Hoc caput dicere ſolet,qui ſuum demõſtrat.vt Aſcanius,AEneid.9, Per caput hoc iuro, per quod pater ante ſolebat. Sic apud Comicum, ſeipſum demonſtrans, inquit, Tu ſi hic ſis, aliter ſentias . Neque neceſſe eſt, vt de quo dico hoc,meum ſit: ſatis enim eſt dummodo ſit mihi vicinum, aut ipſum teneam . vt AEneid.6, Hic vir hic eſt, tibi quem promitti ſæpius audis. Et 7.eiuſdem, Hoc pater Anchiſes auro libare ſolebat.Hoc Priami geſtamen erat,&c.verba ſunt Ilionei munera tenentis ac offerentis,non poſſidentis. Adieci,ille ad nobilitatem pertinere,vt litera declarat:iſte,ad contemptum,vt Quid petis iſtis? quaſi vilibus & abiectis.ipſe ad excellẽtiã cũ excluſione minorũ,vt Ioue miſſus ab ipſo,ſcilicet qui magnus eſt: nec ab inferiori. Mancinellus prætendit verã eſſe Priſciani differentiã, quam pro parte concedimus,quòd videlicet Iſte intelligitur ſpatio propinquiore,non tamen omnibus,ſed ei ad quem ſermo fit. Negamus quòd Ille ſit ſemper de remotiore à nobis: nã fieri poteſt vt is de quo Ille dicatur,ſit nobis vicinior,quàm iſte. Verbi gratia, ſi ſim Parrhiſiis, non inepte dixero, Accepi te quidẽ Rothomagi agere,fratrẽ verò apud Ambianos.At quũ multi occurrant qui iſtuc iter haberẽt,nemo autẽ qui illuc:rogo vt ſiquem illuc iſtinc profecturũ noris,has quoque ad illũ nomine des meo. Vbi ille,mihi vicinior eſt iſto.Verba Mãcinelli ſunt,Priſciani ſentẽtia optima quidẽ eſt,quòd iſte ſcilicet,ſpatio propinquiore intelligitur:ille autẽ,longiore. Mancinellus.

Nam si ego Venetiis moram trahés, in vrbem ad amicum scribam, dicam, Siquid in ista vrbe noui est, mihi significato. de spatio propinquiore illi ad quem loquor intelligitur. Si verò dicam, Alexander Biordi filius Perusiæ studet. Quocirca ad eum scribas, significet quicquid in illa vrbe dignius. Tum de spatio remotiore à te intelligitur. Hæc ille. quæ quàm vera sint atque recepta, ipse viderit.

De Iste, Ille. CAP. IIII.

ISte & Ille (si audire Priscianum volumus) hoc differunt, quòd iste spatio propinquiore, ille autem longiore intelligitur. Cuius authoritas plurimos in errorē induxit, qui pro istud, dicunt illud, veluti si ad hominem longe positum scribas, Siquid noui in illa vrbe est, mihi notum facias. pro eo quod est, in ista vrbe. quod non mediocre peccatū est. Nā de me loquens dicere debeo, Hoc caput, hæc manus, hæc ciuitas: de te verò, Istud caput, ista manus, ista ciuitas: de tertia autem persona, Illud caput, illa manus, illa ciuitas. Cicero in Antonium, Remoue paulisper istos gladios. Et in eodem libro, Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauseras, vt tibi necesse esset in cōspectu populi Romani vomere postridie. Hoc est, istis tuis faucibus, istis tuis lateribus, ista tua firmitate. Vnde nascuntur aduerbia istic, istinc, istac, istuc, istorsum, istò. Vt idem ad Valerium iurisconsultum, Qui istinc veniunt, aiunt te superbiorem esse factū. id est qui ab ista prouincia in qua agis, huc in Italiam, Romámque veniunt. Aliquando tamen Iste accipitur pro Hic, vt idem & in eundem, Quum isto tempore stent cum gladiis armati. Et Quintilianus, Iuuenis iste est, de quo summa in rebus humanis monstra fingūtur. Et iterum, Iuuenis iste patris sui hæres solus inuentus est. Ille quoque nonnunquam per dignitatem, aut per eminentiam ponitur, indicans esse, quod omnes debeant nosse. vt, Alexander ille magnus, ille Censorius Cato, Architas ille Tarentinus.

Philip. 2.

EPITOME.

Hic, sæpe de spatio propinquiore: Is, de remotiore intelligitur: vtrūque autē cōcinne post relatiuū subiūgitur, vbi ille, à quibusdā minus venuste positū reperitur. vt in hoc locutionis genere, Qui præfert virtutem diuitiis, is sane fortis est, vel hic sane fortis est: nō ille sane fortis est. Vtrūque quoque tā hic quàm is. sed cōcinnius is, cū copulatiua cōiūctione, antecedentis qualitatē specificat, hoc pacto, Vestis modica, & ea detrita, vel & hæc detrita. Idem, accipi solet pro etiam, refugítque post se coniunctionē &, quam simplex recipit. Ad hoc, pro præterea non inuenuste capitur. Exēpla in litera patent, præterquā vbi hic, de propinquiore: is, de remotiore intelligitur. Poterit autem dari tale, Siquā rem hîc tibi vtilem inuenisti, hac vtere: siquam in agro, vtere & ea. Item, Domi & foris sollicitor: hîc à meis, ibi ab hostibus. Sed referri volunt hic ad posterius dictum, quasi ad vicinius dicenti: & ille ad prius dictum, quasi ad remotius. id tamen Valla sæpe non obseruat, vt vbi de fico

dicit: nec differentiam posuisset generis inter morbum & fructum, cum hoc ab illo dicatur: vbi dicendum erat, cum ab hoc ille dicatur. Sic nec Quintilianus in declamatione vltima, & sæpe aliubi, Vide cur manus, cur verba peccare videatur. Illis infamamus, his torquemus, occidimus. vbi dixisset, His infamamus, illis torquemus, &c. frequentius tamen obseruatur.

De Hic, Is, Idem, & Ad hoc. CAP. V.

Hic & Is habēt potius illam (de qua modò memini) Prisciani differentiam. vt Hic spatio propinquiore, Is verò lōgiore intelligatur. Multis tamen in locis vtrunque locum habet. vt, Qui præfert virtutē diuitiis, is sanè fortis est, vel hic sanè fortis est. vel per compositionem: vt, Quæcunque mulier adultera, eadem venefica est. Et ferè per hæc duo pronomina licet sic loqui, nec per vlla alia: licet poetæ vtantur Ille pro Is, quia amborum eadem penè significatio est. vt Horatius de arte poetica,

Qui didicit patriæ quid debeat, & quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus & hospes,
Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quæ
Partes in bellum missi ducis: ille profectò
Reddere personæ scit conuenientia cuique.

Quare sanctis viris è Græco trāsferētibus sic permittamus dicere, Non qui seipsum cōmendat, ille probatus est, sed quē Deus commendat. Possunt autem hæc eadem duo, de quibus loquor, pronomina, & alio modo vsurpari: vt, Alexāder paruis copiis fretus superauit Darium cum infinito exercitu, & id in adolescentia: vel, & hoc in adolescentia. Item & hoc modo, Pauca vestis, & ea detrita & sordida. potius quàm & hæc. Paucis nūmis superbit, nec iis suis, sed aliūde corrogatis. potius quàm & his. Idem quod est ab is compositum, quasi pro etiam poni solet. vt Cicero Officiorum 1, Et huic coniuncta est beneficentia, quam eandem vel benignitatem, vel liberalitatē appellari licet. id est quam etiam. Quintilianus lib. 5. cap. 11, Si causam veneficii dicat adultera, non M. Catonis damnata iudicio videatur, qui nullam adulteram non eandem esse veneficam dixit? In hoc pronomine, Idē, annotaui quiddam dissimile ab Is. Ibi potest addi copulatiua, hic non potest. Quod tamen affirmare non ausim: vt, Quancunque in sedem migrat apium rex, in eam & apes ipsæ comitantur. At si dicam, in eandem, tollam copulatiuam. sic, in eādem apes ipsæ comitantur. Nā Idem habet in se velut vim copulatiuæ. Hoc compositum cum præpositione ad, significat præterea. vt apud Sallustium, Cognoueram paruis copiis bella gesta cum opulentis regibus, ad hoc sæpe fortunæ violentiam tolerasse, facundia Græcos, scientia belli Gallos ante Romanos fuisse.

Idem.

Ad hoc.

Instrumentum quodlibet, in septimo casu ponemus sine præpositione c v m, quæ non instrumentum, sed comitem, aut concomitātiam denotat. Septimum casum, vocant ablatiuum rectum neque vi nominis, neque vi verbi, aut aduerbii, neq; vi præpositionis, vt instrumenti, & qui in designatione sequelæ ponitur. Octauum vocat Niger datiuum localem: vt, It cælo clamórque virûm, &c. id est in cælum.

Exemplum de comite: vt, Rex intrauit cum multo exercitu. De concomitātia, Rex acceptus est cum mira beneuolentia. Dixi, Quodlibet instrumentum: vt, Coercuit te miles armis, orator verbis, conscientia rubore.

De præpositione Cum. CAP. VI.

Cum.

CVm præpositio per appositionem non iungitur rei notanti instrumētum, sed comitem. Et hoc est quod Quintilianus ait, Vt quæramus nunquid apud nos sitvis quædam septimi casus, & apud Græcos sexti. Nam (inquit) quum dico, hasta percussi, non vtor ablatiui natura: nec si idem Græce dicam, datiui. Propter quod Seruius & quidam alii planè affirmant esse septimum casum. Quòd autem non vtamur ablatiui natura, hanc causam existimo, quòd ablatiuus, aut vi nominis regitur, aut vi verbi, aut aduerbii, aut postremo intercedēte præpositione. Quorum nihil hic fit: nisi volumus errorem quorundam sequi, qui subintelligunt præpositionem Cum. & quomodo subintelligi potest, quæ ne poni quidem potest? Nam Percussi cum hasta, inauditum est. instrumentum enim percussionis hasta est. Peccauitque non incelebris huius ætatis vir, qui scripsit, Gladium qui cum se percusserat, eduxit. Percussit igitur gladio, non cum gladio. Impuli te pugno, non cum pugno. Video te oculis, nō cum oculis. Tango te manu, non cum manu. Deleuit epistolam lachrymis. Abstersit sordes aqua, siccauit cretā, liquefecitq; ceram igni: non autem cum lachrymis, cum aqua, cum igni. Sed hoc fefellit, quòd aliquando illa præpositio videri possit iuncta nomini instrumentum significanti. vt, Acceptus est à nobis cū honore. Magna cū beneuolentia scripsit. Cū mira affabilitate me allocutus est. Cum dira truculentia me aspexit. Veruntamen hi ablatiui instrumentum non significant, sed comitem. Siquidem acceperunt me homines instrumento corporis, nō honoris, sed honore comite. Scripsit ministerio manus, non beneuolentiæ, sed hac socia. Allocutus est lingua operatrice, affabilitate præsenti, & aspexit instrumento oculorum truculentia suffusorum, quæ nihil facit ad ipsam inspectionem, sed oculi. Sunt qui velint Priscianum sensisse, cum hasta percussi, dici posse, vel hanc præpositionem subintelligi. Ego verò affirmo neminem antiquorum neque protulisse hanc, neque subintellexisse.

Casus septim'

EPITOME.

Circiter,non tantum ad tempus,ſed etiam,& quidem frequentius,ad numerum, & nonnunquam ad locum ſpectat. Quia verò accuſatiuo deſeruit, non plenum videtur exemplum, Circiter duum milium militum : niſi ſubaudiatur, numerum. Caſſius autem aduerbialiter poſuit:ſicut & circa & circum poni ſolét,pro in circuitu.Quoquouerſum,id eſt quocunque verſum.

De Circiter. CAP. VII.

CIrciter,Priſcianus inquit,ad tempus ſolum pertinet:vt,Circiter Calendas Ianuarias. Imo, & quidem frequentius, ad numerum. vt,Circiter duo milia militum, circiter decem miliariorum. Sed aliquando etiam ad locum. vt Caſſius Hemina, Lapidem fuiſſe quadratum circiter in medio arcte vinctum candelis quoquouerſus. Circiter. Plin.lib.13. cap.13.

EPITOME.

Verſus,ſemper ferè poſtponitur:ſicut tenus,frequenter:& vſque, non raró.Dicique poteſt etiam verſum: vt,quoquouerſus & quoquouerſum, aduerſus & aduerſum.Addi poteſt,quòd dum appellatiuis iungitur,præpoſitio alteram admittit: vt, In forum verſus,apud Ciceronem. Dixi, Ferè ſemper, propter hæc Mancinelli verba,Verſus, euphoniæ gratia, quandoq; præponitur potius. hinc lib.1.de lingua Lat. Varro dixit,Cliuus proximo ad Florales vſus,verſus Capitolium vetus. quod quidem euphoniæ gratia feciſſe apparet.Hæc ille.Nam Capitolium vetus verſus duriter ſonat.Si ergo ſemel duntaxat,ídque euphoniæ gratia factum, bona eſt Vallæ præceptio. Mancinellus.

De Verſus & Vſque. CAP. VIII.

VErſus contra naturam præpoſitionis ſemper poſtponitur. vt,Italiam verſus,Megaram verſus. Liuius,Duo Romana vno loco propius Albam,tria Albana Romam verſus.Salluſtius, Deinde Philenorum aræ, quem locum AEgyptum verſus, finem imperii habuere Carthaginẽſes. Cicero de diuinatione,Qui quum exercitu luſtrato Aretium verſus caſtra mouiſſet. Surſum,ſiue ſurſum verſus frequenter legimus. Nonnunquam dicitur verſum, ſicut aduerſum. Nam ita verſus, ſicut aduerſus,vnde quoquo verſus,& vtroque verſus, id eſt in vnamquanque partem, & quocunque, & in vtranque partem, & deorſum verſus.Atque neſcio quomodo non reperio hanc inter præpoſitiones eſſe numeratam. An quia poſtponitur, & non præponitur? Ne Tenus quidem præponi ſolet,de qua nunc dicam, & tamen eſt præpoſitio. An quia vice præpoſitionis non fungitur,quoties alia adeſt præpoſitio? vt,Ad occidentem verſus. quo quidem modo aduerbium eſt, vt Vſque,quæ & ipſa ſic aliquando in oratione collocatur:vt,Ad occidentem vſque.

Tenus præpoſitio,ablatiuo deſeruiens, tunc legitime genitiuo deſeruit, quando ſignificat res geminas,aut ſingulari caret:ſignificátque tenus,vſque ad, aut non vltra. Vt Pube tenus,id eſt vſque ad pubem,vel ad pubem vſque. ſed exempla in litera ſatis patent.Calepinus dicit apud Flaccum in argon.cum accuſatiuo conſtrui,
Et Tanaim tenus immenſo deſcendit ab Euro. Vúltque in plurali genitiuo iungi etiam non geminorum: vt apud Curtium,Pauci hoſtium tenus exacti,penetrauere ad portum. Vult præterea,abſolute poni apud Horatium in epiſtolis,
Eſt quidem prodire tenus,ſi non datur vltra. ſed illic,non QVIDEM,ſed QVODAM legẽdum eſſe,& metrum & ſententia docet.

De Tenus. CAP. IX.

TEnus(vt dixi)ſemper poſtponitur.Atque in ſingulari vtique cum ablatiuo.vt,Hactenus,quatenus,verbotenus,capulotenus. In plurali verò cum genitiuo etiam, non ſolum cum ablatiuo.Sed,quantum ego ſentio,cum genitiuo tunc aut neceſſario,autvenuſtius fit,præſertim more Græcorum,quum res eſt vel gemina,vel numero ſingulari carens.Neque hoc apud poetas modo,ſed etiam apud oratores. Virgilius,
Crurum tenus hiſpida nanti. Et iterum,
Et crurum tenus à mento palearia pendent.
Quintilianus in duodecimo,Sed ille vir bonus, qui hæc non vocibus tantum ſibi nota atque nominibus,aurium tenus in vſum linguæ perceperit : ſed qui virtutes ipſas penitus mente complexus,ita ſentiet. Cælius,Iam illi rumores de comitiis Tranſpadanorum Cumarum tenus caluerunt. Curtius, Pauci hoſtium tenus exacti penetrauere ad portum . Eſt autem ſignificatio vſque ad.Vmbilico tenus, vſque ad vmbilicum. AEthiopia tenus, Nilo tenus, vſque ad AEthiopiam & Nilum. Aliquando etiam pro non vltra.vt,Geſſit conſulatũ titulo tenus,id eſt non vltra quàm titulo.cuiuſmodi nonnulla ex ſuperioribus exemplis ſunt.

EPITOME.

Pridie & Poſtridie,cum genitiuo & cum accuſatiuo conſtrui poſſunt.Cauſa videtur:quia & nomen & præpoſitionem includunt.Nam Pridie eſt aut die priore,aut die qui prior eſt die,aut qui præit,aut qui eſt ante.Poſtridie eſt aut poſtero die,aut qui poſt. Quum ergo dico,Pridie quàm mortuus eſt CHRISTVS, euchariſtiam inſtituit. id eſt,die qui fuit ante quàm &c.Quum pridie Nonarum, id eſt die qui eſt, fuit,vel erit prior die Nonarum.quum verò Pridie Nonas,die qui præit Nonas,ſeu qui ante Nonas.Vnde,Tertio Nonas,eſt quaſi tertio die ante Nonas: incluſiue tamen,vt Dies Nonarum ſit vnus è tribus. Quum verò dico, Poſtridie Nonarũ,idẽ eſt acſi dicam, Poſtero die à die Nonarum. Quum Poſtridie Nonas, die poſt Nonas proximo.Cæterum quod Cicero in epiſtola ad Tironem dicit,Menandrius poſtridie ad me venit, quàm expectaram : videtur poſtridie, ſignificare vno die poſterius.

De Pridie & Poſtridie aduerbiis. CAP. X.

PRidie & Poſtridie, quemadmodum tenus, genitiuo ſeruiũt, & nonnunquam etiam accuſatiuo. vt, Pridie illius diei, Poſtridie Nonarum Decembrium. Cicero ad Atticum, Pridie compitalia memento. Titus Liuius libro ſeptimo, Etiam poſtridie Idus rebus diuinis ſuperſederi iuſſum. Inde vt poſtridie Calendas ac Nonas eadem religio eſſet, traditum putant. Idem lib. 48, Pridie Parilia medio ferme die atrox cum vento tempeſtas coorta. De quo vide plura in Nudiuſtertius.

EPITOME.

Hei & Væh, datiuum: heu exprobratiue, accuſatiuum, alioqui etiam nominatiuũ regit. Heu heu, ſeu eheu, abſolute ponitur. Heus, cum vocatiuo. Procul, etiam cum accuſatiuo iungitur: ſed & cum ablatiuo, aut ſine, aut cum præpoſitione. Exempla patent in litera de Heus quod adiecimus, éſtque vocandi aut reuocandi aduerbium. vt, Heus iuuenes: primo AEneid. Procul, cũ ablatiuo: vt, Procul dubio. Vnde Mãcinellus, Dicimus quoque procul Oceano, & procul ab Oceano. Plinius enim libro quinto cap. 10. de Nilo ita inquit, Originem (vt Iuba rex potuit exquirere) in monte inferioris Mauritaniæ non procul Oceano habet. Et Phædra Ouidiana ait, Mancinellus.
Sint procul à nobis iuuenes, vt fœmina, compti. Catullus item,
Procul à mea tuus ſit furor omnis hera domo. Hæc ille. Ponitur etiam abſolute, vt in Bucolicis,
Serta procul tantum capiti delapſa iacebant.

De Hei, Heu, Eheu, Væh, & Procul. CAP. XI.

HEi quoque & heu ſimile quid obtinent, tamẽ alterum datiuo, alterum accuſatiuo iungitur: vt,
Hei mei qualis erat, quantum mutatus ab illo Virg. AEneid. 2.
Hectore. Terentius, Heu me miſerum. Et ferè cum huiuſmodi pronominibus. Nam cum alio nomine frequentius per exprobrationem, vt Virgilius, Heu ſtirpem inuiſam. Et Plinius libro ſeptimo, Heu dementiam ab his initiis exiſtimantium ad ſuperbiam ſe genitos. Aliquando etiam cum nominatiuo, vt idẽ Virgilius, Heu pietas, heu priſca fides. Terentius in Adelph. Heu miſera. Illud verò in Pſalmo, Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt: neſcio an vitio factum ſit librariorum:, quale illud in Euangelio, Aſcendit in arborem ſycomorum, quia inde trãſiturus erat: quod ſcribendum eſt, illac. Et illud ad Romanos, Tu autẽ quum oleaſter eſſes, inſertus: pro inſitus. Et in Actis Apoſt. Egreſſi ſumus foras portã iuxta flumen: pro extra portam. Eheu nulli caſui ſeruit. Virgilius in Bucolicis,
Eheu quid volui miſero mihi. Væh quoque datiuo. Martialis,
Carpere cauſidicus fertur mea carmina, * quis ſit *qui
Neſcio. ſi ſciero, væh tibi cauſidice.
Hæc appelles licet ſiue aduerbia, ſiue interiectiones (nam hanc inter partes orationis non numero) ſiue etiã præpoſitiones. Pro-

cul apud quosdã casui seruit, vt apud Curtium, Procul vrbem.

EPITOME.

Aduerbia comparatiua & superlatiua à prope, præter casus gradui debitos, regũt aut datiuum nominis prope, aut accusatiuum præpositionis. Regunt enim deriuatiua ferè suorum primitiuorum casus. Prope autẽ sæpe aduerbialiter, & ita absolute sumitur, habens accentum in vltima: sed habens eum in prima, nominaliter sumitur cum datiuo: vt, Prope est dominus omnibus inuocantibus eum. Hinc Maro in Georg. Propius stabulis armenta tenerent. Et Comicus in Andria, Proximus sum egomet mihi. Prope autem præpositio, accusatiuum vult. vnde, Propius vrbem, & Proximus Pompeium sedebam, dixit Cicero, & Quàm proxime hostem: sicut Liuius, Propius Albam.

Quòd quædam comparatiua & superlatiua aduerbia seruiunt accusatiuo. CAP. XII.

COmparatiua aduerbia & superlatiua præter suam constructionem ablatiui & genitiui, vt Scribo melius te, & optime omnium, aliquando seruiunt accusatiuo: vtique ea quæ à præpositionibus veniunt, illarum naturam seruantia. Cicero ad Octauium, Quum castra medio itinere longius aduersariorum castris, & propius vrbem mouerentur. Idem ad Atticum, Tamen esse officium meum putaui, exercitum habere quamproxime hostem. Sallustius, Proxime Hispaniã Mauri sunt. Nec hæc regere possunt datiuum, vt Prisciano placet, quale vult esse, Quum propius stabulis armenta tenerent. Datiuus hic non regitur natura comparatiui, sed ipsius nominis, non aliter quàm si dicam, Nauigo te propinquius terræ. Et quoniã ipsa rei serie quædam de complexu orationis dicere incœpimus, iam de hoc ipso disseramus: simúlque de natura indeclinabilium dictionum, quarundámque aliarum: ab eo potissimum incipientes, quod huic loco simillimum est.

EPITOME.

O, tribus casibus iungitur, nominatiuo, accusatiuo, & vocatiuo. sed cum accusatiuo præsertim si exprimitur, vehementem significat excandescentiam animíque affectionem, quæ eo suppresso minor est, sicut in particula Hui cum accusatiuo. Ponitur enim interdum accusatiuus ab o subintellecto rectus, vt in litera, Hominem te patientem &c. vbi cæterorum quoque sunt exempla. Illud, O fortunati, est in primo AEneidos. sed, O fortunatos, est in secundo Georg. Hui tã graues rastros quæso, in Heauton. Terentii.

De O vel prolata, vel omissa. CAP. XIII.

O Fortunati, quorum iam mœnia surgunt,
AEneas ait. Et alibi,
O fortunatos nimium, bona si sua norint, Agricolas.

Hic accusatiuus est: ibi vel nominatiuus, vel vocatiuus esse potest. His enim tribus casibus indifferenter authores vtũtur. Cicero, O variam volucrémq; fortunam. Neque hoc in tertia perso-

na tantum,ſed etiã in prima & ſecunda. vt Idem,O me miſerũ, ô te fœlicem.Etiam non appoſito pronomine.vt Idem,O miſerum & deteſtabilem hominem,ſi hæc ignoras. Idem,O te miſerum,O te infœlicem.quæ exclamatio ad omnem affectum conuenit,vel miſerationis,vel indignationis.Simili modo in nominatiuo & vocatiuo.vt Idem,O fortunata mors,quæ naturæ debita,pro patria eſt potiſſimum reddita. Et iterum,O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contráque fictas omnium inſidias facile ſe per ſeipſa defendat. Idem, O nox illa, quæ penè æternas huic vrbi tenebras attuliſti. Et iterum,O Nonæ illæ Decembres,quæ me Cõſule fuiſtis.Aliquando ab illo ſuperſedemus, vtique in re leuiore, neq; ita magni caloris.Vt,Indignum facinus,& hominem nequam, qui nõ dubitaret vel in foro alea ludere, vel cum lege de alea condemnatis. Ciceronis verba ſunt in Antonium. Et Plinius iunior ad Octauium, Hominem te patientem, vel potius durum, ac penè crudelem,qui tam inſignes libros tandiu teneas. Quòd ſi excanduerimus, dicendum eſſet, O hominem nequam, & ô hominem patientem.Aut ſine indignatione,vt apud Valerium Maximum libro tertio,Sed mihi vti iſta cõditione vitæ non eſt opus. ſine vllis imaginibus nobilem animum. Aliquanto hoc remiſſius eſt, quàm ſi dixiſſet, ô animum ſine vllis imaginibus nobilem,id eſt ſine maiorum nobilitate nobilem. Ideóque Terentius leuioris caloris interiectione vſus eſt,

Philip.14.
In orat.pro M.Cælio.
Philip.2.

Hui tam graues raſtros quæſo!

Sed hoc ſimile eius ſpeciei,cuius mentionem modò faciam.

EPITOME.

In locutionibus pathos,ſeu affectionem habentibus, ſæpe ponitur accuſatiuus cum infinitiuo, ſuppreſſa particula quicum infinitiuus cõſtruatur. Vt primo AEneidos, Méne incœpto deſiſtere victam? ſubaudi,æquum,aut decens,aut diis placitum,aut tolerabile eſt, aut decet,aut oportet,aut quid ſimile. Et quod Suetonius memorat de Cæſare recitatum,Mén' ſeruaſſe vt eſſent qui me perderent? ſubaudi, decuit,vel oportuit,vel conueniens,ſeu expediens fuit. & eſt apoſiopeſis, id eſt reticentia,commotis animis apta.Vnde diximus,In locutionibus pathos,ſeu affectionem habentibus,&c.

De Me cum infinitiuo,vel accuſatiuo. CAP. XIIII.

MEne incœpto deſiſtere victam,
Nec poſſe Italia Teucrorum auertere regem?Et iterum,
Méne Iliacis occumbere campis
Non potuiſſe? tuáque animam hanc effundere dextra?

Hæc Virgilius. Ad Terẽtiam autem Cicero,Me miſerũ,téne iſta virtute, fide, probitate, humanitate in tantas ærumnas propter me incidiſſe?Et iterũ in Bruto,Tum Brutus admirãs, Tantámne

fuisse obliuionem,inquit,in scripto præsertim,vt ne legens quidem vnquam senserit,quantum flagitii commisisset?In his omnibus placet mihi subintelligi,veréne ita est,me non posse auertere Italia regem Teucrorum?& cætera.Plinius iunior ad Adrianum,Hominémne Romanum tam Græce loqui ? id est, veréne ita est?vel oportuítne?siue oportet? Terentius in Andria,Seruón' fortunas meas me commisisse futili?

EPITOME.

Hem,en,& ecce,nominatiuo & accusatiuo iunguntur. sed hem,nõ nisi apud poetas,præcipue comicos:en & ecce,etiam apud oratores tam indicãdo quàm exprobrando, sed frequentius in nominatiuo, vsqueadeo vt ecce in prosa rarissime cum accusatiuo reperiatur : quãuis per compositionem dicamus , eccũ eccã eccos eccas, id est ecce,hîc supple eum vel eam,eos vel eas,de quo vel de qua vel de quibus sermo erat: & ellum ellam ellos ellas,id est en,vel ecce, hîc supple illum vel illam,&c. Exempla omnia in litera patent.

De En & Ecce,suísque compositis. CAP. XV.

En. Ecce. Hem.

EN & Ecce in eadem penè significatione amant nominatiuum & accusatiuum.apud comicos verò Hem pro En,affectui seruiens,quo oratores non vtuntur. quẽadmodum nec Ast pro At,quod est poetarum, syllabam illam breuem interiectione s longam facientium.Adiungitur autem En nominatiuo pariter & accusatiuo,tum indicando,tum exprobrando.Indicando,Virgilius, En Priamus:sunt hîc etiam sua præmia laudi. Exprobrando, En agros:& quam bello Troiane petisti
Hesperiam,metire iacens. Seneca in Agamemnone,En Paridis hostem. Iuuenalis satyra secunda,
En habitum:quo te leges & iura ferentem,
Montanum positis audiret vulgus aratris.
Oratores sæpius exprobrãdo,& sæpius per nominatiuum.Quintilianus,En improbitas. Cicero pro Deiotaro,En crimen,en causa cur regem fugitiuus, dominũ seruus accuset. Ecce,similiter cum vtroque casu iũgitur.vt idem,Ecce tibi status noster. Cum accusatiuo autem non memini me apud oratores legisse,sed ne apud poetas quidem . Nam illud apud Terentium in Eunucho, Ecce autem alterum nescio quid de amore loquitur.Alter scribi debet,non alterũ,Donato quoque probante.Sed demus aliquando reperiri, vt semel apud Plautum in Bacchidibus, Opúsne erit tibi aduocato tristi,iracundo? ecce me. Eccum eccam,eccos eccas:ellum ellam,ellos ellas:ab ecce composita sunt,& secum videntur gerere casum,sed nõ gerunt. quæ Priscianus ita resoluit, Ecce eum,ecce eam:ecce eos,ecce eas: ecce illum,ecce illam:ecce illos, ecce illas . Sergius quoque commentans Donatum ait,

Eccũ. Eccã. Eccos. Eccas. Ellũ. Ellã. Ellos. Ellas.

Nihil significat ellum, nisi ecce illum. Paulóq; pòst, Quum ergo ellum sit, ecce illum: & ellam, ecce illam: nihil possumus dicere nisi magis demonstratiue. Sed pace Prisciani, Sergiíque, & aliorum, hoc nec verum, nec conueniens significatum est. Nam inter ecce eum, & ecce illum, quid interest? Potius dicendum erat, eccum, ecce hunc: eccos, ecce hos, de quibus agimus. Talis erat cōuenientior interpretatio, sed quæ nec vera foret. Resoluuntur enim hæc per aduerbia, nō per pronomina. eccum, ecce hîc, subintellige virum de quo agebamus. eccam, ecce hîc, subintellige fœminam de qua mentio erat. Ellum, ellam, ecce illic virum fœminámve, subintellige, de quo, de quáve agebatur. Nam vt de homine, qui ante conspectum nostrum adest, rectè dicas, Ecce ille, vel ecce ego, siue ecce illum, vel ecce mè: ita malè loquaris, ellum hominem, vel ellum me. & rursum de lōge posito, eccum. Terentius, Eccum Parmenonem, & eccum me. Nempe non ecce eum Parmenonem, quasi aliquis alius sit præter hunc Parmeno. & ecce eum me, quem me eum quæris. Eccum ergo Parmenonem, id est ecce hîc Parmenonē: & eccum me, id est ecce hîc me. Et ellum Parmenonem dicentes, non sic loquimur quasi de parum noto, vt solemus, quum dicimus, Ecce ille Parmeno, quasi ille tibi incognitus, sed auditus. Ellum igitur Parmenonem, significat, ecce illic Parmeno, siue Parmenonē. Sed an possit Ecce habere accusatiuum, non antè indubitatum habebo, quàm exemplū videro, nisi illud tale sit apud Virgiliū, En quattuor aras,

Ecce duas tibi Daphni, duóque altaria Phœbo,
Pocula bina nouo spumantia lacte quotannis,
Craterásque duos statuam tibi pinguis oliui.

Sed de prosa magis dubitare me dico.

EPITOME.

Age, verbum singularis numeri: Agite, pluralis postulat. Agedum, vtriusque quidē admittit, sicut & age: sed propriè cum singulari age & agedum, cum plurali agitedum posueris. Causa est: quia licet pro aduerbiis adhortandi ponantur, tamen natura verba imperatiua sunt. vnde age, singulari gaudet, sed tamen pluralem admittit numerum. Vnde Mancinellus, Age, singulari & plurali iunctū legimus. Statius libro nono, Ite age, & obsessis vigilem circundate flammā. vbi tamen quidam legunt, Ite agite, obsessis &c. Valerius Flaccus libro tertio, Mancinellus.

Vos age funereas ad littora voluite syluas,
Et socios lustrate rogos.

Plautus in Sticho, Age sultis. id est si vultis. Itē, Age licemini. Præterea sicuti Agedum vtrique numero iungitur: ita Agitedum, plurali solum. Liuius libro septimo, Nostrum (inquit) peditum illud milites est opus: agitedum vt me videritis quacunque incessere in aciem hostium ferro viam faciētem, sic pro se quisque obuios sternite. Et paulo inferius, Agitedum ite mecum.

De Age, Agite, & Agedum. CAP. XVI.

Age.
Agite.
Agedum.

In pastu cadauerum.

AGe, singularem numerum desyderat, Agite pluralem: Agedum verò non singularem tantum, sed etiam pluralē. Neque id modo in carmine, vt Propert. Vos agedum: sed etiam in prosa, vt Quintilianus, Agedum (si videtur) extra portas prospicite squalida arua, & spinis obsitas segetes, & semesos arborum truncos. Cicero, Agedum conferte nūc cum illis vitam P. Syllæ, vobis populóque Romano notissimam.

EPITOME.

Quoties inter partes duas vel plures sic dubitamus, vt certo sciamus alteram vel vnam illarum esse concedendam, nescimus tamen vtram vel quam, recte vtimur an & ne. Quoties verò sic vt non inter partes propositas sit dubitatio, sed inter eas & oppositam vtriusque vel omnium, vtimur his particulis, aut, ve, vel, vel similibus. Interrogatio igitur non est in aut, sed in an. Et verbis dubitationis & inscientiæ damus subiunctiuum cum an: verbis verò opinionis & scientiæ indicatiuum cum quòd & aut. Anne & nónne, pro an & non poni solent: sed maiorem vim habent, præcipue ánne apud poetas. Legũtur etiam ergóne & itáne. quæ interrogando, responsionem non poscunt. In Quintiliani declamationibus sæpe scribitur ita, pro itáne, pro quo verius scribatur itán'. Quia ergo certo scio patrem tuum viuere, aut mortuum esse, dubito autem vtrum viuat an mortuus sit: nō quæram, Viuit pater tuus, aut mortuus est? quia scio viuere, aut mortuum esse. Nec dicam, Nescio vtrum pater tuus viuat, aut mortuus sit. quia sic, aut insanus sim, aut mentiar. Quæram ergo, Viuítne pater tuus, an mortuus est? aut sic, Viuit pater tuus, nécne? Et dicam, Nescio an pater meus viuat, an mortuus sit. Aut, an viuat, nécne. & ita in consimilibus. Quia verò dubitare possum vtrum aliquam quatuor mendicantium religionum professurus est, an nullam: bene quæram, Es tu futurus minoritanus, aut prædicator, aut carmelita, aut augustinensis? Et subauditur, an nullus eorum. Et bene dicam, Nescio an futurus sim minoritanus, aut prædicator, aut &c. an supple non. Igitur an & ne, inter ea de quibus est dubitatio, poni volunt. Aut, ve, & vel, inter membra alterius partis dubitationis, si plura habeat. vnde si sciam patrem viuere, non videar mihi male dicere, Scio an pater viuat, an mortuus sit, quod prius dubitaui: quia videlicet scio quòd viuit. Verum stante hoc quòd adhuc dubitem, male locutus sim. quod author prætendit dicere.

De An, & Aut, Ne, Vel, Ve, & eorum compositis. CAP. XVII.

Verba Quintil. lib. 1. ca. 10.

AN & Aut, coniunctiones sunt, Quintilianus inquit: Male tamen interroges, hic aut ille sit. Nos quum talem tantúmq; authorem habeamus, tamen plerique multis iam sæculis peccauerunt, ac peccant: quod grande flagitium est. Sed duæ causæ eos decipiunt. Ferè enim nunquam decipimur, nisi mendaci quadam specie veritatis, & vt inquit Horatius, Decipimur specie recti. Vna, quòd interpretantes è Græco, non reperientes hanc apud illos differentiam. (Quippe quum Græci vnam tantum habeant vtrique nostrarum respondentem) putant pro

Horatius in arte poetica.

vna voce Græca, vnam Latinam posse sufficere. Altera, quòd reperiunt apud nos in interrogãdo, aut. Et primæ quidem opinioni hoc responsum sit, eos male mereri de lingua Latina qui dimidium verborum fastidiunt. Nam plerunque vtuntur, aut, more Græcorum, & interrogando, & sine interrogatione: an, omnino relinquentes. Sequenti (quod tamen caput huius erroris est) ita respondemus, Si paulò diligentius aduertissent, non in aut, sed in an, interrogationem consistere deprehendissent. vt apud Ciceronem, An verò Romulus ille, aut pastores, aut conuenas congregasse, aut Sabinorum connubia cõiunxisse, aut finitimorum vim repressisse eloquentia videtur? Non est hic multiplex interrogatio, quasi de horũ singulis interrogaretur, sed duplex: sic, Nunquid Romulus hæc omnia fecit eloquentia? Hæc vna pars est interrogationis. supple, an non fecit? Et hæc erit altera pars. Item, Es tu Stoicus, aut Epicureus, aut Peripateticus, aut Academicus? Hæc interrogatio & bene dici potest, & male. Nam si nõ constet interroganti te esse philosophũ, bene interrogauit, supplẽdáq; est duplex an: sic, Esne tu Stoicus, aut Epicureus? & cætera, an non? Sin constet illi te esse philosophum ex aliqua illarum sectarũ, sed cuius sis ignorans de ipsa interroget, male quæsiuit, quum an, non aut, dicendum fuerit. & vbi nos modo posuimus duplex an, omittendum sit: sic, Es tu Stoicus? an Epicureus? an Peripateticus? an Academicus? quæ interrogatio potest tendi in infinitum. Illa verò semper est duplex. hîc ad singulas particulas binæ interrogationes sunt, ibi in vniuersum duæ. Quum enim quæro an Stoicus, subintelligitur altera interrogatio ediuerso, sic, an non. Item, Esne Epicureus, an non? ésne Peripateticus, an non? es Academicus, an non? Afferamus aliud apertius exemplum, An est hic illo nobilior? an plus pro salute mea laborauit? an cui homines magis cupiant? an formosior, & magis dignus cui filiam meam collocem? Hîc octo interrogationes sunt, quia octies interrogatio repetitur. Ibi semper duæ, quia bis semper repetitur. Ex quo patet non esse interrogationem in aut, sed in an. Interrogationem inquam cõtrariorum, qualis est illa, Quid dicam, aut quid faciam? Quid dicam, aut quid non dicam? Inter hæc non ambigimus, sed ipsa ambo simul ambigimus. Secus in illo, Abeam, an maneam? De duobus ita quæro, vt Vtrum mihi faciendum, & vtrum non faciendum sit, dubitem. Ideóque non solum interrogando, sed citra interrogationem quoque vtimur an, vbicunque aliquid contrarietatis inest. Vt,

Dubito an viuat pater, an mortuus ſit. & in maiori numero, Neſcio an pater Romæ ſit, an valeat, an viuat, an véturus ad me ſit. Muta verbum dubitationis & inſcientiæ in diſſimile aliud verbum: ſic, Scio an pater viuat, an mortuus ſit, male locutus es. Bene autem, Neſcio an pater viuat, an mortuus ſit. Itaque verbis huiuſmodi dubitationis & inſcientiæ, damus ſubiũctiuum cum an: verbis verò opinionis & ſcientiæ, indicatiuum cum quòd & aut: ſic, Opinor quòd pater aut mortuus eſt, aut grauiter ægrotat. Quod præceptum eſt de an, hoc quoque præceptũ ſit de Ne, quæ plerunque vna, ſoláque, & ſemper in parte prima collocatur: vt Bonúſne vir eſt, an malus? Aliquãdo cum ſocia, ſed id ſæpius apud poetas. vt Virgilius in primo libro AEneidos,

Quòd.

Ne.

Qui teneant (nam inculta videt) hominéſne, feræne,
Quærere conſtituit, ſociiſque exacta referre.

Nécne.

Sæpe hoc modo, Illuc eam nécne ignoro. hoc eſt dubitatiue. Interrogatiue quoque, vt pro Flacco Cicero, Vtrum vultis prætori Flacco licuiſſe nécne? id eſt licuiſſe, an non? Quidam ſuperuacue addunt alterum an: ſic, Neſcio an bene faciam, nécne. Atque vt oſtendi quoſdam errare in aut, non videntes in quo differat ab an: ita quidam faciunt in vel, putantes poni pro an, id eſt interrogatiue vel dubitatiue, ſiue ignoratiue. vt, Iſtud eſt aurum, vel orichalcum? neſcio ſi ſit aurum, vel orichalcum. imo ſcis quòd eſt aurum, vel orichalcum. Et neuter veſtrum dubitat, quòd vel hoc, vel illud eſt. ſed neſcitis an hoc, an illud ſit. Ideóque & tu interroga, Aurúmne ſit, an orichalcum. & tu reſponde, quòd neſcis an ſit hoc, an illud. Illud autẽ quod eſt apud Quintilianum, Quærendúmq; arbitrantur, iuſtúmne ſit, ſacrilegium appellari, quod obiiciatur, vel furtum, vel amentiam: poteſt quibuſdam mouere dubitationem, quaſi in re dubia loquamur per Vel, atque ideo ipſum miſceamus cum Ne, ſiue An. In quo minime dubitãdum nobis eſt. Talis enim ibi locutio eſt, Quærendúmque arbitrantur, iuſtúmne ſit, appellari aliquid nomine ſacrilegii, an non. vel iuſtum ſit aliquid appellari furtum, an non. vel aliquid ſit iuſtum appellari amentiam, an non. Ve magis accedit ad Vel, quàm ad An: vt Duobus tribúſve menſibus, id eſt duobus vel tribus menſibus. Raróque reperitur geminatum, niſi adiuncta ſi: vt Siue hoc, ſiue illud. aut adiuncta Ne, pro vt non. vt apud eundem, Cauendum etiam néve ſit maior trãſlatio, quàm oporteat, néve (quod ſæpe accidit) minor, néve diſſimilis. Cicero, Ita iungetis, vt néve aſpere concurrant, néve vaſtius diducantur. Lucanus ſine compoſitione aliqua,

Nécne. Vel. Ve. Siue. Néve.

Nec quenquam iam ferre poteſt Cæſárve priorem,
Pompeiúſve parem.id eſt,non poteſt iam aut Cæſar ſuperiorem ferre,aut Pompeius parem. An & Ne, coniungi ſolét pro an, quod magis poeticum eſt,vt apud æmulos Virgilii,Dic mihi Damœta, cuium pecus? ánne Latinũ?Illud Ciceronis multi ita legunt,Quo mihi etiam indignius videtur obtrectatum eſſe,Gabinio dicam,ánne Pompeio,ánne vtrique,id quod eſt verius?Sine interrogatione durum videtur.vt Virgilius, **Anne.**

-vrbéſne inuiſere Cæſar,
An deus immenſi venias maris,ac tua nautæ,&c.
Anne nouum tardis ſydus te menſibus addas.

Ideo dixi durum,quia per interrogationem quiddam vrgentius & inſtãtius eſt in hac geminatione ánne, quàm in illa ſimplicitate an.quod hîc non fit,vt ex aliis compoſitis elucebit,

Nónne fuit ſatius triſtes Amaryllidis iras, **Nónne.**
Atque ſuperba pati faſtidia?nónne Menalcam?
Non ego te vidi Damonis(peſſime)caprum **Non.**
Excipere inſidiis?

In hac interrogatione Non id agitur,vt reſpondeas neſcienti,ſed cogaris aſſentiri ſcienti. Nec alia vis orationis eſt, quàm ſi diceres,an non:quod magis vrget,quàm ſolum non.Licet & hoc ſolum pro illo compoſito accipi ſoleat. Alia compoſita (ſi modo cõpoſita ſunt)hæc ſunt,Itáne,Ergóne: quæ interrogando reſponſionem non poſcunt , ſed aſſenſum extorquent.

EPITOME.

Nedum,trifariam differt à Non ſolum,non modo,& non tantum. Primo,quia nedum,non exigit huiuſmodi particulas,Verum etiam,ſed etiam,ſed &,ſed quoque,affirmatiue:negatiue autem,Sed nec,aut ſed neq;,aut ſimilem:quia ante ſecundam clauſulam,loco illarum ponitur.Reliqua autem niſi pro nedum ponantur,ſine illis poni nequeunt. Secundo,quia nedum affirmatiue, id quod maioris eſt momenti præponit:ſed negatiue,poſtponit. Reliqua econtrario: niſi pro nedum ponãtur. Tertio,quia pars cui nedum additur,ſignificatur præpollere alteri: cui Nõ modo,aut nõ ſolum pro nedum accepta,ſignificatur æquipollere. Vt intelligantur priores differentiæ ſit hoc exemplum. per nedum dicam ſic affirmatiue,& vno verbo,Exponerem pro te ſanguinem,nedum pecuniam. Per non ſolum ſic,Nõ ſolum pecuniam,ſed etiam, aut verum etiam,aut ſed &, aut ſed ſanguinem quoq; pro te exponerem. Duobus verbis ſic, Vitam pro CHRISTO exponerem , nedum tormenta ſubirem . Item, Non modo ſubirem pro CHRISTO tormenta, ſed & vitam exponerem. Negatiue vno verbo ſic, Non exponerem pro te pecuniam,nedum ſanguinem. Duobus ſic,Non ſubirem pro rebus mundanis tormenta,nedum vitam non exponerem: quod ſic quoque dicere licet, nedum vitam exponerem:quaſi ſit,ne dicam quòd vitã exponerem.In litera enim inueni ſublatum illud ſecundum non,vt ſit, nedum vitam exponerem.quod an ſublatum oportuerit,ex his patebit quæ ſtatim ſubiiciam. Per non ſolum,aut nõ modo &c. ſic, Nõ modo pro rebus mundanis non ſubirem tormenta , ſed nec vitam exponerem.

quod per tantum abest, vt statim patebit, posset conuenienter dici, sic, Tantū abest vt pro rebus mūdanis vitam exponerem, vt ne tormenta quidem subirem. In his ergo exemplis, nedum non habet illas particulas sed etiam, &c. sicut non modo, nō solum, & non tantum, habere volunt. Item affirmatiue, maius præponitur, & negatiue minus: cum per reliqua contrà fiat. Cuius causa est: quia nedum non ponitur quantum ad situm in priori clausula, sed in secunda: sic tamen vt secunda sit prior, nisi affectio reliquam præripiat. Quum enim affectuose dicere volo, quòd pro te sanguinem funderem, incipio ab eo, sic, Funderem pro te sanguinem, nedum pecuniam. quod perinde est acsi dicam, Ne ducas aut putes fortè quòd tantū pecuniam pro te funderem. Tertiæ differentiæ exempla sunt in litera, ex Cicerone deprompta. vt, Quem Fimbria non solum Socrates: quo significatur Fimbria Socrati fuisse par. Sed dicendo Nedum, Socrates videretur maior. Cæterum, quia de vsu negationis amplius dicere constitui, addam quæ nostra ætate vir doctissimus Gulielmus Budæus annotauit de ea re inter annotationes in Pandectas.

De vsu negationum ex Budæo, in. l. In eo iure. §. vlt. De ritu nuptiarū. Priorum annotationum in Pandectas pagina 374.

Animaduertere debemus quædam esse verba quæ idem sine negatione, ac cum negatione polleant, vt Vereor, timeo, metuo, caueo, & siqua sunt eiusdem significationis. Vereor ne veniat, vereor vt veniat: Timeo ne moriar, & timeo vt moriar. Caue facias, & caue ne facias. Terent. Sed pater adest, caue te esse tristem sentiat. Vt enim interdum duæ negationes non plus quàm vna pollent: vt si dicas, Nunquam mihi nec obfuisti nec profuisti. sic interdum vna negatio, duarum negationum instar est, duntaxat adiuuante vi verbi. Cic. ad Q. fratrem, Quòd enim abfuisti, vereor ne satis diligenter in senatu actū sit de literis meis. id est ne non satis. Idē in Acad. Anaxagoras niuem nigram dixit esse. ferres me si ego idem dicerem? tu, ne si dubitarem quidem. Idem ad Atticum, Si manet, vereor ne exercitum firmum habere possit. id est, opinor eum exercitum firmum non habiturum. Quod fortasse sic resoluitur, Vereor vt ne habere possit. quo modo loquendi Cicero ipse vti solet: vt in Bruto, Ego tamen ita de vnoquoque dicam, vti ne elici possit quem existimem oratorem, quem declamatorem fuisse. Et in tertio de Oratore, Omnis mea cura solet in hoc versari si possum, vt efficiam aliquid dicendo: sin minus, vt nequid mali. ex more Terentiano sumptum, qui ait, Vt nequid nimis. Hunc autem loquendi modum video nostræ aut proximæ memoriæ clarissimos scriptores sequi. Hermolaus in quadam oratione, Vt sollicita sit admodum vniuersa ciuitas, ne lætitiam incredibilem suam oratione consequi valeamus. id est ne non valeamus. Sic Vlpianus, Vereor ne possit ista connubium habere nubendo. id est ne non possit, vt ipse alibi dixit in. l. Si ego. §. primo, infra De iure dotium. Et Triphonius, Vereor ne longum sit adoptionem mariti eius impediri. id est, opinor non esse longum, id est incommodum. Hoc etiam per VT particulam, Cicero enuntiare solet: vt ad Atticum, Qui quum impudentissime postulauerit, tamen conceditur, & tamen vereor vt ipsis contentus sit. Et pro Quintio, Si veretur vt res iudicio facto parata sit. In quibus locis multi existimarent deesse negationem, quum nihil desit. Terentius, Dies mihi hic vt satis sit vereor ad agēdum. Politianus in Herodianum, Veritis omnibus vt satis libenter imperatorem pertinacem milites reciperent. id est ne non reciperent. Est etiam alioqui inuenire, quum vna negatio in oratione deesse videtur. Cicero tertio de legibus, Quæ res quum sapientissime constituta esset à maioribus nostris, nihil habui non modo multum, quod putarem nouandum in legibus. Non modo multum, pro, non modo non multum. Et de perfecto ora-

fore, Nam ſic vt in epularum apparatu à magnificentia recedens, non ſe parcum ſolum, ſed etiam elegantem dici volet. Non ſolum, pro non ſolum non, dixit. Idem pro Publio Sextio, Quum illi ſoli eſſent præter illum flagitioſum tribunum plæbis duo Reipublicæ turbines, qui non modo præcipitanti patriæ ſubuenirent, ſed etiam nimis tarde concidiſſe mœrerent. Et de reditu ſuo ad populum, Tribunitiis ſuperiores illi rogationibus nulla authoritate Senatus ſunt reſtituti. Marius verò non modo à Senatu, ſed etiam oppreſſo Senatu eſt reſtitutus. id eſt, non modo non à Senatu. Et in quarto Tuſcul. Iis enim malis inſidentibus, non modo beati, ſed ne ſani quidem eſſe poſſimus. Liuius, Aſdrubalique non modo in Italiam traducendi exercitus, ſed ne manendi quidem ſatis tuto in Hiſpania ſpem reliquit. Plinius in epiſtolis, Multa in vrbe noſtra, iuxtáque vrbem, non oculis modo, ſed ne auribus quidem nouimus. Quæ exempla & ſimilia, mirum eſt Laurentium Vallenſem non animaduertiſſe. Is enim libro tertio elegantiarum, vt ſcite pauca de hac re & ſubtiliter diſſeruiſſe mihi videtur, ita ſi eius doctrinam ſequi velimus, hæc loca tueri non poterimus. In cauſa eſt (vt arbitror) quòd Laurentius ad normam Latinæ proprietatis ea redigere voluit, quæ Græcorum imitatione vſurpata ſunt. Græci enim τῷ οὐχ ὅπως, ἀντὶ τοῦ οὐ μόνον οὐχὶ ſubinde vtuntur. Demoſthenes, ἐνόμιζον μὲν ἀφ' ὧν ἐπολιτευόμην, οὐχ ὅπως μηδὲν ἀδικῶν τοιαῦτα πείσεσθαι, ἀλλὰ καὶ μέτρια ἐξαμαρτὼν συγγνώμης τεύξεσθαι. ἀντὶ τοῦ οὐ μόνον οὐχὶ πείσεσθαι. Simile eſt οὐχ ὅτι, & μηότι, crebra apud oratores & elegantiores ſcriptores. Plato, ἐγὼ δὲ ἀνθρώπῳ, μηότι δὴ θεῷ. id eſt, non ſolum hoc non dixerim de Deo. & μήτι, μήτι δὴ, quæ itidem pro non ſolum non, accipiuntur. Hoc etiam per nedum, Latine dici ſolet. Salluſtius, Quippe ſecundæ res, ſapientium animos fatigant, nedum illi corruptiſſimis moribus victoriæ temperarent. Apud Liuium in octauo ſecundi belli Punici, hoc modo Fabius loquitur aduerſus Scipionem, in Africam traiecturum, Me dictatorem quum vigerem adhuc viribus, & in curſu maximarum rerum eſſem, recuſantem nemo audiuit, quo minus inſectante me magiſtro equitum (quod fando nunquam auditum fuerat) imperium æquaretur meum, nedum ego perfunctus honoribus certamina mihi cum adoleſcente florentiſſimo proponam. id eſt, non modo nunc non proponam. Idem, Attonitus repentino malo, vix quid obiiceretur intelligere potui, nedum ſatis ſciam quomodo me tuear. Cicero pro Plancio, Ego verò ne immortalitatem quidem contra rem publicam accipiendam putarem, nedum emori cum pernicie Reipublicæ vellem. vbi alius etiam non indoctus, nollem (vt arbitror) dixiſſet. Et pro Cluentio, Nec Metellus, nec Popilius clariſſimi viri vim tribunitiam ſuſtinere valuerunt: nedum his temporibus, his moribus, ſine veſtra ſapientia, ac ſine iudiciorum remediis ſalui eſſe poſſimus. Lucianus, καὶ πάνυ ἁπαλὸς τὼ πόδε, καὶ οὐδ' ἱστάναι χαμαὶ, οὐχ ὅπως βαδίζειν ἐδύνατο. Cicero in Acad. Anaxagoras nigram niuem eſſe dixit: ferres me ſi idẽ dicerem: tu, ne ſi dubitarem quidem. Vnam negationem, Cicero duarum vice poſuit. interdum contra, duas pro vna poſitas inuenimus. Idem libro tertio de finibus, Sed quanquam negent Stoici, nec virtutes, nec vitia creſcere: attamen vtrunque eorum fundi quodammodo ac dilatari putant. Et in quinto Tuſcul. Itaque ne ſi iocundiſſimis nos ſomnis vſuros putemus, Endymionis ſomnum nolimus dari. Et in Acad. Quod bonum quale ſit, negat omnino Epicurus ſine voluptatibus ſenſum mouentibus, nec ſuſpicari. Hæc de negationis vſu dicenda hoc in loco habui, vt multis fortaſſe non ſatis animaduerſa, ſic omnibus neceſſaria. Hæc ille. In quibus id primo conſentaneũ eſt: quia verba illa timoris & prohibitionis propter incluſã negationem negatione carere poſſunt: vt, Timeo vt credas, caue facias. ideo vna negatione efficiunt quod reliqua binis: vt, Vereor ne ſatis diligẽter actũ ſit, &c.

Negationes multiplicatæ.

Secundo, quando negatio præposita agit in verbum, non esse opus repeti. Vt Nihil habui, non modo multum. scilicet non habui. Tertio, quia particula ne quidem negationem innuit præcedenti additam, vim eius satis supplet. Quarto, nedum quando significat ferè id quod ne dicam, vno verbo contentum. Quinto, verbum nego in principio positum, idem facere quod signa vniuersalia, hoc est duabus sequentibus negationibus, & nulla: vt, Negant Stoici nec virtutes nec vitia crescere: &, Negant & virtutes & vitia crescere. Sic Stoicus, Nullæ neque virtutes neq; iniquitates crescunt. Vel, Nullæ aut virtutes aut iniquitates crescūt. Sexto, In reliquis si Latine loqui volumus, tutius sit Laurentianam sequi præceptionem, viderique librariorum vitio negationem alteram sublatam: de qua tamen cū sit suum cuique iudicium, hoc quod dedi meum est consilium.

De Nedum, & Non solum, Non modo, & Non tantum. CAP. XVIII.

NEdum duobus modis periti vti solent. Vno quum vtranq; sententiam eodem claudimus verbo: altero, quum suum vtrique sententiæ verbū damus. Primo modo sic, Funderē pro te sanguinem, nedum pecuniā. Secundo sic, Funderē pro te sanguinem, nedum pecuniā tibi crederem: & hoc affirmatiue. Negatiue sic, Non perderē pro te obolum, nedum sanguinem. Item, Non crederem tibi obolum, nedum pro te funderem sanguinem. Atque in affirmando, id quod plus est, maioríque momenti, in prima parte est ponendum. In negando, id quod minoris. Plus est & magis momentosum, fundere sanguinem, quàm pecuniā. Et minus est & leuius, perdere aut credere obolū, quàm perdere aut fundere sanguinē. Imperiti verò hanc dictionē accipiunt pro non solū, sic dicentes, Nedū laborē pro te susciperem, sed etiam mortem. quod sic dicendum erat, Mortem pro te susciperem, nedum laborem. Aut per non solum (nam contrarius modus est per non solum & nō modo, ei qui est per nedum) sic, ne priora exempla commutemus, Non solum pecuniam pro te funderem, sed etiam sanguinem. Item, Non modo pecuniam tibi crederem, verū etiam sanguinem pro te funderē: & hoc affirmatiue. Rursus negatiue, Non modo pro te sanguinē non perderē, sed nec pecuniā. Itē, Non tantum pro te sanguinem nō funderē, verum ne obolum quidē tibi crederē. Hæc igitur differētia est inter nedū, & nō solū, siue nō tantū, siue nō modo. Aliquando tamē reperimus hoc posterius penè pro nedū accipi. Cicero Officiorum tertio, Huic igitur viro bono, quē Fimbria etiā, nō modo Socrates nouerat, nullo modo videri potest quicquam esse vtile, quod non sit honestum. Possemus dicere hîc pro non modo Socrates nouerat, nedum Socrates. sed nedū auget præpollétq; alteri parti cui adiūgitur, nō modo autē æquiparat.

Non modo, pro nedum.

Ideóque puto Ciceronem voluisse æquare Fimbriam Romanũ Socrati Græco, dixisséque illud nõ modo sicut in quibusdã aliis exemplis.vt in eisdem Officiis, Ad quod est adhibẽda actio quædam, non solum mẽtis agitatio. Et pro Plancio, Plura ne dicam, tuæ me lachrymæ impediũt, vestræque iudices, non solũ meæ. Hîc non ausim pro non solum dicere nedum.

EPITOME.

Nisi, in principio clausulæ verbo principali adhæret, atque indicatiuum desyderat: alibi etiam subiunctiuum, verbúmque minus principale. Exempla patent in litera. Subiunctiuus modus, dicitur etiam coniunctiuus. Videtur autem nisi, compositum à ni & si, correptis tamen syllabis. Si, verò, quando rem affirmat, indicatiuo gaudet: vt in Bucolicis, Si nescis, meus ille caper fuit. Et in noto opusculo, Si Deus est animus, nobis vt carmina dicunt. vbi non habet subiunctiuũ modum, quia non conditionalis, sed rationalis aut causalis est coniunctio: accipitur enim quasi pro quia. Eius autem naturam sapit compositum: quod in principio positum, indicatiuum idcirco efflagitat, quia non conditionalis, sed rationalis est coniũctio. Plautus, Nisi annuus penus mihi datur. Translator tamen in principio, quia conditionaliter accipit, subiunctiuo iungit in Psalmo, dicens, Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Dicit Aliàs, id est quãdo non est principiũ sentẽtiæ, etiam subiunctiuum: quia indicatiuum quoque admittit. Terentius in Adelphis, Geminabit nisi caues. Quum autem dicitur in litera, Nisi adest verbũ principale: illic nisi, est datiui casus. vt sit, Huic dictioni nisi adest verbum principale. Hic, id est in posteriore, non adest: bene reticuit autem, sed, & verò: quia verbũ repetit, & vtitur hic, vt referatur ad propius. quia si volat irreuocabile verbum quod prius dicitur à nobis, plus differt, quàm quod posterius. Itaque fere prius dictum significamus per illud: posterius, per hoc, quod annotandum est.

De Nisi. CAP. XIX.

NIsi, quoties principium sententiæ est, indicatiuum desyderat, aliàs etiã subiunctiuum. Cicero pro Milone, Nisi fortè putamus dementem P. Scipionem Africanũ fuisse, qui quum per seditionem à C. Carbone interrogaretur, quid de Tyberii Gracchi morte sentiret, respondit iure sibi cæsum videri. Et Quintilianus, Nisi fortè imperatorem quis idoneum credit, in præliis quidem strenuum & fortem, & omnium quæ pugna poscit artificem, sed neque delectus agere, nec copias cõtrahere atque instruere, nec prospicere commeatus, nec locum capere castris scientem. Præter principia autem sentẽtiarũ: sic, Vapulabis, nisi caues, vel nisi caueas. In illo superiore, Nisi adest verbũ principale, hîc non adest. Terent. in Adelph.

EPITOME.

Particula quòd, posita cũ huiusmodi verbis Gaudeo, credo, opinor, puto, lætor, voluptatem capio, & similibus, tam indicatiuo quàm optatiuo seu subiũctiuo quadrat: cum his autem, cum quibus locum habet vt, cuiusmodi sunt Volo, cupio, desydero, iubeo, impero, exigo, postulo, & similia, tantum optatiuo. Cauebimus autẽ ne verba diuersorum modorum copulemus. Vnde, quanquam seorsum dicere licet, Gaudeo quòd scribis, & Gaudeo quòd me certiorem facias: tamen non dicam,

copulatim,Gaudeo quòd ad me ſcribis & certiorē facias:ſed ſic,Gaudeo quòd ſcribis & certiorē facis:aut ſic,Gaudeo quòd ſcribas & certiorem facias.quod in cæteris quoque eſt faciendū.Volunt enim copulatiuæ cōiūctiones,vt nomina eiuſdē caſus, ita verba eiuſdē modi.Dixi cū quibus locū habet VT particula.quia huiuſmodi particulæ,Vt,quòd,quin,ne, optant diuerſa verba: niſi vt & quòd cōfundantur.Verbi gratia,dicā,Velim vt ſcribas,Oro vt ad me venias,Precor vt ignoſcas. Non dubito quin mihi iraſcaris.Rogo ne mihi id vitio des.nec dicā,Non dubito quòd iraſceris. Sæpe tamen omittimus particulas,vt & quòd. vt,Velim facias,Monui te ad me venires.Sæpe etiā mutamus orationem in verbū infinitiui modi,Monui te ad me venire,Velim te incolumem eſſe. Potiſſimū autē cum verbo Caueo,timeo,formido, & ſimili,ponimus verbū optatiuū aut ſubiunctiuū ſine particula ne:vt,Caue feceris, vereor facias.Licet autē cauēdū ſit ne verba diuerſorū modorū copulemus:tamē interdū copulātur verba diuerſorū tēporū: vt,Vocaſti me,& ecce venio. Virgilius AEneid.3, -ceciditque ſuperbum Iliū, & omnis humo fumat Neptunia Troia. Vbi multi tamen dicunt,fumat,pro fumauit,poſitū per ſyncopen.ſed diligētiores dicunt præſentis eſſe tēporis,& ſignificari per diuerſa tēpora naturā rerū.iā enim ceciderat Ilium,& tamē adhuc Troia fumabat humo.depingitur ergo natura incēdii,quod primo loco ardorē parit,deinde ruinā & caſum,& demū fumū. Quādo ergo par nobis ratio eſt mutandi tēporis,poterimus & nos mutare. Vnde illud Venimus,in Euāgelio Matthæi,Vidimus enim ſtellam eius in oriente,& venimus adorare eum.poteſt eſſe præteriti tēporis prima longa & media breui: vt ſit,Venimus iſtuc vſq;:aut præſentis tēporis,prima breui & media lōga:vt ſit etiā Venimus adorare eū.Poſſunt etiā futura cum præſenti & præterito copulari:vt,Te amaui,amo, & amabo ſemper.& ita in cōſimilibus.Mallem tamē dicere,Qui erāt in naui,flebāt, quàm fleuerūt.Nec putabimus particulā Quòd eſſe barbarā,niſi ea vtamur male.

De coniunctione Quòd. CAP. XX.

QVòd ſcribas gaudeo,& quòd ſcribis gaudeo,vtroque modo dicitur.Volo quòd ſcribas,non autē quòd ſcribis.Illius ſuperioris hæc ſimilia ſunt,Credo, opinor, puto, lætor,voluptatē capio,& reliqua: huius poſterioris hæc, Mādo, iubeo,impero,exigo,poſtulo,& reliqua.In illo tamen ſuperiore cauendū eſt,ne diuerſorū modorū verba copulemus.quale foret illud Terentii,quod nōnulli ſic legunt,An quòd viā ignorāt,an quòd iter perferre nequeant? Quū ſit dicēdum,aut ſic,An quòd viam ignorent,an quòd iter perferre nequeant?aut ſic,An quòd viam ignorant,an quòd iter perferre nequeunt? Cui ſimile illud aliud eſt apud eundem,Nihil quum eſt,nihil deſit tamen.quum ſit potius legendum deſit, non deſit, vt bonis authoribus placet. Et in procemio Ciceronis ad Herennium ſic quidam legūt,Etſi negotiis familiaribus impediti, vix ſatis otiū ſtudio ſuppeditare poſſimus,& idipſum quod datur otii,libētius in philoſophia cōſumere conſueuimus.quum ſit potius legendum poſſumus, vt modi concordent qui copula media coniunguntur. quanquam & ſonus ipſe, vtpote in curſu medio periodi, conuenientior eſt in poſſumus,quàm in poſſimus.Eſt etiam alia cauſa,cur hoc nō liceat,quam modo ſubiungam.

Etsi,seu,tametsi,& quãquã,in principio statim orationũ,epistolarũ,librorúmve posita,dignitaté quandam præ se ferũt, optántque indicatiuũ: secundo autẽ loco posita, etiam subiunctiuũ recipiunt.Sed Quãuis & Licet,in principio rerũ, nõ magnæ dignitatis collocata,subiunctiuũ expetunt,ponũtúrque respectiue:nã cõsortiũ huius particulæ Tamen desyderãt, sine qua Quãquã, etsi,& tametsi,rite ponũtur, præsertim interrogatiue.Neque tamen nunquã cum indicatiuo cõstructa legũtur.

Exempla patent in litera,vt in Quintiliano, Etsi iudices natura est.non,natura sit: licet sequatur vt videatur. Et apud eundem declamatio,subaudi, sic incipit, Quãuis iudices &c. Paucis autẽ datũ est,huiusmodi elegãtias ad vnguẽ obseruare: quæ tamen si à doctissimis obseruatæ sunt,nulli fuerint negligẽdæ.Cæterũ tametsi nullam assignant grammatici rationẽ,tamen videtur nõnihil rationis subesse. Nã etsi,& tametsi,ac quanquã,cõponũtur ex iis quæ indicatiuũ fere postulant.Si enim (vt iam dixi) quũ rationalis est,indicatiuũ exigit.Quãquam verò,videtur esse quasi quancũque,id est quãtũcunque.quod nimirum indicatiuũ desyderat.Licet verò & Quanuis,cõditionales sunt.Nam licet,natura est verbum, licet ponatur pro cõiunctione.quod dictũ,vt sit exẽplo,nobis id videtur valere,licet,id est licitũ est:tamen vt ponatur pro cõiunctione.quia ergo videtur subaudiri vt, non est mirum si eius modũ obtinet. At Quãuis,cõpositum est à quàm & vis, quæ syllabica est adiectio: natura tamen,secunda persona verbi volo. quod (vt ostendi) optatiuũ aut subiũctiuum,etiam suppressa coniunctione vt,sæpe post se habet:vt,Velim scias.Itaque quanuis, est quasi quantum vis:sicut quanlibet,quantumlibet quæ optime sequitur facias,dicas,aut feceris,dixeris.Præter ergo doctissimorum obseruationem & consuetudinem, quæ nobis satis esse debebat, etiam natura vocabuli causam diuersæ constructionis nobis affert.

De Etsi,Quanquam,Quanuis,& Licet. CAP. XXI.

Etsi,quãquam, quanuis, licet, eiusdem significationis sunt, aliquid in vtendo discriminis habentia.Nam maior quædã dignitas data est primis duobus,quæ semper adsciscunt sibi indicatiuum duntaxat,in principio statim orationum, epistolarum,librorum. Alia duo in hoc loco raro: in cæteris,omnia indifferenter. Cicero in oratione pro Milone, Etsi vereor iudices. Et in epistola ad Atticum,Etsi nihil noui afferebatur.Et in opere ad Herennium,Etsi negotiis familiaribus impediti,vix satis otiũ studio suppeditare possumus, & idipsum quod datur otii,libentius in philosophia consumere consueuimus. Quintilianus in declamatione de corpore proiecto, * Etsi iudices in hac asperrima conditione fragilitatis humanæ , in qua nemo propè mortalium impunè viuit, hæc omnibus natura est,vt sua cuique calamitas præcipue misera atque intolerandavideatur.Cicero pro lege Manilia,Quanqnam frequens conspectus vester mihi multo iucundissimus,hic autem locus ad dicendum amplissimus,ad agẽdum ornatissimus est visus Quirites. Idem de officiis,Quanquam te Marce fili annum iam audientem Cratippum, ídque Athenis, abundare oportet præceptis, institutísque philosophiæ. Lactantius tamen secundum librum de institutione sic incipit,

*Etiamsi.

Quanquam libro primo religiones deorum falsas esse mõstrauerim. Alia duo magis postulant subiunctiuum, nonnunquam tamen & indicatiuum, vt dixi. vt apud Horatium sic quædã epistola incipit,

Quanuis scæua satis per te tibi consulis, & scis.

In AEgro redempto. *potuerim.

Et apud Quintilianũ declamatio, Quanuis iudices in tanta malorum cõtinuatione iam * poteram nihil ex accidẽtium meorum nouitate mirari. In aliis partibus quàm in principiis, parem omnia hæc locũ sortiũtur. Habent & hoc differentiæ duo priora à duobus posterioribus: quòd illa aliquando eodem modo, quẽ de Nisi ostẽdimus, à nullo depẽdent. Cicero pro Marcello, Quid enim est omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum: quod quũ venerit, omnis voluptas præterita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit? quanquam iste tuus animus nunquã his angustiis, quas natura nobis ad viuendum dedit, contentus fuit: sempérque immortalitatis amore flagrauit. Nec verò hæc tua vita dicenda est, quæ corpore & spiritu continetur. Hoc fit acrius per interrogationem, ac sublimius, vt (ne si alia exempla afferã, longior sim) si dicamus hoc idem sic, Quanquam quis ignorat istum tuum animum nũquam his angustiis, quas natura ad viuendum nobis dedit, fuisse contentum, sempérque immortalitatis amore flagrasse?

Etsi, Tametsi.

De Etsi, siue Tametsi (idem enim sunt) & apud eundem, & apud alios reperienda relinquimus exempla huiusmodi, licet pauciora. Vnum ex Plinio satis sit, ad Cornelium Priscum, Dedit enim mihi quantum maximum potuit, daturus amplius, si potuisset. tametsi quid homini dari potest maius quàm gloria, laus, & æternitas? Hìc nõ possis ponere Licet & Quanuis.

EPITOME.

Quum, quando habet post se tum, quando videlicet significat partim, sed in re minore & minus euidenti quàm tum: tunc vtrunque vno fere verbo contentum, postulat fere indicatiuum, nisi particula alterius modi præcedat. Sed quũ pro quãuis, habens post se tamen, subiunctiuum efflagitat, quem priore modo, nõ semper, sed frequenter euitat. Prior autẽ modus bifariam contingere solet: aut vt generale aliquid præcedat, sequatur speciale: aut vt ambo sint specialia, vt litera declarat. Tum vero duplicari ac multiplicari solet, quando res sunt pares: quomodo &, ac, partim, repeti solent. Dico, Quando habet post se tum, vult quũ præponi, & tum sequi. Nã quando dico, Vir quũ sapiens, tum bonus: sensus est, quũ vero simile sit, aut manifestum quòd sapiens est, tum id est vero similius & manifestius quòd bonus. Addo, Nisi particula alterius modi præcedat: quia Cicero quãdo præmisit vti, id est vt, subiunxit subiunctiuum: sic, Factum est vti quũ summũ &c. Vnde licet dicere, Precor vt filius meus quum prudens tum bonus euadat. Accipitur etiam pro quanuis, vt in litera patet: & pro quando, íd que fere cum indicatiuo, vt in prologo primi huius, Quum sæpe mecum nostrorum maiorum res gestas, aliorúmque ve

regum vel populorum consydero. Quum faciam vitula pro frugibus,ipse venito, in Bucolicis. Vbi faciam,futurũ est indicatiui modi:vitula verò,ablatiui casus, vt sit, faciam rem diuinam. Nam facere & operari,quũ nihil additur,de re diuina intelliguntur,vt,Lætis operatus in herbis. Cæterum (quod ad rem magis attinet) de Partim, alibi erit differendi locus. nam interdum accipitur pro aduerbio, vt suo loco declarabimus. De Tum dico,quando res sunt pares,id est eiusdem ponderis & momenti:quiasi vna aut altera minor sit,præponenda fuerit illi Quũ particula,vt dictum est. Parum autem discrepant quũ & tum,etiã his modis,à significatione nota, quæ sunt quando & tunc. quia si dicatur, Hic vir quando bonus censendus, tunc facundus: sensus sit,Quãdo id probari poterit quòd bonus sit,censendus tũc. id est multo amplius probari poterit quòd facundus sit censendus,quia multo excellẽtius apparet in eo facundia,quàm bonitas. Quòd autẽ talis sit sensus,patet ex eo,quòd sæpe particulæ tum addimus particulam auctiuã: vt AEneidos secundo, Tum verò ardemus scitari,& quærere causas. Tum verò,id est tunc præsertim,& quasi ad verum,quũ prius dissimulate id visi simus fecisse. Dixi, Fere contentum vno verbo: vt si dicam, Vir est quũ bonus,tum facundus, vnum est verbum. possunt tamen plura esse verba, præcipue si in significatione verborum sit incrementum & decremẽtũ: vt, Quũ te semper coluit,tum amauit. id est quũ manifestarium atque in concesso sit quòd te semper coluit,tum id est multo manifestius,atque magis cõcedendum est quòd te semper amauit,quia non coluisset nisi amasset. Quando autem Quum habet subiunctiuum,non penitus significat id quod quanuis,sed quasi,hoc est,quum ita sit quòd. Vnde inepte ille opusculum suum de moribus incœpit,qui dixit, Quũ nihil vtilius humanæ credo saluti: quũ (si versus pateretur) dicendum esset, credã, nõ credo. Habet etiã Tum,vsum in rebus enumerandis hoc ordine,vt primæ demus primum,secundæ deinde,tertiæ,quartæ,quintæ,& omnibus aliis vsque ad vltimum tum. vltimæ autem denique,aut demum,aut ipsum vltimum,vt alibi latius declarabitur. Non enim omnia sunt in vnum locum congerenda.

De Quum & Tum. CAP. XXII.

QVum & tum indicatiuum ferè postulant. Est autẽ in quũ quiddam minus,in tum quiddam maius. Et hoc duobus modis,vt aut generale aliquid præcedat,speciale sequatur,aut ambo sint specialia. Primo modo sic,vt apud Quintilianum, Quod quum omnibus confitendum est, tum nobis præcipue,qui rationem dicendi à bono viro nõ separamus. id est omnibus multum, mihi verò maxime. Altero modo apud eũdem, Quod opus Marcelle Victori tibi dicamus: quem quum amicissimũ nobis,tum eximio literarum amore flagrantem, dignissimum hoc mutuæ inter nos charitatis pignore iudicabamus. id est multum propter amorem tuum in nos, plus tamen propter amorem in literas. Vix aliter reperias,quale est Ciceronis in Verrem, actione prima, Factum est,vti quum summũ in veteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me præsidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. Sed hoc loco adiectiua sunt,quæ distinguant illud plus,& illud minus. In cæteris locis ferè adiectiua non adhibentur,qualia nunc sunt summum & nõnullum. Raro autem alius modus quàm indicatiuus

In præfatione primi libri.

conuenit,quale fuit proximum exemplum. Idem Quintilianus in ſecundo,Quid autẽ eſt ex his,de quibus ſuprà dixi,quod non quum in alia,quæ ſunt rhetorum propria,tum certe in iſtud iudiciale cauſæ genus incidat? Cicero ad Curionẽ,Graui teſte priuatus ſum amoris ſummi erga te mei,patre tuo clariſſimo viro: qui quũ ſuis * virtutibus,tum verò te filio ſuperaſſet omnium * fortunas,ſi ei contigiſſet,vt te antè videret,quàm * vita decederet. Nunquam hoc fit, niſi ſub vno verbo.quòd ſiquãdo ſub duobus fieret,nunquam tamen in diuerſis verborum modis,diuerſiſve temporibus, vt fecit Boetius in principio tertii (vt reor) de dialectica libri,Quum in omnibus philoſophiæ diſciplinis ediſcendis atque tractandis,ſummũ in vita poſitum ſolamen exiſtimem,tum iucundius,& veluti quũ quodam fructu etiam laboris arripio,quæ tecum communicanda compono. Niſi fortè putamus hoc eodem modo pro Deiotaro incepiſſe Ciceronem, Quũ in omnibus cauſis grauioribus C. Cæſar,initio dicendi cõmoueri ſoleã vehemẽtius quàm vel vſus, vel ætas mea videtur poſtulare, tum in hac cauſa ita me multa perturbant. tamen dicitur,non tum. Reſpondet enim ad illud quum,pro quanuis. vt alio idem in loco , Satiſne conſtanter facere videamur, qui quũ præcipi nihil poſſe dicamus, tamen & aliis de rebus diſſerere ſoleamus, & in hoc ipſo tempore præcepta officii proſequamur? quum ſcilicet, pro quanuis. Aut ſi ſcribitur tum,nõ tamen:ſcribendum etiam erit ſoleo, non ſoleam, quale eſt illud in procemio quarti libri Tuſculanarum quæſtionum,Quum multis in locis noſtrorum hominum ingenia virtutéſque Brute ſoleo mirari,tum maxime his in ſtudiis, quæ ſero admodum expetita in hanc ciuitatem è Græcia tranſtulerunt.Idem author opus de natura deorum ſic inchoat,quod quidam deprauare ſolent,dicentes ſint pro ſunt , Quum multæ res in philoſophia nequaquam ſatis adhuc explicatæ ſunt,tum perdifficilis Brute(quod tu minime ignoras) & perobſcura quæſtio eſt de natura deorũ. Priſcianus quoque vix grammaticè locutus eſt in procemio magni operis,& quidem in prima dictione,atque adeò in prima ſyllaba, dicens,Quum omnis eloquentiæ doctrinam,& omne ſtudiorũ genus ſapientiæ luce præfulgens à Græcorum fontibus deriuatum,Latinos proprio ſermone inuenio celebraſſe,& cætera.quæ tanta ſunt præcedentia verbum principale,vt nõ modo Demoſthenes,qui contenta voce,& vno ſpiritu complures verſus pronuntiabat:aut Hercules,qui ſine reſpiratione vnum ſtadium decurrebat: ſed ne Nouellius quidem Torquatus Mediolanenſis,

Cap.I.

*laudibus.
*fortunam.
*è vita diſcederet.

Quintil.lib. II.cap.3.

qui vno ſpiritu tres vini congios ſiccabat, poſſet illam ſententiã, atque periodum, vna vocis contentione pronũtiare. tandem verbum principale ſubiungit, Conatus ſum pro viribus rem arduã quidem, ſed officio profeſſionis non indebitam, ſupra nominatorum virorum præcepta, quæ congrua ſunt mihi viſa, in Latinum transferre ſermonem. Quum inueniam erat dicẽdum, aut quoniã inuenio. Sed ad Tum reuertamur, quod ſæpe ſine Quũ ponitur geminatum, triplicatum, & in quanuis longum multiplicatum. Sed quantum ego ſentio in rebus paribus. vt Quintilianus, Nec indignetur Herodotus æquari ſibi Titum Liuium, tum in narrando miræ iucunditatis, clariſſimíque candoris, tum in concionibus (ſupra quàm enarrari poteſt) eloquentem: ita dicuntur omnia tum rebus, tum perſonis accommodata. Taceo de eo modo quando accipitur pro aliquando. vt, Tum hoc, tum illud dicas. id eſt, aliquando hoc, aliquando illud: vel, modo hoc, modo illud.

Lib. 10. cap. 1.

Cic. in Lælio.

EPITOME.

Quidem trifariam accipi ſolet. Primo ad diſtinguendas res, ponitúrque ſic in priore aut prima particula ſequente autem, vel vero, vel vtroque. Secundo per cõceſſionem eius cui adhæret, ſed ſubſequẽte exceptione cum particula Sed, verum, veruntamen, at, cæterum, tamen, attamen, ſed tamen. Subditur autem ſic venuſte poſt pronomen Ille. Tertio per affirmationem, quaſi pro certe: aut per excluſionẽ eius cui maxime videtur poſſe conuenire quod ſequitur, ídq; ſine dictis particulis, ſed præcedẽte nec, aut ne, & poſito quod excludere volunt, in medio. Exẽpla in litera patebunt. Tertii autem modi, quia amplior eſt quàm in litera, habétque duo membra: prioris membri exemplum eſt, Nemo doctus, quod quidem ſciam, hoc dixit. Sequentis, hoc eſt, Ne Deus quidem ipſe poſſet facta infecta facere. At ne rex quidẽ ipſe populo illi formidini ſit. rex dico ipſe, qui tamẽ potiſſimum eſſe poſſit. Ponitur autem in primo modo Quidẽ, in priore aut prima particula. in priore, ſi tantũ duæ ſunt: in prima, ſi plures. verbi gratia, in priore ſic, Omnes ſtabunt ante CHRISTI tribunal: boni quidẽ ad dextram, mali verò ad ſiniſtram. In prima autẽ ſic, Omnes homines tandem addicentur: boni quidem ad gloriam, mali verò ad tormenta: porro neutri, vel neutri autem (id eſt infantes qui è Chriſtianis nati ſunt, ſed non renati in CHRISTO) ad priuationem vtrorunque. De ſecundo modo, omnia ſunt exemplorum plena: vt, Bene quidem prædicas ac præcipis, ſed male viuis. Prudenter quidem ſcripſiſti, ſed inſipienter vixiſti. Multi quidem bene incipiunt, verum perquam pauci perficiunt honeſtam vitam. & ita in infinitis aliis. Gaudet autem ſic particula ille illa illud, vt in litera ſatis declaratur.

De Quidem. CAP. XXIII.

QVidem, duobus tribuſve modis accipi ſolet. Vno modo ad diſtinguendas res, quod apud Græcos penè nimis fit ſæpe. vt, Vnus quidem ſic, alius autem ſic. Ego quidem Romæ ſum, tu verò Athenis, frater autẽ Alexandriæ. Altero autẽ quaſi per exceptionẽ illius quod affirmes, vt apud Marcum

In infami in matrem. 1.

Fabium, Torquebis quidem filium, sed fatebitur mater. Adeo, vt apud hunc & M. Tullium, nunquam coniungantur Quidem & Ille, quin huiusmodi sequatur exceptio. vt de Officiis libro 3, Ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis. Et de amicitia, Qui autem in virtute summum bonum ponũt, præclare illi quidem, sed hæc ipsa virtus amicitiam & gignit & continet. Dicendum erat, præclare hi quidem, vt in pronominibus ostendimus, potius quàm illi. sed hoc fecit, vt Ille coniungeretur cum Quidem. In superiore modo tantum duabus comitibus Quidẽ vti potest, quæ sunt Vero & Autem: in hoc secundo pluribus potest, præter has duas, verum, veruntamen, at, sed, cæterum, tamẽ, attamen, sed tamen. Atque in hoc secundo modo ipsum quidẽ alternatim poni potest, nunc in laudem, nunc in vituperationẽ. atque id aut à vituperatione incipiendo, & finiendo in laudem: aut incipiendo à laude, & finiẽdo in vituperationem. vt, Tu lentus quidem es & piger, sed tamẽ fidelis. Rursus, Tu quidem fidelis es, sed tamẽ lentus & piger. Tertio modo, quo plenus est etiã sermo vulgaris, nullo autẽ, aut vero, aut sed, aliáve coniũctione simili sequente, sicut & hæ ipsæ nonnũquãm sine quidem sunt. Cicero, At enim nemo (quod quidem magis credo) aut si quisquam est, ille sapiens fuit.

EPITOME.

Vero & Autem, subiunctiui sunt ordinis, idémque significant: sic tamen vt interdum nusquam referantur, sed solum ad distinguendas sententias ponantur: verũ differunt in vtendo, quia non eisdem sociantur. dicimus enim, Neque vero, & nec vero, concinnius, quàm neque autem, nec autem. Tum verò potius, quàm tum autem. quod vix audeas dicere. Itẽ Age verò, sane vero, enimuero, iam vero, at vero, potius quàm Age autẽ, sane autẽ, enim autẽ, iã autẽ. quæ duo postrema, nequaquã dicam. Incipimus præterea maiora quædam capita per vero, potius quàm per autem. E diuerso, non autem potius dixeris, quàm non vero: licet recte & indifferenter dicatur, vero non, vel autem non, sine repetitione eiusdem verbi. Nam quoties hæ particulæ Vero & Autem, ponuntur cũ negatione: non conuenit in contradictione verbum non longe positum repeti, sicut conuenit quando sola negatio præcedit aut sequitur. Poetæ tamen illud non obseruant. Porro, idem significare videtur quod autem & vero: sed communis est ordinis. vnde dicere licet, Age porro, sicut age vero: sed in principio orationis licet dicere, porro qui: vbi per autem & vero diceretur, qui autem, vel qui vero. Habétque Porro, alias apud poetas significationes vt longe, certe, postea, & vltra significare videatur, vnde sæpe in medio inuenitur. Exempla fere patent in litera. Cui adieci has particulas, potius, concinnius, venustius, &c. sic enim vbique intelligẽdum est, vt author ipse protestatur. Quocirca parum militat contra ipsum quod affert Mancinellus. Est tamen vtile cognitu, ne nullos affirmemus secus locutos: dicit enim sic, Neque autẽ, qui dixerit: recte quidẽ dixerit. Apuleius enim libro primo Floridorum sic ait, Proconsulis autem tam bella sentẽtia est: qua semel lecta, neque augeri litera vna, neque autẽ minui potest, &c. Quod quidem Laurentius item notasset si tunc forte occurrisset ei. Apuleii enim authoritas apud Laurẽtium valuit. Vnde vbi de puluisculo scribit, ait, Masculino ta-

Mancinellus.

mē protulit Apuleius. Dixit enim, nobilem puluisculum. Affert & alibi Apuleii authoritatem. Non vero, quoque dicere licet. Tullius nanque in Catone maiore seu de senectute sic ait, At ii quidem iam mortui sunt: non vero tam iste, quàm tu ipse nugator &c. Præterea iam autē, rectè dici poterit. Curtius enim libro nono sic ait, Iam autē scietis, & quantū sine rege valeat exercitus, & quid operis in me vno sit. Hæc ille. Quorum quia singula affert exempla, ostendunt rarum contrarium esse vsum, minúsque elegantem.

De Vero, Autem, Porrò. CAP. XXIIII.

VEro & Autem idem significāt, & eodem in loco poni possunt, antecedente vtique aliqua dictione. Nūquam enim ab his sententia incipit. Collocantur autem frequēter, vt nusquam referantur, sed tantum distinguant sententiam à sententia, vt mea ipsius verba declarāt, vbi sum vsus modo autem. Habent tamen aliquando nescio quid differētiæ in vtendo. Cur nanque non dicimus, neque autem, sicut neque verò? vt Quintilianus, Neque verò me Lacedæmonii atque Athenienses magis mouerunt, quàm populus Romanus, apud quā summa semper oratoribus dignitas fuit. Item, tum propter hoc, tum verò propter illud: non autem, tum propter hoc, tum autem propter illud. Contrà, non dicimus, non vero, sicut non autem. vt Sum tibi amicus, non autem assentator. muta illud aduerbium, & habebit locum vero, sic: Sum tibi amicus, assentator vero non, vel, assentator autem nō. & in quibusdam similibus. Incipimus enim maiora quædam capita per vero, potius quàm per autem. Virgilius Iunonem cum Venere sic loqui incipientem facit, [Neque vero.] [Tum vero.] [Non autem.] [4. AEneidos.]

Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis,
Túque puérque tuus.

Et ad Seruium Sulpitium scribens Cicero, ita epistolam incipit, Ego vero Serui vellem (vt ais) in meo dolore affuisses. Præterea non ita dicas, age autem, sanè autem, iam autem, enim autem, at autē: vt age vero, sanè verò, iā vero, enim vero, at vero. Atq; vt in quibusdam locis hæc duo, & cætera similia à me prius enumerata habent gratiam, si ponantur: ita in quibusdam non habent. quale est, quum idem verbum repetitur, hoc modo: Quintilianus, Ego propter patrem mori possum, coram patre non possum. non rectè dicas, coram patre autem non possum, nisi reticeas verbum, sic: coram patre autem non. Atque hîc sequitur negatio, aliquando autē antecedit. Cicero, Tu quū principem senatorem auunculū domi habeas, ad eū non refers, ad eos refers, qui suā domū non habent, tuā exhauriūt. Quare non de eomodo intelligitur, quoties verbū sine contrarietate repetitur. vt Idē, Tribues his tēporibus quantū poteris, poteris autē quantū voles. [Age vero.] [Sane vero.] [Iam vero.] [Enim vero.] [At vero.] [In veneno effuso.] [Verbi repetitio quando licita.] [Cicero in per oratione officiorum.]

Neque quoties aliquid prælongũ eſt, aut nonnihil immutatur, vt idem in Verrem, actione 1, Nõ enim (inquit) illud peto, quod ſoleo, quum vehementius contendi, impetrare: vt reus abſoluatur non peto, ſed vt potius ab hoc, quàm ab illo accuſetur, id peto. Et in Philippicis 11, Ego autem veteranos tueri debeo, ſed eos quibus ſanitas eſt, certe timere non debeo. Tale nõ fuit Lactantii, qui ait, Sed (vt dixi) venia concedi poteſt imperitis, & qui ſapientes ſe non fatentur: his verò non poteſt, qui ſapientiam profeſſi, ſtultitiam potius exhibeant. Ego dixiſſem, his non poteſt. Poetæ hoc non ſeruant. Virgilius,

Non erit auxilio nobis AEtolus & Arpi;
At Meſapus erit. Ouidius,
Non formoſus erat, ſed erat facundus Vlyſſes.

Porrò. Porrò, licet eiuſdem ſignificationis ſit, cuius verò & autem: tamen, vt puto, pro illis ponere non poſſis: nonnunquam tamen eundem locum ſortitur, vt Age vero, age porrò. ſed illud núquã in fronte ſententiæ collocatur, hoc autẽ ſæpius: vt Quintiliauus, Porro qui confeſſum defendit, non abſolutionem ſceleris petit, ſed licentiam. Per illa diceremus, qui vero, vel qui autem confeſſum defendit. Apud quoſdam, & præſertim poetas, volunt ſignificare longe, certe, poſtea, vltra. Ideóque ſæpe nõ in principio ſententiæ, ſed in medio inuenitur.

EPITOME.

Siquidem, quãdo vna pars eſt, rationalis eſt coniũctio, ſignificans idẽ quod nam. Quãdo duæ partes, ſi, eſt conditionalis: & quidẽ, quaſi certe: quo modo deberet ſi produci, quũ tamẽ ab Ouidio corripiatur. Accurate autẽ annotãdũ eſt quãdo duæ ſunt partes. nã in ſignificãdo lata eſt differẽtia, vt litera dilucide docet. In Quintiliani autẽ exẽplo, vbi dicit, velut muneri, id eſt in munus, aut pro munere: non eſt legendũ numeri, neque munerũ. Et paulo poſt, Siquidẽ & remigem cãtus hortatur: hoc eſt remigantem, non autem regimen, vt quidam impreſſerunt.

De Siquidem. CAP. XXV.

Siquidem ex ſi & quidem compoſitum videtur. ſed cur nec primam ſyllabam lõgam habet, quũ ſi longa ſit: nec ſignificationem alicuius harũ vnde componi dicitur dictionum?
Lib.1.cap.17. Eſt enim ſiquidem, idẽ quod nam, vt apud Quintilianũ, Atque natura ipſa videtur ad tolerãdos facilius labores muſicam velut muneri nobis dediſſe: ſiquidem & remigem cantus hortatur. Et
Philip.2. Ciceronẽ, Confiteor eos niſi liberatores populi Romani, cõſeruatoréſque reipubicæ fuerunt, plus q̃ ſicarios, plus q̃ homicidas, plus etiã quàm parricidas eſſe. ſiquidẽ eſt atrocius patriæ parentẽ, quàm ſuũ occidere. Nonnulli non internoſcũt, quando ſiquidẽ eſt vna dictio, quando duplex: quod internoſcere facile eſt, vt apud eoſdem ambos. Priorem lib.4, Quare illud ſtultiſſime præ-

cipitur,quod defendi non poteſt,ſilentio diſſimulandum: ſiquidem eſt id de quo iudex pronuntiaturus eſt. At ſi extra cauſam ſit adductum,& cætera.Poſteriorem pro Milone,Deinde profectus eſt id temporis,quum iam Clodius(ſi quidem eo die Romã venturus erat)redire potuiſſet. Et pro Flacco,O morem præclarũ diſciplinámque,quam à maioribus accepimus, ſi quidem teneremus:ſed neſcio quo pacto iam de manibus elabitur. In hoc tamẽ ſignificato apud Ouidium reperitur libro quarto Faſtorũ prima ſyllaba breui,tanquam ſit dictio compoſita,

Sed ſi fortè tibi non eſt mutabile pectus,
Státque ſemel iuncti rumpere vincla thori:
Hoc quoque tentemus,ſi quidem ieiuna remanſit:
Sin minus,inferni coniugis vxor erit.

Idem libro tertio ſine titulo,

Quæ mihi ventura eſt,ſi quidem ventura ſenectus,
Quum deſit numeris ipſa iuuenta ſuis?

In altero ſignificato apud Lucanum libro quarto,

Hoc ſiquidem ſolo ciuilis crimine belli
Dux cauſæ melioris eas.

EPITOME.

Sin, raro ponitur niſi præcedat ſi, ſaltẽ ſubintellectũ, idémque eſt quod ſed ſi, aut ſin autẽ:quod poſterius,non includit negationẽ,ſed oppoſitionẽ: niſi addatur minus,aut alia particula negatiua.neq; ſi,idẽ eſt quod ſiquidẽ,licet Seruio videatur. Apud quoſdam præſtanteis viros,Hieronymum præcipue nõ notat, vt cuius non ſunt illa Apoca.2.verba:nec ſimiliter in Euangelio: nã alterius putatur tranſlatio.

De Sin. CAP. XXVI.

SIn pro ſi,nunquam in prima parte collocatur,ſed in ſecunda,vbi ferè duorum eſt oppoſitio: atque hoc ſiue vocali ſequente,ſiue conſonante. Terentius, Si illum relinquo, eius vitæ timeo: ſin opitulor,huius minas. Et alibi, Si hoc celetur,in metu: ſin patefit,in probro ſiem. Nonnunquam ſin vnum reperitur,ſed quod ſecũdi loci vicem obtineat.vt Salluſtius,Imperat,vt pretio,ſicuti multa cõfecerat,inſidiatores Maſiniſſæ paret, ac maxime occulte. Sin id parum procedat, quouis modo Numidam interficiat.id eſt,ſi poteſt,occulte: ſin non poteſt,vtcunque. Quorundam tamen vſus eſt,vt dicant,ſinautẽ,pro eo quod eſt ſi non:quaſi in ſin,aut in autẽ,ſit negatio. Mirarérque de vulgo,niſi id apud quoſdam præſtanteis viros reperirem. Quale eſt illud in Apocalypſi, Sin autem,venio & mouebo candelabrum tuúm.quũ præſertim paulo pòſt dicatur,Si quo minus,veniam. Ego verò in vtroq; dixiſſem,ſin minus,vel ſin aliter. Et inEugelio, Si ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra:

In Andria. In Phormione Antipho. In Iugurtha.

ſin autem,ad vos reuertetur. Et alibi,Siquidem fecerit fructum: ſin autẽ,ſuccides illam.in quibus omnibus Græce negatio adeſt. Seruius vult nonnunquam,ſi,accipi pro ſiquidem:vt ibi, Tua ſi tibi Mænala curæ.quod mihi minime placet.

EPITOME.

Quippe,vtpote,profecto,vtique,nempe, nimirum, ſane,certe vel certo, ſimiliora ſunt in ſignificato,quàm ſiquidem:non multum tamen ab eo differunt,præſertim duo,quippe & vtpote,quæ cauſatiuæ ſunt.Nã quippe,videtur eſſe quia certe.vnde quippe, ſiquidem,nam,nanque,etenim,præcedente aliqua particula, reddunt præcedẽtis dicti cauſam. Quoniam autem,exorditur cauſam.vnde idẽ dicere poſſum per quoniam in principio poſitum, & per quippe ſecundo loco, ſequente quũ, aut relatiuo,aut etiam ſinevtroque.Vtpote autem,ſimillimum eſt quippe:niſi quòd verbum ſuum non habet:habet enim poſt ſe quũ,vel relatiuũ, ſicut quippe. Profecto & vtique,affirmant:ſed vtique à Cicerone non frequentatur,ſicut profecto. ſunt autem ambo apta reſponſioni,quũ nos iidẽ interrogamus & reſpondemus,ſicut & certe & nimirum:ſed maxime omnium nempe,quod tamen nõ præcedente interrogatione etiam in principiis locum habet, vt,Nẽpe hoc aſſidue ,Nẽpe hoc quæſiſti.In quibus tamẽ tacita videtur præceſſiſſe quæſtio. Sane,& affirmatiue,& pro valde accipitur,nonnunquam cum ſuperlatiuo,& permiſſiue.Certe,modo affirmat,modo pro ſaltem accipitur,ſicut at. Quũ & vero,ſemper affirmat, vt, Et certe,apud Ciceronem: ſicut,Et ſane,apud Quintilianum. Cum verbo ſcio,dicitur potius ,certo,quàm certe.Hæc ſumma eſt. Exẽpla patent in litera.Mancinellus huic vltimo adiicit nonnihil, dicens, Hîc addam dici quoque certum ſcio. Valerius Maximus libro 2.cap.ſecundo, Nam oculos tuos,certum ſcio ,clariſſima in luce tenebris offuſos, ingens opus animi intueri nequiuiſſe . Inuenitur & ſæpe certe ſcio. Hæc ille.

Mancinellus.

De Quippe,Vtpote,Profecto,Vtique,Nempe, Nimirum,Sanè,Certè. CAP. XXVII.

QVippe & vtpote,profecto,& vtique , nempe & nimirum, ſanè & certe vel certo, ſimiliora ſunt quidem in ſignificato, quàm illud quod modo dixi (de ſiquidem loquor) ſed ad hoc ipſum proxime accedunt,præſertim duo,quippe & vtpote:quæ licet vulgo accipiantur pro certe,cui non omnino equidẽ repugno, tamen malim accipere pro cauſatiuis. vt Quintilianus,Falſa enim eſt querela,pauciſſimis hominibusvim percipiẽdi quæ tradantur eſſe cõceſſam, pleróſque vero laborem ac tẽpora,tarditate ingenii perdere. Nam contrà,plures reperias & faciles in excogitando,& ad diſcendum promptos.Quippe id eſt homini naturale: ac ſicut aues ad volatum, equi ad curſum, ad ſæuitiam feræ gignũtur:ita propria nobis eſt mentis agitatio atque ſolertia:vnde origo animi cæleſtis creditur. Atque licet huiuſmodi dictiones eodem tendant,tamen vſu diſſident, & quaſi diuerſo itinere ad idem perueniunt . Vt enim pro quippe hoc in loco recte dicam ſiquidem, vel nam, aut nanque,vel enim, aliqua dictione antecedente,ad hunc modum, Id enim eſt homini

Quippe. Vtpote.

Lib.1.cap.1.

naturale: Ita rarius per quoniam, quæ coniunctio habet alium suum vsum, qui nulli horum alteri cōcedatur, vt in hoc Tulliano exemplo, Quoniam vtriusque consilii causam P.C. probatā vobis esse confido, priusquam de republica dicere incipio, pauca * loquar de hesterna M. Antonii iniuria. Hoc idē per quippe sic dicam, Priusquam de republica dicere incipio P.C. pauca loquar de hesterna M. Antonii iniuria. Quippe probatam vobis esse cōfido causam vtriusque consilii. Vel, quippe quū probatam vobis esse confidam. Vel, quippe qui probatam vobis esse confido, vel cōfidam. Huic simillimū est vtpote, præterquam primo modo. Non enim habet suū verbum, quale foret, Vtpote id est homini naturale. In cæteris omnibus vsum eundē habet. Plinius de nat. hist. Vtpote quum quidam anno & biennii spatio durauerit. Cicero ad Atticū, Me incommoda valetudo, qua iam emerseram, vtpote quū sine febri laborassem, tenuit. Idem ad eundē, Ea nos (vtpote qui nihil contemnere solemus) non pertimescebamus. Et in Philippicis, Lucius quidē frater eius, vtpote qui peregre depugnauit, familiā ducit. Sallustius in Catilinario, Antonius procul aberat, vtpote qui magno excercitu locis æquioribus expeditos in fugam sequeretur. Hic subiunctiuo, ille indicatiuo vsus est. Nonnūquam sine quum, & sine relatiuo reperitur, & nescio an frequētius, cuiusmodi esset hoc, Antonius aberat à bello, vtpote æger ac iacens in lecto. In qua forma etiam reperitur quippe: vt Quintilianus, Si alienū & ignotum, tamē quæ communis omnium mortalium, quippe sub vno parente, naturæ cognatio est, hominem cibo fortè iuuissem pœna dignū: viderer seruasse perituram animam. Titus Liuius libro tertio, Notam iudici fabulam petitor, quippe apud ipsum authorem argumēti peragit. Profecto autem, & Vtique, sine dubio affirmant, sed hoc secundū nunquam, aut ferè nunquā apud Ciceronē, apud posteriores frequenter. vt Quintilianus, Sed solent huiusmodi negotiatores aliquid proprium ac priuatum stipulari, vtique quū alienam rem vendunt. Quod non ita solet ad responsionem adhiberi, vt illud alterum: vt Cicero, Quis hæc renuntiat? is profecto qui interfuit. Licet idem facere per certe: vt idem, Tantam solicitudinem bonorum, tātum timorem omnium in quo meminimus? certe in nullo. Et per nimirū: vt Quintilianus, Demus id quod nullo modo fieri potest, idem ingenii, studii, doctrinæ, pessimo atq; optimo viro, vter melior dicetur orator? nimirum qui homo quoque melior. Sed vsitatum omnium maxime est nempe: vt Cicero, Apud quem hæc dico? nempe apud eum, qui quum hæc

Quoniam. Philipp. I. * querar Profecto. Vtique. Nimirum. Nempe.

sciret, me tamen antequam vidit, reipublicæ tradidit. Nonnunquam sine interrogatione. Horatius enim quandam epistolam sic inchoat, Nempe hoc quæsisti. Et Persius, Nempe hoc assidue, dixit. Quintilianus quoque inquit, Nempe enim in hoc plurimum laboris exhausimus, vt rhetoricen ostenderemus bene dicendi scientiam, & vtilem, & artem, & virtutem esse. Sanè, tum affirmatiue sumitur, vt Ita sanè, sanè vero: tum pro valde, vt Homo sanè nobilis: interdum cum superlatiuo, vt Suetonius de vita Cæsaris, Bellum sanè difficillimũ gessit: tum permissiue, quoties aliquid aduersario tribuimus, vt Sit sanè vt ais. vt Quintilianus, Tulerit sanè filius noster merito pœnas, dederit spiritũ supplicio, nihil de præterito loquamur. quasi esto, ita sit vt vis. Certè, modo affirmat, modo pro saltem accipitur: vt, Non potero tangere? certè potero videre, vel at certè. Ideo dixi quòd pro saltem accipitur, quòd hanc eandem sententiam nihil differre puto ab ea, quæ est, non potero tangere? saltem, vel at saltem potero videre. Adiungitur autem illud at, quomodo iungitur sed cum tamen, licet alterum eorũ sufficeret. Significat enim nonnunquam at, idem quod saltem, vt in illo Virgiliano, At Mesapus erit. Certè coniuncta cum coniũctione &, semper affirmat: vt Cicero, Et certè contra Cæsarem est ingressus armatus. apud Quintilianum, Et sanè frequenter. vt libro primo, Et sanè quis cõcipiat vel declamantis habitum, vel orantis vocem, incessum, pronũtiationem, illum denique animi & corporis motũ? Certe, coniuncta cum scio, similibúsque verbis, solet mutare e in o, vt certo scio: sicut dicimus manifesto scio pro manifeste, aperto pro aperte, liquido pro liquide, tuto pro tute, & similia.

Sanè.

Certè.

At.

Et certè.

Et sanè.

EPITOME.

Vt, accipitur eleganter pro quippe seu vtpote, sequente cum, aut relatiuo: interdum etiam quasi pro secundum quod. Exempla in litera clarissima sunt.

De Vt. CAP. XXVIII.

VT pro quippe siue pro vtpote accipitur sequente relatiuo. vt Quintilianus, Quum me, vt cuius interiecto mari, nõ fortunam quisque nosse, non natales, non patrem poterat: vna tamen res faceret, apud quosdam miserabilem, quòd videbar inique cõparatus. Et alibi, Iam illud diximus quanto plus nitoris & cultus demõstratiuæ materiæ, vt ad delectationem audientium compositæ, quàm quæ sunt in actu & cõtentione suasoriæ iudicialésque permittant. Vbi est vt, licet ponere quippe, vel vtpote. Quintilianus, vt frequenter vtitur, vtpote autem raro. Et alibi, Nec ignoro igitur quos transeo, nec vtique damno, vt qui

In Gladia.

Lib. 10. cap. 1.

dixerim esse in omnibus vtilitatis aliquid. Et alibi, Theopompus his proximus, vt in historia prædictis minor, ita oratori magis similis, vt qui antequam est ad hoc opus solicitatus, diu fuerit orator. Aliquando accipitur quasi pro secũdum: vt Cicero, Qui sermo, quæ præcepta, quanta notitia antiquitatis, scientia iuris, augurii? multæ etiam, vt in homine Romano, literæ. id est secũdum id quod solent scire Romani. Et alibi in Bruto, Posteáque Clisthenem, multum, vt temporibus illis valuisse dicendo. id est secundum illorum temporum eloquentiam. Et iterum, Denique hunc proximo seculo Themistocles insecutus est, vt apud nos perantiquus, vt apud Athenienses non ita sanè vetus. Et iterum atque iterum in eodem Bruto, Fuit, vt temporibus illis, luculẽtus. Erat quum literis Latinis, tum etiam Græcis, vt temporibus illis, satis eruditus. Erat etiam in primis, vt temporibus illis, Græcis doctrinis institutus. Quorum vtriusque orationes sunt in primis, vt Asiatico in genere, laudabiles. Ibidem. De senect.

EPITOME.

Ab, l, r, & i consonanti venuste præponitur. Abs, t, & q. Vt autem Priscianus docet, à vel abs non præponuntur vocali. Ab, tam vocalibus quàm consonantibus non male sonantibus, vt dictis tribus, & d, & interdum n. Vnde Mancinellus, De ab, longe melius Priscianus edocuit. Ait enim lib. 1. de duodecim carminibus, A quidem vel abs, vocali sequente non ponemus. Ab verò, non solum vocalibus sequentibus, sed etiam consonantibus quibusdam non male sonantibus, antecedẽte ab, vt abduco, abdo. Hæc ille. Licet igitur etiam dicere ab duce, ab domo. Sæpius denique reperitur ab, consonante sequente præposita. Plinius libro secundo cap. nono, Et in tenebrarum remedium ab natura repertum. Item libro decimonono, cap. secundo, Mox Cæsar dictator totum forum Romanum intexit, viámque sacrã ab domo sua ad cliuum vsque in Capitolium &c. Plura inuenies & in commentariis Cæsaris, & in Tito Liuio, atque aliis. Hæc ille. Quibus claret qualis sit censor, quando dicit Priscianum longe melius edocuisse. Nam multis quidem videtur melior Laurentiana præceptio, quæ præsupponit dictum Prisciani. declarat autẽ quibus consonãtibus ab præponi velit. Cum enim Priscianus tantum de d exemplificet, addit Valla quòd etiam l, r, & i, consonanti venuste præponitur.

Quibus cum literis iungitur Ab & Abs. CAP. XXIX.

AB, cum duabus liquidis, & cum i quando fit consonans, adiungi solet: vt ab lege, ab legatis, ab literis, ab rege, ab rogo, ab re, ab Ioue. Abs verò cum t, vt abs te, abs Tito, interdum verò cum q, vt Terentius, Abs quiuis homine beneficium accipere, gratum est.

EPITOME.

Continuo, statim, & protinus, præcedente negatione, aut addita particula interrogatiua vim negandi habente, significant quasi, non ideo, aut num ideo. Protinus autem, sine negatione valet interdum quasi simul, aut etiam. Exempla patent in litera.

De Continuo, Protinus, Statim. CAP. XXX.

Continuo, Protinus, Statim, quid significet, notum est: quibus addita nega tione, significatio fit qualis nō ideo. vt de oratore Cicero, At si illæ seditiones saluti huic ciuitati fuissent, non continuo siquis motus populi factus est, id C. Norbano in nefario crimine & fraude capitali esset ponēdum. Quintilianus, Non autem vt quidque præcipue necessarium est, sic ad efficiendum oratorem maximi protinus erit momenti. Et iterum, Neque id statim legenti persuasum sit, omnia quæ omnes authores dixerunt, vtique esse perfecta. Eandem vim obtinet interrogatio, quam negatio: vt idem, Continuóne si ille stulte cogitauit, nobis quoque stulte dicendum est? id est, num ideo? Cuius significationis mutatæ hæc causa est, quòd non planè recessum est à prima illa eius & naturali: q uasi dicatur non aut num propter hanc solam, & se primo offerentem rationem? Seruius non est vsus hac re eleganter in ea parte, vbi abest negatio. Non quia mulier, statim & ancilla: si autem ancilla, statim & mulier est. Tollēdum enim erat posterius statim. Protinus (vt interpretor) pro simul, siue etiā aliquādo accipitur: vt Virgilius, -quin protinus omnē Perlegerent. Quintilianus, Traxerat ex firmitate mentis magnam protinus & in membra constantiam. Etenim quod statim fit, quasi simul fit.

Lib. 10. cap. 1.

Ibidem.

Protinus.

6. AEneid.

EPITOME.

Tantum abest, sequente simplici aut gemino vt, venuste exprimit, quod per nedum, non solum, non modo, vel non tantum dici potest: à Quintiliano autē per & tantū non, vel tantúmque non, aliud exprimitur loquēdi genus. Verbi gratia, dicere possum, Tantū abest vt fratrē tuū occiderim, vt ne viderim quidem. Aut per nedum sic, Ego fratrem tuū non vidi, nedū occidi: vel nō occidi. Aut per nō solum, seu nō modo, aut nō tantū: sic, Ego nō solum nō occidi fratrem tuū, sed nec vidi vnquam. Per & tantū nō, sic, Fratrem tuū tantum non occidi. id est fere occidi. & id tantū abfuit quòd nō occidi, cū ad necē vsque exclusiue tamen omnia illi iniuriarū genera intulerim. Sane nō mihi nūc videtur vt olim idē per nō tantū, & tantū nō explicari: verbáque Quintiliani sic intelligo, Tātúmque nō petita ex fluctibus aqua restinxit ignē, & mulier mater insepulti tantū nō restinxit ignē. scilicet rogi aqua petita ex fluctibus. id est, cū omnia fecerit ad impediendū rogum filii, hoc solū non fecit. parū tamen abfuit quin fecerit, hoc est non restinxit &c. Et tantū non ipsi qui fecerat miserandū, id est, omnibus miserandū excepto eo qui fecerat. Et tātúmque non queratur. id est cū omnia queratur, hoc tantum deest quòd non queratur durū ac rusticum &c. Et certe Vallæ expositio minus quadrat.

De Tantum abest, Tantúmque non. CAP. XXXI.

Tantum abest, aut vnum vt, post se habet, aut duplex. vnum, sic: Cicero de Officiis, Tantum abest ab officio, vt nihil officio magis possit esse contrarium. Idem pro Marcello, Tātum abes à perfectione maximorum operum, vt fundamenta nōdum quæ cogitas, ieceris. Duplex sic, Idem pro lege Manilia,

Tantum abeſt, vt aliquam bonam gratiam quæſiſſe mihi videar, vt multas etiam ſimultates, partim occultas, partim apertas, ſubeundas mihi eſſe intelligam. Quem modum loquēdi à Græcis mutuati ſumus. Hos autē duos, quos attigi, modos idem ſignificare ex hoc liquebit, quòd alterum in alterum conuertere licet: ſic, Tantum abeſt, vt officium ſit, vt nihil officio magis poſſit eſſe contrarium. Item, Tantum abes, vt maxima opera perfeceris, vt fundamenta nondum quæ cogitas, ieceris. Rurſus, Tantum abſum à comparatione alicuius bonæ gratiæ, vt multas etiam ſimultates, & cætera. Quin quò planius huiuſmodi orationis ſenſus patefiat, reſoluamus per non ſolum. vt, Non ſolum aliquam gratiam quæſiſſe non videor, ſed etiam multas, & cætera. Item, Non modo officium non eſt, verumetiam nihil magis officio poteſt eſſe contrarium. Et, Non tantum abes à perfectione maximorum operum, ſed fundamenta quoq; nondum quæ cogitas, iecisti. Poteſt & in nedum reſolui, vt ſuprà docuimus. Sed hoc faciendum legentibus relinquimus. Aliquando tantum abeſt, & ſine geminatione illa, & ſine ablatiuo reperimus, ſed perquam rarò, vt in M. Callidium Cicero, Tantum abfuit, vt inflammares noſtros animos, ſomnum iſto loco vix tenebamus. Apud Quintilianum hæc exempla non inueni, ſed tale genus loquendi, Si vltra hoſtium affectus qui cæſos acie ſæpe tumularūt, vltra tyrannos, vltra latrones, parum habet non ſepelire, niſi aliorum quoque officia præciderit, tantúmque non petita ex fluctibus aqua reſtinguit ignem. Et alibi, Hoc triſte ſpectaculum, & tantum non ipſi qui fecerat miſerandum. Et iterum, Tātúmque non durum ac ruſticum, ſed parum meretriciis artibus queritur educatum. id eſt tantum abeſt vt reſtinguat ignem, tantum abeſt vt ipſe miſereatur, tantum abeſt vt queratur durum ac ruſticum, vt potius queratur parum meretriciis artibus educatum. Valerius in primo, Tantum non ſuis manibus deducit. ſiue propè adeſt, vel propè eſt vt. id quod etiā è Græco ſumus mutuati.

[Margin: Non ſolum. | Non modo. | Non tātum. | In Bruto. | In corpore proiecto. | In Apibus pauperis. | In milite Mariano. | Tantum non]

EPITOME.

Simul, geminatum non reperitur apud Ciceronem, ſicut apud Quintilianum & cæteros. reperitur tamen interdum apud eum, ſequente & geminato: ſicut ſemel vnà geminatum pro ſimul. At ſimul & pariter, non geminata, neque ſequente & geminato, ſæpe apud Quintilianum leguntur.

De Simul, Vnà, Pariter. CAP. XXXII.

Simul geminatum non memini me reperiſſe apud Ciceronem, apud poſteriores ſæpe: vt Quintilianus, Simul vt pleniore obſequio demererer amantiſſimos mei, ſimul ne vulgarem viam ingreſſus, alienis demū veſtigiis inſiſterē. Virgilius,

[Margin: In procemio lib. I.]

Obstupuit simul ipse, simul perculsus Achates. Et iterum,
Accelerat simul AEneas, simul agmina Troum.

Cicero tamē rarò pro simul dixit vnà. In Verrem actione secunda, Vnà & id quod facio probabit, vnà & in hac causa profecto neminem præponendum mihi esse existimabit. Simul non geminatum, & Pariter apud Quintilianum sæpe. Vt, Homo fortis simul & sapiens. vel, Homo fortis pariter & sapiens. Raró cum & geminata. vt Horatius,

Vnà.

Pariter.

Aut simul & iucunda & idonea dicere vitæ.

Cicero pro Roscio Amerino, Perditissimi est igitur hominis, simul & amicitiam dissoluere, & fallere eum qui læsus non esset, nisi credidisset.

EPITOME.

De die hoc, id est in quo sumus, hodie dicetur, nō nudiusprimus. De præcedenti, non pridie, nec nudiussecundus, sed heri. De eo qui hesternum præcessit, nō ante heri (vt barbari) sed nudiustertius: & de superiori, nudiusquartus, quasi nūc dies tertius, & nunc dies quartus, & vix vltra quartum numerum, licet Plautus & semel Cicero id faciat, progrediemur: sicut nec in aliis multis. Nam biduum, triduū, quatriduum: binoctium, trinoctium, quadrinoctium: biuium, triuiū, quadriuium: bimus, trimus, quadrimus: nec vltra in vsu sunt. De eo autem qui hodiernum sequitur, dicetur nō postridie, sed cras. & de crastinum sequente, non post cras, more imperitorum, sed perendie: vnde comperendino verbum. Pridie autem & postridie, tam ad præteritum quàm ad futurum tempus adhiberi possunt: sic vt pridie, sit die priori ante eū, scilicet cuius mentionē facimus: & postridie nō post tres dies, sed die postero, respectu eius cuius meminimus. Vnde propriè dicimus, Pridie Calendarum vel Calendas: & Postridie, non autem secundo: nec primo, quia pro eo dicimus Calendis. Simile autem dicendum est de Nonis & Idibus. A Pridie, fit pridianus: pro quo sæpe hesternus vsurpatur. A Postridie tamen, non est in vsu postridianus: sed pro eo semper vsurpatur crastinus. Siquis autem nondum peritus fuerit Calendarum, Nonarum & Iduum: sciat primum cuiuslibet mensis diem, dici Calendas. Deinde in Martio, Maio, Iulio & Octobri sequi sex Nonas: in reliquis quatuor. Post Nonas autem, in omnibus octo Idus: post quas qui restant dies, dicuntur Calendæ sequentis mensis. quia dicendo, Pridie Calendarum aut Calēdas, videmur dicere priori die Calendarum, vel die præeunte Calendas. dicendo autem, tertio Calendas: quasi tertio die ante Calendas, sic tamen vt dies Calendarum sit vnus. Et quia subauditur die: ideo in masculino dicimus tertio, quarto, &c. Et quia subauditur ante, aut inter, vtimur accusatiuo: nisi cum Pridie & Postridie, quibus etiam genitiuū damus, aut particulam quàm, saltem per subauditionem. nam quum dicitur in Andria, Venit postridie Chremes: subauditur, huius diei quē dixi, aut quàm hæc facta erant. Congrue tamen dicas, Quicquid quouis die incipio, postridie absoluo. De primo ergo die Martii dicam, Calendis Martiis. de secundo, sexto Nonas Martii. de tertio, quinto Nonas Martii. de quarto, quarto Nonas. de quinto, tertio Nonas. de sexto, non secundo, sed Pridie Nonas. de septimo, Nonis Martii, aut Martiis. De octauo, octauo Idus Martii, aut Martias. de nono, septimo Idus. de decimo, sexto Idus. de vndecimo, quinto Idus. de duodecimo, quarto Idus. de tertiodecimo vel decimotertio, tertio Idus. de decimoquarto, pridie Idus. de decimoquinto, Idibus Martiis. De decimosexto autem, decimoseptimo Calendas, non Martii aut Martias, sed Aprilis. non enim sequūtur Calendæ Martii, sed Aprilis: & quo plures numeramus dies in Mar-

tio,eo pauciores restant Calendæ. vnde de decimoseptimo, dicimus decimosexto Calendas,& sic deinceps.

De Nudiustertius, Nudiusquartus, Pridie, & Postridie. CAP. XXXIII.

NVdiustertius & Nudiusquartus,nec vltra progreditur . sicut biduo,triduo,quatriduo,& binoctio,& trinoctio,quadrinoctio,& non amplius: nisi putamus sine mēda scriptū esse in Philippicis,Nudiustertiusdecimus.Plautus(vt solet)licēter inquit,nudiustertius,quartus,quintus,sextus, septimus, octauus, & adhuc deinceps,vt etiā ad millesimum fuerit processurus. Sed cur quēadmodū habemus biduo & binoctio,non etiā habemus nudiussecundus?nempe quia adest aliud vocabulum, & quidem magis proprium,quod est heri. De die autē qui præcessit hesternum,dicimus nudiustertius, & de superiore adhuc nudiusquartus.scilicet nūc de die tertio,vel quarto. De sequēti Cras,de huic proximo Perendie.Cicero ad Atticum lib.12,Scies igitur cras,ad summum perendie.Vnde dies perēdinus,dies abhinc tertius.Cæsar in Commentariis,Qui si per te liceat,perendino die cū proximis hybernis coniuncti,cōmunem cū reliquis belli casum sustineant.Et comperendinare,differre in longū de die in diē. Pridie & Postridie simillimam obtinent significationem, ei cuius sunt heri & cras. Est enim Pridie,quasi heri,nō tamen præsentis diei. & Postridie,quasi cras,non præsentis diei, sed cuiusdam alterius, aut præteriti aut futuri. Præteriti sic, Pridie quàm intrarē mare, lux serena fulsit.Futuri sic,Pridie quàm intres patriā,sacrificium facito. id est die præcedēti,quo aut mare intrasti,aut patriam intrabis.Item,Postridie quàm pater mortē obiit,epulū feci. Et Postridie quàm vxorē duxero,nauigandū mihi est.Vel cū genitiuo sic,Pridie illius diei,& Postridie illius diei,quo aut hæc feci,vel faciam.Vel sine quàm,& sine diei:sic,Venit ad me Chremes postridie clamitās.supple illius diei quo hæc gesta sunt. Et quū intraui vrbem,audiui hominem pridie recessisse.Dicimus tamē,Quum has literas dabam,erat pridie Calendas Augusti,vel postridie Nonas.& hodie est pridie ludorum Circēsiū.cras erit postridie nundinarum. Refertur enim tale tempus non ad hodiernum crastinúmque diem,sed ad alium quendam, veluti ad eum,quo hæ literæ legentur. Ideóq; errauit qui scripsit sic,Quū eū Romæ domum loquēdi gratia adissem, orauit me,dicens,Postridie ad me redeas. Dicendum erat,cras: aut sic,Postridie vt redirem orauit. Rursus nō recte dixisset sic,Cras vt redirem orauit,sed postridie.

Cras,Perēdie. Dies perendinus. Cōperēdino. Pridie. Postridie.

Atque vt non dicimus nudiussecundus, ita nec secundo Calendas, secũdo Nonas, secundo Idus: sed pridie Calẽdas, pridie Nonas, pridie Idus. Item vt non dicimus nudiusprimus, ita ne primo quidem Calendas, primo Nonas, primo Idus: sed Calendis, Nonis, Idibus. Præterea ex his duobus alterum format ex se denominatiuum, alterum verò minime. Ex pridie, fit pridianus: ex postridie, non fit postridianus, aut in vsu non est. Sed pro eo abutimur crastinus, per quod significatur non modo dies sequens hodiernũ, sed etiam quemlibet alium. Virgilius Georgicorum I,

Sin verò ad solem rapidum lunásque sequenteis
Ordine respicies, nunquam te crastina fallet
Hora, neque insidiis noctis capiere serenæ.

Hesternus. Eodem quoque modo abutimur hesternus pro pridianus. Terentius, Iure hesterno panem atrum vorent. Cicero, Videre videor alios intrantes, alios exeuntes, quosdam ex vino vacillãtes, quosdam hesterna epotatione oscitantes. non de hesterno die loquitur, quia (vt sic dicam) ab illo heri non fuerat factum, quum hæc dicerentur. Vtimur frequentius hoc per abusionem, quàm illo naturali & proprio, quo & ipso frequẽter vtimur. Suetonius in vita Tyberii, Solennibus ipse cœnis pridiana sæpe & semesa obsonia apposuit. Item in vita Caii, Marcente adhuc stomacho pridiani cibi onere. Pridianus. Bartholus cum leguleis suis accipit postridie, pro post tres dies. Vnde cõsequens fuit dicere pridie, pro eo quod est prioribus & proximis diebus. Nam ita vulgo loquuntur, Pridie emi domum: quum dicendum sit nuper. de quo nunc disseramus.

EPITOME.

Dudum, de modico tempore dicitur, horæ videlicet vnius, aut duarum, aut diei, aut mensis, pro conditione materiæ seu actionis. Nuper & Pridem, de longiore, vtpote mensis, aut anni vnius, aut plurium, pro conditione quoq; materiæ. Olim verò, de magno tempore, siue anteacto, siue futuro. sed interdum etiam pro dudum, aut pro aliquando accipitur. Idem quoque tempus importatur per iãdudum, iampridem, iamolim, seu olimiam, quod per simplicia: sed simplicia etiam locum habent, quando significatio verbi est momentanea atque transitoria, neque persistit seu permanet. Composita verò duntaxat tunc, quando est persistens & continuata ad tempus vsque designatum, vt in sequenti capite latius patebit. Exempla omnia latè patent in textu. Sed de ratione ac vsu horum vocabulorum latius explanabimus in sequentis capitis declaratione. Bombarda videtur dicta à bombo, id est sono & ardeo: quia cum ardore fit sonus ille.

De Dudũ, Nuper, & Pridẽ, cõpositísq;. CAP. XXXIIII.

DVdum & Iamdudum, de paruo tempore, vnius horæ, aut semihoræ, aut duarum horarum, aut certe breuissimi temporis. Nuper, siue Pridem, & Iampridem, de lõgiore tem-

pore,decem aut viginti dierum,aut menſis,menſiúmve,& nonnunquam annorum, pro conditione materiæ. Item Dudum & Nuper,ſeu Pridem,de re ſiue actione quæ non inſiſtit,ſed ſtatim tranſit.Iamdudum & Iampridem,de re ſiue actione quæ inſiſtit & immoratur.Illa præteritum vtique poſtulant,hæc frequentius præſens,nonnunquam etiam præteritum.Dudũ intraui,& iamdudum te expecto.id eſt hora,aut ſemihora eſt,vel duæ,vel tres, vel (vt multum) quatuor, ex quo intraui, & ex quo te expecto. Sed ipſa actio intrandi non inſiſtit,ſed ſtatim deſinit. Secus autẽ expectãdi actio.Item,Nuper ex Sicilia redii,& iampridem ex Sicilia abſum,vel iãpridem ex Sicilia redii: id eſt ſuperioribus diebus,menſibúſve ex Sicilia redii : & iam multi dies ſunt, vel aliquot menſes,ex quo abſum ex Sicilia,vel ex quo ex Sicilia redii. hîc continuatio intelligitur temporis,illic minime.Hîc ſignificatur mora,qua in hoc loco immoratus ſum, illic momentum illud applicationis.Cæterum quia dixi Nuper & Iampridem,non modo menſes complecti, verum etiam annos, pro conditione materiæ, tale exemplum ſit, Nuper inuenta eſt machina, quam bombardam vocant.id eſt non multo tempore abhinc.Iampridem bombarda in vſu eſt, hoc eſt iam aliquanto abhinc tempore in vſu eſt . Cicero de diuinatione, Neque ante philoſophiam patefactam,quæ nuper inuenta eſt, hac de re communis vita dubitauit. Idem de amicitia, Neque enim aſſentior his, qui nuper hæc diſſerere cœperunt, cum corporibus ſimul animas interire, atque omnia morte deleri. Quid attinet plura hîc exempla repetere,quum nemo aliter locutus ſit ? Forſan aliquando poetæ , apud quos legimus iamdudum pro continuo,ſed ferè in perſona loquente,& alios vt maturent hortante.vt Virgilius,

Iamdudum ſumite pœnas.

Rarius iampridem, vt fecit Lucanus,

Tollite iampridem victricia tollite ſigna. niſi iampridem victricia dicamus. Quare Boetius videtur male voluiſſe imitari vnum locum M.Tullii in rhetoricis dicentis,Aliquando reſpondẽdum eſt primum his,quæ aduerſarius nuperrime dixerit: quũ in commẽtariis dialecticis inquit, Hoc autem quod nuper diximus : quum dicere debuiſſet vltimo, aut nouiſſime, aut poſtremo,aut proxime. In Saturnalibus quoque Macrobius, Iamdudum, inquit, hæc quæſtio ab Ariſtotele & propoſita eſt & ſoluta : quũ dicere debuiſſet iampridem,aut potius iamolim. Plinius etiam maior(ſi verè ſcriptum eſt)lib.23. ſic inquit, Somno verò, ac ſecuritatibus iamdudũ hoc fuit, quòd illi Helena ante cibum

Cap.1. miniſtrauit.Et iterum libro decimonono,Iamdudum ex eadem Hiſpania Zœlicum venit in Italiam plagis vtiliſſimum. Et Liuius libro viceſimonono,In eo captiuorum numero,fabri qui dudum fuere aſſueti apud Pœnos mercede opus in arce Locrorum facere.Pridem autem & Nuper,idem ſignificant. Eſt autem nuper,non longo tempore à nunc. interdum non longo tempore à tunc.vt Curtius,Qui nuper ab Alexandro miſſi erant.Titus Liuius,Tunc hæc ipſa indignitas agebat animos,non in retinendis modo publicis agris,quos vt teneret,pertinacem nobilitatem habere, ſed ne vacuum quidem agrum nuper ex hoſtibus captum plebi diuidere. Cicero de Oratore libro ſecundo, Quàm multa de balneis,quas nuper ille vendiderat.Pridem verò rarum eſt.Plinius libro ſeptimo naturalis hiſtoriæ, Ipſi verò pridem vidimus eadem fermè omnia præter pubertatem in filio Cornelii Taciti equitis Romani. Paulus iureconſultus, Et nõ eſt mirum ſi peculium quoq; defuncti pridem filii defertur patri. Vlpianus, Tenetur eum ordinem tenere quem pridem habuit. Modeſtinus,A literis pridem ſibi editis. Sæpius cum negatione, & cum quàm,&
Cap.29. cum ita. Plinius libro decimoquinto, Malorum plura ſunt genera.De Citreis cum ſua arbore diximus. Medica autem Græci vocant patriæ nomine. AEquè peregrina ſunt Zizipha & Tuberes, quæ & ipſa nõ pridem venere in Italiam. Cicero pro Roſcio Comœdo , Quampridem nomen Fanni in aduerſaria retuliſti? Idem in Bruto,Fuit enim regnante iam Græcia,noſtra autem ciuitate non ita pridẽ dominatu regio liberata. Papinianus, Idem in vectigalibus non ita pridem conſtitutum eſt, vt ſui temporis ſinguli periculum præſtarent.Idem intelligitur in dudum,quod in pridem. vt,Quamdudum hîc ſedes? reſpondebis, non ita dudum,vel iamdudum.

EPITOME.

Olim , de magno tempore tam præterito quàm futuro dicitur , niſi accipiatur pro aliquando aut dudum. Similiter & olimiam,ſeu iamolim,quod perſiſtentiam aut permanentiam ſignificari per verbum exigit. Diu verò, nihil aliud ſignificat, niſi per longum tempus.vnde dicam,Diu nauigaui:non tamen,diu receſſi.quia licet longum tempus tranſactum eſt ex quo receſſi,non tamen per longum tempus durauit receſſio mea.Exigunt ergo diu,& iamdiu,& tandiu non momentaneã,ſed perſiſtentẽ actionẽ,eámq; diuturnã.Vnde interrogabimus potius ſic, Quãdudum aut quãpridẽ veniſti?quàm,quamdiu.& reſpõdebimus,nõ ita diu,ſed nuper,aut dudum,aut nõ ita dudũ. Et quamdudũ hîc ſedes? & reſpõdebimus,iãdudũ,aut dudũ: aut ſi verũ eſt,diu:quia ſeſſio perſiſtit. Nuper, de quo, Plauto fit adiectiuũ nuperus,videtur quaſi nunc parũ eſt tẽporis: quia per,ſyllabica adiectio,ſonat per tẽpus, vt pauliſper,parumper,tantiſper,aliquantiſper,perpaulum,aut parũ,aut tantũ,aut aliquantũ tẽporis.Eſtq; vſitatius quampridẽ in poſitiuo, cũ prius & primũ,ſeu primo,vſitatiora ſint quàm nuperius & nuperrime,ſed ferè in alio ſẽſu.Vt verò vno

exemplo rem patefaciam,quæram,Quamdudum intrasti nauem? & respondebis, dudum , aut non ita dudum,aut sane dudum. Aut,Quamdudũ fuisti in naui?& dices,iãdudum:quia adhuc es.nã iãdudum,idem est quod quasi iã à dudum.Iampridem,quasi iam à pridem. Ita olimiam,iam ab olim,si ita dicere liceat. Recte autem quæro & respõdeo per dudũ:quia parũ tẽporis videtur ex quo aut intrasti aut fuisti in naui.At in ciuitatẽ si plusculos mẽses venisti,dicam,Quampridem ingressus es ciuitatem?& respõdebis,pridem,aut ita pridẽ,aut tres menses.Itẽ,Quampridẽ studes istic? & dices,iampridem.aut si parum,iamdudum dũtaxat.& ita in cõsimilibus.

De Olim,& Diu,eorúmq; compositis. CAP. XXXV.

OLim & Iamolim,siue olimiam,Diu & Iamdiu, & Tandiu habent aliquid cum superioribus affinitatis.Quorum primum apud Ciceronem rarissimum , apud Quintilianum frequens, qui libro octauo sic ait , Sed in foro tamen illam iam facilitatem olim desyderamus.id est iãolim . Et alibi, Olimiam imperator inter fulgenteis virtutes tuas liuor locum quærit.hoc est iamolim,quod est iam à longo tẽpore.Olim pro futuro non apud poetas tantum . vt Virgilius,

Hunc tu olim cælo spoliis orientis onustum
Accipies.

sed apud oratores quoque,vt idem Quintilianus, Sũt clari quoque hodie eiusdem operis authores, qui olim nominabuntur. Poetæ etiam pro aliquando, vt idem Virgilius,

Ac olim seras posuit quum vinea frondes.

Nonnunquam etiam pro iamdudum accipitur, vt Curtius lib. octauo, Olim enimuero mero sensibus vinctis, ex lecto repentè consurgit. Diu verò nihil aliud significat,nisi per longum tempus:Diu nauigaui,diu equitaui:non autem,diu recessi,aut diu equum ascendi. Sed nuper recessi,aut dudum : & dudum equum ascendi. Quidam tamen sic loquuntur, Iamdiu est quòd recessi: vtentes aduerbio pro nomine.Eadẽ ratio est in Iamdiu & Tamdiu.Ideóque cauendum est,ne verba quæ momentaneam actionem significant,his aduerbiis applices,quale est, Iamdiu publicaui opus,iamdiu duxi vxorem:sed iampridem. licet recte dicatur,Iamdiu est opus publicatum,& iamdiu vxor mihi ducta est. non aliter quàm si dicatur,Opus iamdiu est publicatum, adhuc tamen elimare non desino:& vxor mihi iamdiu ducta,adhuc tamen virgo est.Significatur enim hîc continuatio temporis,quo opus quidem publicatũ est , vxor verò ducta manet ac perseuerat:quod in illo superiore non fit. Ideóque tuba dudũ,aut iamdudũ sonuit:non iamdiu sonuit.Iamdiu mortuus est:non iamdiu animam emisit, sed dudum,& idem in cæteris.

Diu.

Iamdiu.

Tamdiu.

EPITOME.

Velut & veluti,quasi,tanquam,ceu,& interdũ vti, imaginẽ ac trãsformationem

innuunt:sed sicut,sicuti,& interdũ vt & vti, similitudinem: verum interdum confunduntur. Quasi autem,& quasi verò,proprium habent modum. Vnde per illa superiora fit metaphora: per hæc,tantum comparatio, vt litera apertè declarat. Nam in superioribus ferè subauditur verbum sum es est,aut idem verbum alterius modi:in reliquis,idem verbum in eodem modo vult repeti. vt Sæuis tãquam rex, supple esses. sæuis vt,sicut,aut sicuti rex,supple sæuit.& ita in aliis.Sæuis velut rex, supple esses aut sæuiret.quo modo exponi volũt illa superiora,interueniẽte præpositione.vt,Confugio ad te tanquam ad patrem, subaudi confugerem.

De Velut,Sicut,Quasi,Tanquam, & similibus. CAP. XXXVI.

VElut & Veluti & Vti, tria hæc similiora sunt in significatione illis tribus,Quasi,Tãquam,Ceu, quàm aliis tribus, Sicut,Sicuti,Vt. Ea enim sex superiora imaginem innuũt:
Vt. hæc tria posteriora similitudinem:quanquam vt,potest videri ge
Vti. nerale,& commune cum omnibus,necnon Vti,cuius propriè significatio est,quæ vt. Tu irasceris tãquam leo,quasi canis,velut vrsus,est metaphora.Tu irasceris sicut,vel sicuti leo,comparatio est. Ibi enim dico te leonem. hîc autẽ leoni similem. quod hinc probatur, quòd illud resoluitur per verbum substantiuum, hoc per idem verbum.Tu irasceris tanquam leo,id est tanquam leo esses. Irasceris sicut leo,id est sicut leo irascitur. Atqui quomodo hoc ipsum probatur,quòd ita hæ orationes resoluantur potius, quàm econtrario?Nempe quòd cum huiusmodi verbis coniunctas inuenimus.vt,Tu incedis velut esses rex,non autem sicut esses rex.Rursus,Tu incedis sicut incedit rex, non autem velut incedit rex:ita in similibus.Ego sentio sicut Plato,supple sentit,nõ sicut Plato essem.Ego dico sicut antea,supple dixi, non sicut antea fui. Possunt tamẽ illa quæ dixi,resolui per idem verbum, sed non in indicatiuo. vt,Tu incedis,velut incederet rex. Adeò illa quæ habent præpositionem,vix aliter resolui possunt.Ego venio ad te tanquam ad Deum:non est dicendum, tanquam Deus esses, sed tanquam ad Deum accederem. Denique hæc subiunctiuum postulant, illa indicatiuum. Seruius pro sicut posuit velut vndecimo AEneidos,Nam diadema velut aliarum Italarũ gentium reges non habebant. Si velim afferre exempla viuentium, plura possem ineleganter dicta, sed vnum interim afferam, qui ita è Græco interpretatur,Nam veluti iustum est in eos animaduertere, qui aliquid perperam patrarũt: ita his qui nos beneficio fouerunt,referre gratiam decet.veluti,pro sicuti posuit.sed deceptus est,quia Græci ista non distinguunt. Aliquando ne nos quidem distinguimus,vtique quum quædam enumerantur, postea aliquid exempli subiũgimus,vt apud Ciceronem Officiorum 1,

Tamen ex singulis certa officiorum genera nascuntur, velut ex ea parte quæ prima descripta est. Idem de natura deorũ, Aut quid tam temerarium, támque indignum sapientis grauitate atq; constãtia, quàm aut falsum sentire, aut quod nõ satis exploratè perceptum sit & cognitum, sine vlla dubitatione defendere? velut in hac quæstione. Plinius naturalis historiæ lib. 2, Præter hæc inferiore cælo relatum in monumenta est, lacte sanguineq; pluisse, M. Attilio, C. Portio cõsulibus. Et sæpe aliàs carne, sicut L. Volumnio, Seruio Sulpitio consulibus. Ex eáque non perputruisse, quod nõ diripuissent aues. Et iterum, Quidam verò amnes odio maris ipsa subeũt vada, sicut Arethusa fons Syracusanus, in quo redduntur iacta in Alpheum, qui per Olympiã fluens, Peloponnesiaco litori infunditur. In hoc igitur solo modo loquẽdi, velut cũ sicut similitudinẽ habet: cũ reliquis illis quæ iam enumeraui, dissimilitudinem, quæ nequaquã licet ponere in tali genere sermonis. Significant enim imaginem, id est nõ ipsam planè veritatem: aliquando tamen propè ipsam quoque veritatem, tum affirmando, tum verò negando. vt, Pater tu non amas me quasi filium: imo te fili, amo quasi filium. Ego non amplector illum veluti filium, licet mihi filius sit. Ille diligit me tanquam filium, licet nõ attineam. hic plane imago est. Habet autem quasi quiddam proprium, quale est, Obiicis mihi quòd vxorem repudiauerim, quasi tu idem non feceris, vel quasi verò. Quæ exempla nusquam non plurima sunt. Vti etiã accipi solet provt, & hæc duo pro quòd. Virgilius,

Cap. 56. Cap. 103. Vti.

Nanque videbat vti bellantes Pergama circum,
Hac fugerent Graii.

Quintilianus, Neque ego grauissimum patrem suprema sua iuueni iactasse crediderim, vt hæredem filium scriberet. Ceu magis est poetarum, sed quo multi & præsertim Plinius, vtũtur. Quidam *indocte his tẽporibus vtitur pro sicut.

Ceu. *doctus

EPITOME.

Non & sed, sequente vtrunque quòd aut quia, aut alterum quòd, alterum quia, locũ habent in circunstantia causæ efficientis, quam quòd pro quia, & ipsum quia connotant, sicut vt & quo, causæ finalis. Exempla sunt in textu manifesta.

De Non quia, & Non quòd, de Quo, & Vt quia, & Vt quòd. CAP. XXXVII.

Non quia negem hoc bene esse cõpositũ, sed quia legẽ hãc esse cõponẽdi in omnibus principiis recusem. Iterũ idem Quintil. Et febrẽ quiete & abstinẽtia, nõ quia rationẽ videbat, sed quia valetudo ipsa coegerat, mitigauit. Iterũ, Quod ego nõ idcirco potissimum in hac parte tractare sum aggressus, quia nõ in cæteris quoq; doctoribus idẽ hoc examinãdũ, quam diligẽ- Lib. 1. cap. 2.

tiſſime putem, ſed quòd magis eius rei neceſſariam mentionem facit ætas ipſa diſcentium. Iterum, Nō quia prodeſſe vnquam ſatis ſit, ſed quia hoc proſpicere debet, nequid peius, quàm fecerit faciat. Ex his exemplis videre licet, nunc bis quia repeti, nūc vnū quia eſſe, & vnum quòd. Et vbi eſt quia, ibi ſemel, bíſve poſſe eſſe quòd. Præterea in ſecundo membro nunc ſubiunctiuū eſſe, nūc indicatiuum, nunquam tamen idē repeti verbū: præſertim modo verbi mutato, vt fecit quidam, qui ait, Non quia amicus non eſſes, ſed quòd ita amicus eras. Quum dicere debuiſſet, Non quia non amicus, ſed quia, vel ſed quòd ita amicus eſſes. In quo illud obſeruatione dignū, de cauſa efficiēte dicēdū eſſe Quia & Quòd: de finali, Quo vel Vt. de duobus prioribus exēpla inſpeximus, de poſterioribus, Cic. in Philip. Non vt proficerem aliquid, ſiue non quo proficerem aliquid. Quidā ignari huius differentiæ, ſcribūt non rarò quo pro quòd, vt apud eundem & eodem in loco, Primum igitur acta Cæſaris ſeruanda cenſeo, nō quo probē: quum ſcribēdum ſit quòd, pro eo quod eſt quia. Quid ſigni?certè quòd in altero membro eſt quia, quum dicit, Sed quia rationē habendam cenſeo pacis atq; otii. Et nemini dubiū eſt, quòd, reſolui per quia: & quo, per vt. Et hoc in loco à Cicerone ſignificari cauſam efficientem, cui competunt quòd & quia: non finalē, cui competunt quo & vt. Quod liquide probatur, quum in eadem ſententia de vtraque cauſa fit mentio. Quale eſt, Non caſtigo te, quòd odio habeam, ſed quo meliorem efficiam. In primo mēbro eſt cauſa efficiens, in ſecundo cauſa finalis. Mutemus iterum cauſas ſic, Caſtigo te, non quòd odio habeam, ſed quòd amem. Rurſus, Non caſtigo te, quo voluptatem ex contumelia tua cōtraham, ſed quo meliorem reddam. Vbi eſt quòd, illic poſſe poni quia: & vbi quo, illic vt, vel duplex, vel ſimplex, iam dictum eſt.

Quia & quòd
Quo & Vt.

EPITOME.

Facio & Cōmitto, cum particula vt, interdū ſignificāt aliquid fieri propter aliud, interdum idipſum quod fit. Vt, Coactus feci vt viduam ducerem. Non committam vt viduam ducam. vbi id ipſum quod fit, ſignificant. Mercatum feci vt diues fiam. Commiſi facinus atrox, vt timori ſim. vbi aliud propter aliud fit.

De Facio vt, & Committo vt. CAP. XXXVIII.

Cic. de Seneƈt.

INuitus feci, vt C. Flaminiū de Senatu eiicerē. Et alibi idem Cicero, Faciēdum puto, vt paucis rationē noſtri cōſilii demus. Et Quintil. Quòd ſi nemo miratur poetas maximos ſæpe feciſſe, vt initiis operum ſuorū muſas inuocarent. Diſcrimē habet hic loquendi modus ab altero. Alibi nanque fit aliud propter aliud, vt quum quis inuigilat diligentius faciendæ mercaturæ, cur id faciat interrogatus, vt liberi mei honeſtius viuāt, reſpōdebit. Aliud eſt ergo quod ipſe facit, aliud propter quod hoc ip-

In procemio lib. 4.

ſum facit. Non ita in exemplis à me modo recitatis. Quid Cato fecit, vt Flaminium eiiceret de Senatu? nempe idipſum quod fecit. Quid faciunt poetæ, vt muſas inuocent? nempe nil aliud, niſi quòd muſas inuocāt. Idem eſt igitur in genere huiuſmodi principium & finis, ſiue opera & effectus. Idem fecit Cicero quodam in loco, in verbo cōmitto, Qui ſecūdū naturā viuere volet, nunquā cōmittet vt alienū appetat, & quod alteri detraxerit, ſibi aſſumat. Idem eſt hoc ac ſi dixiſſet, Qui ſecundū naturā viuere volet, nunquam alienum appetet. vt in ſuperioribus, Inuitus C. Flaminium de Senatu eieci. &, Paucis ratio noſtri cōſilii eſt reddenda. & ita in cæteris. Lib.3.Off.

EPITOME.

Similiter Quòd & Quum, verbis appoſita, interdum nō aliud, ſed idipſum quod fit, fieri dicunt: vt ſit idem in quo & propter quod. Tunc autē particulæ illæ cum adiunctis, ſuppoſitum præmiſſi verbi videntur. vt, Auget dolorē, quòd apertè dolere non poſſum. Auget dolorem, cum recordor me aperte dolere non poſſe.

De Quòd & Quum. CAP. XXXIX.

QVòd & Quū, quiddā peculiare in oratione exhibēt, vt in Bruto Cic. Augebat etiā moleſtiā, quòd magna ſapientū, ciuiúmq; bonorū penuria iā in ciuitate eſſet. Idē ad Sulpitiū, Quo in periculo nōnihil me cōſolatur, quū recordor hæc me tum vidiſſe. Quid eſt quod augeat Ciceroni moleſtiam? aut quid eum conſolatur? vel quòd magna penuria ſapientum eſſet, vel quū recordaretur ſuæ prouidentiæ? Nēpe hoc ipſum, quòd magna penuria ſapiētum eſſet, & quòd illud ſuū conſiliū recordaretur. Idē eſt igitur id in quo moleſtiam conſolationémve capit, & propter quod ipſam moleſtiam ac conſolationem capit.

EPITOME.

Particula quòd, verbo adiecta, facit ſæpe verbū ſignificans pro ſignificato accipi, per vt ſequēs reſolubile. Quæ res, exēplo facilius, quàm ratione declarabitur. verbi gratia, Nō etiā hoc cōtēnitis, quòd ſenſiſtis tā charā populo Rom. Auli Hirtii vitā fuiſſe? reſoluitur ſic, Quòd (vt ſenſiſtis) vita Hirtii tam chara populo Rom. fuit.

Sub tamen poſtpoſito, ſæpe intelligitur particula quanuis. conſtructio autē tunc incipienda eſt à verbo, reiecto tamen & poſito quanuis. Vt, Et inuito ſolo nonnihil tamen fœcunditatis expreſſi. id eſt & quáuis inuito ſolo, tamen nōnihil &c. & cōſtruitur ſic, Expreſſi nōnihil fœcunditatis, quanuis inuito ſolo. & ita in ſimilibus.

Qua de cauſa, Vt, Tamen, & ſimilia abiiciuntur quandoque ab oratione. CAP. XL.

SAEpe admirari ſoleo, quòd nūquam tibi grauē ſenectutem eſſe ſenſerim. Quid miraris Scipio, te non ſenſiſſe, quod ſentire non poſſes? Quippe quod nunquam fuit. Miraris quòd nunquam ſenſeris me fuiſſe luſcum, qui nunquam fui. Mirandum potius foret, ſi ſenſiſſes me luſcum, aut grauiter tolerantem ſenectutem. Verum ſic locutus eſt Scipio cum Catone, quaſi diceret, Miror ſenectutem tibi, vt ſentio, non eſſe grauem.

Lib.1.Off.de magnanimitate.

Et alibi idem Cicero, Declarat autem ſtudium bellicæ gloriæ, quòd ſtatuas quoque videmus ornatu ferè militari.non quòd videmus,ſed vt videmus,quòd ſunt ſtatuæ ornatu ferè militari,declaratur ſtudium bellicæ gloriæ.

In Lælio.

Et alibi,Nō tam me iſta fama delectat,falſa præſertim, quàm quòd ſpero amicitiæ noſtræ memoriam ſempiternam fore.pro eo quod eſt,quàm quòd amicitia noſtra(vt ſpero)ſempiterna erit. Et alibi, Num etiam cōtemnitis,quòd ſenſiſtis tam charam populo Romano Auli Hirtii vitam fuiſſe?pro eo quod eſt,quòd,vt ſenſiſtis,tam chara vita Hirtii populo Romano fuit. Et alibi,Et eò ſtudioſius hoc negotium ſuſcepimus,quòd te non ſine cauſa velle cognoſcere rhetoricam intelligamus.pro eo quod eſt,vt intelligo,non ſine cauſa vis cognoſcere rhetoricam.

Cap.18.

Quintilianus in ſecundo, Sicut Polycratem quum Buſirim laudaret,& Clytemneſtram, quanquam is, quod his diſſimile nō eſt,compoſuiſſe orationem,quæ eſt habita contra Socratem,dicitur.Non eſt hoc,quod compoſuiſſe dicitur orationem contra Socratem, ſimile illi, quòd laudauit Buſirim & Clytemneſtram, ſed hoc ipſum,quòd compoſuit orationem, vt dicitur.Et alibi,Nanque dum fortius opus permiſit ætas,terrā manibus ſubegi,& difficultatem labore perdomui, & inuito ſolo nōnihil tamen fœcunditatis expreſſi. Subintellige quãuis:ſic,

Tamen. Quanuis. In Apibus pauperis.

Quanuis ſolū eſſet inuitū, tamen nonnihil expreſſi fœcūditatis. Et alibi,Et in his priſtinæ fortunæ reliquiis miſeris & afflictis,tamen haberet quoſdam quorum animos ne ſupplicio quidē ſuo ſatiare poſſet. id eſt,quãuis reliquiæ priſtinæ fortunæ miſeræ ſint & afflictæ, tamen haberet quoſdam, & cætera. Illud hoc loco non omittamus,quærentes vbi eſt quanuis,licet,etſi,quanquam, ſimiliáque,& tamen,vnde incipienda ſit conſtrui oratio. Vtrinque prohiberis.Sed nimirum à verbo cui adhærebat tamen,ipſo tamen excuſſo. quod idcirco in ligatura & quaſi iunctura orationis inſertum eſt,quia oratio vnde non debuerat,inceperat.Vt, Etſi vereor Iudices, & cætera. Quòd ſi à principali verbo cœpiſſet,ſuperuacuum fuiſſet inſerere tamen. Nunc igitur quum rectè inchoatur,illam dictionem vt ſuperfluam, quaſi functā officio ſuo,debemus abiicere.

EPITOME.

Duntaxat,commercium huiuſmodi clauſulæ,ſed etiam,verum etiam, ſed quoque,ſed &,non poſtulat : quia ferè affirmatiue ponitur, ſicut ſolummodo & tantum cum negatione.ſed interdum pro illis,aut vt illa,poſitum reperitur. Significatio enim videtur eadem,vnde dicetur differentia in vtendo. Nam ſemel duntaxat beneficium accepi,vſitatum eſt.Non ſolum ſemel,ſed térque,quatérque retuli, etiam vſitatum.Non ſemel duntaxat,ſed &c.inuſitatius eſt.

De Duntaxat. CAP. XLI.

DVntaxat, licet idem significet quòd solum, tamen ferè solet aliter in orationis serie disponi, nec recipere post se illud, sed etiam, vt solum, vt tantum, vt modo faciunt. Cicero pro Deiotaro, Quod ipsum etsi non iniquum est in tuo duntaxat periculo. Et de Oratore, Ita loquamur, vt ei tradamus ea duntaxat, quæ nos vsus docuit. Quintilianus in vndecimo, Ergo quum iudex in privatis, aut præco publicis dicere de causa iusserit, leniter consurgendum tum in componenda toga, vel (si necesse erit) etiam ex integro iniicienda, duntaxat in iudiciis (apud principem enim & magistratus ac tribunalia non licebit) paululum est commorandum: vt & amictus sit decentior, & protinus aliquid spatii ad cogitandum. Paulo post, Narratio magis prolatam manum, amictum recidentem, gestum distinctum, vocem sermoni proximam, * & tamen acriorem, sonum simplicem frequentissime postulabit, in his duntaxat, qualia hæc sunt. Caius tamen & Paulus præter morem hac dictione sunt vsi. Alter enim ait sic, Fabros lignarios dicimus, non eos duntaxat qui ligna dolant, sed omnes qui ædificant. Alter sic, Quum tutor nō rebus duntaxat, sed etiam moribus præponatur, in primis mercedes præceptoribus, non quas minimas poterit, sed pro facultate patrimonii, pro facultate natalium constituet. Semel quoque Titus Liuius libro quadragesimosexto, Nec animum vobis duntaxat fidelem ac bonum præstitit, sed omnibus interfuit bellis quæ gessistis.

Cap. 3.

* ac tantum apertiorem,

EPITOME.

Quandoquidem & Quando, accepta pro quoniam reperiuntur frequenter: alterum apud Ciceronem & Virgilium: alterum apud Quintilianum, apud quē, & coæuos eius, etiam quatenus (aut potius quatinus) in eodem significato reperitur, quum apud Ciceronem significet inquantum. Exempla patent in litera. Adieci, Aut potius quatinus, propter hanc Mancinelli limam, Aliud est quatenus per e, aliud quatinus per i. Vnde Caper grāmaticus ita scribit, Quatenus per e, aduerbium est: quatinus per i, coniunctio caussalis. vt si dicas, Quatinus hoc fine plagis non facies, En tibi plagas. Quatenus autem aduerbium est temporis aut loci. temporis quum dicis, Quatenus istos mores exercebis? loci, quum dicimus, Quatenus ibimus? &c. Festus quoque sic, Quatenus, significat qua fine, sicut hactenus hac fine. Quatinus verò, quoniam &c. Itaque legendum est illud Quintiliani, Sed quatinus luctus nostri in ius vocantur. Sic quoque Plinii illud, Et quatinus negatur nobis. Illud item Horatii, Quatinus ima petit voluens aliena vitellus.
Quatinus inquam per i. Vnde Iuuenalis satyra duodecima inquit,
Quatinus hic non sunt nec venales elephanti. Hæc ille. Quæ vera opinor. Nam compositum est à qua & tenus: vt sit vsque ad quam rem, hoc est locum aut tempus: sicut hactenus ad hunc vsque locum, vel ad hoc vsque tempus.

Mancinellus.

De Quandoquidē, Quando, & Quatenus. CAP. XLII.

QVandoquidem & Quando idem significāt, & significant quoniam. Cicero & Virgilius frequentius superiore vtuntur, Quintilianus posteriore. Cicero igitur de Oratore, Quæ sunt in hominum vita, quandoquidem in ea versatur orator, atque ea est ei subiecta materia, omnia quæsita, audita, lecta, disputata, tractata, cognita esse debent. Virgilius,

10. AEneid. Quandoquidē Ausonios coniungi fœdere Teucris. Sine quidē.

1. AEneid. Hic tibi (fabor enim) quando hæc te cura remordet.

Mirórque cur Priscianus illud Virgilianum Quando pro Aliquando exposuerit: quod accipiendum est pro quoniam,

2. AEneid. -his se, quando vltima cernunt,

Extrema iam in morte parant defendere telis.

Lib. 12. cap. 2. Quintilianus, Quando igitur orator est vir bonus (is autem citra virtutem intelligi non potest. Virtus etiam si quosdam impetus ex natura sumit, tamen perficienda doctrina est) mores ante omnia oratori studiis erunt excolendi. Eiusdem significati est quatinus apud sæculum duntaxat Quintiliani. Is ita ait, Sed quatinus luctus nostri in ius vocantur, & flenti disputandum est, & orbitati suæ mater irascitur, superemus quam exorare nō possumus. Et eius discipulus Plinius Iunior, Et quatinus negatur nobis diu viuere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur. Nam Cicero dixit quatenus solummodo pro inquantum, sicut eatenus pro intantum. Vt in Lælio, Videndum est quatenus amicitiæ tribuendum est. Sæculum autem Quintiliani à Liuio, Virgilio, Horatio exordior, quorum vltimus in Sermonibus sic ait,

In corpore proiecto.

Surrentina vafer, qui miscet fæce falerna
Vina, columbino limum bene colligit ouo,
Quatinus ima petit voluens aliena vitellus.

EPITOME.

Igitur & ergo, breuioribus adhibentur conclusionibus: Quare, quãobrē, quapropter, maioribus: nisi ita dicamus, Nescio quare sic loqueris, Intelligo quãobrē sic facias. Igitur quoq; sæpe ad significandam coniũctionem partium orationis adhiberi solet: sicut nõnunquã licet, rarius ergo. Ponitur etiam ergò, cum accentu in vltima, pro causa, cum genitiuo. vt AEneid. 6, Illius ergò. Apta est etiam indignationi particula: vt apud Augustum,

Ergóne supremis potuit vox improba verbis,
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes? &c.

De Igitur, Ergo, Quare, Quãobrē, Quapropter. CAP. XLIII.

IGitur atq; Ergo breuioribus adhibētur cõclusionibus: Quare, Quãobrem, Quapropter, maioribus: nisi ita dicas, Nescio quare sic loquaris, Intelligo quãobrē sic facias. Illud autē primũ quod protuli, sæpe ad significãdã cõiunctionē partiũ oratio-

nis adhiberi solet,& ferè post aliquã rẽ interiectam, quasi in hũc sensum: vt autẽ cõtinuẽ,aut vt pergã ad sequẽtia.Ac ne sim longus in exẽplo, vt necesse foret, afferã breue ex Poeta sumptum,

Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum,
Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere versibus ambo Cœpere.

Ergo etsi rarius, tamen nonnunquam & hoc modo vsurpatur.

EPITOME.

Adeò,interdum accipitur pro valde,sed frequentius pro intantum,sicut vsqueadeo & vsque eò(pro quibus nonnulli tantum vsurpant)idque aut sequente vt,aut sine eo,& interdum cum solo verbo. Omnia in litera exemplis constant. quocirca superuacaneum videri potest his breuibus capitibus epitomen præposuisse : nõnihil tamen iuuerit si aut breuius aut lucidius idem dicat.

De Adeò, Vsqueadeo, Vsque eò, & Tantum. CAP. XLIIII.

ADeò exponunt pro valde:vt Terentius,Iuuenem adeò nobilem.Significat etiam intantum,nonnunquam sequente vt,nonnunquam non sequẽte, vt apud Quintilianum, Cuncta(si videtur)iura percurrite,nusquam adeò pro nobis solicita lex est,vt quod præstat,extorqueat:dedit cæco talionis actionem,non manus recusantis impellit: iniuriarũ,cædis agere permisit,sed nõ cogit inuitos. adeò penè leuius est vltionem perire, quàm potestatẽ. Genus seruitutis,est coacta libertas.Hic eadem sententia fuerit si dixero,adeò vt penè leuius sit vltionem perire, quàm potestatem.Nam sæpe hoc modo legimus adeò positum cum vno verbo,non cum duobus : quale fuerat exemplum superius:vt apud eundem , At quum protinus respondendum est, omnia parari non possunt,adeò vt paulo minus promptis etiam noceat scripsisse,si alia ex diuerso, quàm opinati fuerint, occurrerint.Licuisset hoc etiam sic dicere,Adeò paulominus promptis etiam nocet scripsisse.Idem efficit Vsqueadeo & Vsque eò,vt apud eundem,Hinc tumor, & vana de se persuasio vsqueadeo, vt illo discipulorum tumultu inflati,si parum à præceptore laudentur, ipsi de illo male sentiant. Sine vt,& per indicatiuum apud Ciceronem, Ne siquando ei dicẽdum erit de iustitia, de fide,mutuetur à Platone,qui quum hæc exprimenda verbis arbitraretur,nouam quandam finxit in libris ciuitatem, vsque eò illa quæ de iustitia dicenda putabat,à vitæ consuetudine,& à ciuitatum moribus abhorrebant. Multi ad hunc ipsum modum vsurpant tantum.

Vsqueadeo. Vsque eò.

EPITOME.

Quin,trifariã accipitur. Primo pro quinetiã,siue atq; etiã,idque ferè cũ indicatiuo.Secundo pro vt non,vel qui nõ,seu quo min⁹:& id cũ subiũctiuo. Tertio pro

cur non:id autem interrogatiue & cum indicatiuo. Videtur enim quin,composi tum à qui & ne.seu non. Qui autem, pro quare, aut quomodo, accipi solet:vt, Qui fit Mecœnas. hinc per compositionem dicetur alioqui, quod est alioquouis, hoc est quomodocunque aliter, aut alia quauis re, pro quo vulgo alioquin scribunt.

De Quin & Quinetiam. CAP. XLV.

QVin pro Quinetiam, siue atque etiam. Virgilius,
1. AEneid. -quin aspera Iuno,
Quæ mare nunc terrásque metu, cælúmque fatigat,
Consilia in melius referet.

Quin pro vt non, vbi desyderatur vtique subiűctiuum verbum, idémque non principale, vt idem libro tertio AEneid.

Hic tibi ne qua moræ fuerint dispendia tanti,
Quin adeas vatem, precibúsque oracula poscas.

Quin pro cur non, semper interrogatiue, & per indicatiuū. Idē,

Quin tu aliquid saltem potius quorum indiget vsus,
Viminibus mollíque paras detexere iunco?

Nescio quid viderit Seruius, qui hunc locum exposuit per quinetiam. Sed duo priores sensus vulgo sunt noti, in carmine & in prosa, frequentes & obuii. De tertio afferam ex oratoribus quoque exemplum. Cicero pro Rabirio, Quin compescitis istam vocem indicem stultitiæ, testem prauitatis? Quintilianus in paupere amatore, Quin tu potius admittis iuuenis consilii rationem.

EPITOME.

Secundum, accipitur pro iuxta, & pro post, aut simul pro vtroq;. interdum etiam quasi pro significat, interdum in. sæpe autem in vulgari significato, quod est quasi, sequendo authoritatem aut opinionem. Secundum enim, à sequendo dictum volunt. quod autem sequitur, solet iuxta esse, & post: solet item prodesse, vnde secundus ventus, & secundū flumen nauibus prodest. quocirca accipitur, vt sit quasi pro. Dicendo autem secundum Platonem, est quasi sequendo authoritatem aut opinionem Platonis. Secundum aurem, non est tantum iuxta aurem, sed iuxta: sic tamen vt à posteriore parte, vnde addidi, aut simul pro vtroque.

De Secundum præpositione. CAP. XLVI.

SEcundum, nonnunquam pro iuxta & post. Virgilius,
Dulcibus illa quidem illecebris aut plena secundum
Flumina. Quintilianus in pariete palmato, Tu iaces secundum occasionem, & expeditum tibi in proximo facinus est. Sulpitius, M. Marcellū post cœnæ tēpus à Magio Chilone familiari eius pugione percussum esse, & duo vulnera accepisse, vnū in stomacho, alterum in capite secundum aurem. Hîc iuxta significat. Itē quod ab altero secūdū est, id iuxta est, atq; post. Ideóq; secundum pro post accipitur, quasi secundo loco. Idē Quintilianus in gladiatore, Nam quod vnum mihi secundū patrem fortuna videbatur parasse præsidiū, id ego sperare in illa sorte nō poteram.

Epist. famil. lib. 4.

Cicero, Proxime autem & secũdum deos,homines hominibus maxime vtiles esse possunt. Idem, Appellat hæredem L. Anniũ, qui erat institutus secundum filiam. Liuius libro nono, Hetrusci belli fama exorta est. nec erat ea tẽpestate gens alia, cuius secundum Gallicos tumultus arma terribiliora essent. Secũdum etiã accipitur pro eo quod est pro. vt, Secundum te litem do, secundum me iudica, secundum se iudicium des vult. id est pro me, pro te, pro se. Et pro in: vt, Secundum quietem, id est in quiete somni. Secundum autem Platonem, secundũ Pythagoram, sensus hic notissimus est. Offic.2. In Verrem, act.3.

EPITOME.

Iam, eleganter ponitur quasi pro & tunc. Aliquando autem est quasi nodus quidam inter sententias, idque aut solum, aut cum vero. Iamiam de futuro, notam habet significationem, videlicet nunc, id est proxime, aut statim. interdum figurate per indignationem aut miserationẽ sumitur, quasi sit præcipue iam, vt exempla literæ docent.

De Iam, & Iamiam. CAP. XLVII.

IAm eleganter vsurpari solet, aliquando quasi pro tunc: vt Cicero, Ipsa verba compone, & quasi coagmenta (quod ne Græci quidem factitarunt) iam neminẽ antepones Catoni. Quintilianus, Quòd si satis prudẽter ea viderint, iam propè cõsummata fuerint præcipientis opera. Aliquando significat præterea, quasi nodus quidam inter sententias. vt Virgilius,

Iam maris immensi prolem & genus omne natantum,
Iam varias pelagi volucres.

Huiusmodi exempla sunt crebra. Idẽ efficiet iunctum cum vero. iam vero vrbibus constitutis, &c. Iam vero. Iamiam de futuro palàm est quid significet, vt Iamiã aderit. Et de præsenti, licet ad futurũ resoluatur, Iamiámque manu tenet, & premit hasta. quasi nuncnunc tenebit. Iamiam. 2. AEneid. Nonnunquam figurate per indignationẽ, miserationémve accipitur: vt idem Virgilius, 4. AEneid.

-iamiam nec maxima Iuno,
Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.

Cicero in Verrem, Iamiam Dolabella neque me tui, neque tuorum liberorũ, quo te aliqui innocentem putant, casus miseret. Quintilianus, Iamiam malo venena, ferrum, subitos ictus, improuisámque mortem, incestum qui non credit, torquere nõ debet: qui credit, statim debet occidere. In infami in matrem. Et hæc per indignationem. Per miserationẽ verò, Sallustius in Iugurtha, Iamiam animo meo charissime frater, quãquam tibi immaturo, & vnde minime decuit vita erepta est, tamen lætandum magis quàm dolendum puto casum tuũ. Per exhortationem quoque, vt apud Quintilianum, Iamiam cõmilito quicunque casus manet, etiamsi te imperator damnatu- In milite Mariano.

rus eſt,habes ſolatium,ſatius eſt quàm à patre occidi.

EPITOME.

Tantiſper ſignificans quaſi per tantũ temporis, habet elegãter poſt ſe dum pro donec ſeu quandiu.Donec autẽ & Dũ,bifariam accipiuntur. vno modo pro quoad, ſeu vſque ad: altero pro quandiu.Priore modo ſubiunctiuũ, poſteriore indicatiuũ poſtulant. Pauliſper autem,non paulum,ſed per paulum temporis ſignificat: ſicut parumper,per parum temporis:& aliquantiſper, per aliquantum temporis.

De Tantiſper, Pauliſper, Aliquantiſper, Parumper,& ſimilibus. CAP. XLVIII.

TAntiſper,ferè poſtulat poſt ſe dum pro donec,ſiue quãdiu. Nam & donec duobus modis accipitur, Dabo operam voluptatibus donec moriar.id eſt vſque ad mortẽ.& Dabo operam voluptatibus donec viuo.id eſt quandiu viuo. Eiuſdẽ naturæ eſt dum.Ideóque in priore ſenſu amat ſubiunctiuum,in poſteriore indicatiuum more donec:vt apud Ciceronem, Deinde eſt in carcerem ductus,vt ibi eſſet tantiſper,dũ culeus in quẽ cõiectus deferretur,cõpararetur. Terẽtius,Ego tãtiſper te dici volo meum,dũ id quod volo facis.Sunt tamen qui pro tantummodo accipiant,ſunt qui etiam pro interea.Cætera quoque ſic à per cõpoſita,ad temporis breuitatem referuntur, Parumper, Pauliſper, Aliquantiſper.Sunt qui per imperitiã hæc accipiunt pro ſuis primitiuis,quæ ſunt Parum,paulum,aliquantulum.

Donec.

Dum.

In Heauton.

Per.

EPITOME.

Fere & Temere,præter notas ſignificationes,vniuerſalitatem quãdam etiam citra ſignum vniuerſalitatis connotant:ideóque cum ſigno vniuerſali,non cum particulari poni poſſunt. Non ergo dices,ferè multos,aut ferè aliquos. Temere autem non Ciceronis,ſed Quintiliani temporibus,in hunc vſum venit, ſicut alia multa in litera enumerata.

De Ferè & Temerè. CAP. XLIX.

FErè ſignificationem habet non omnibus notã, niſi quando ſignificat penè:cuius ſignificatio eſt,paulum abfuit quin.vt, Penè ſiue ferè in manus hoſtiũ incidi . id eſt paulum abfuit quin in manus hoſtium inciderem . Altera ſignificatio eſt, quũ ſubintelligitur aliqua vniuerſalitas.vt Quintilianus, Hæ ſunt ferè emendate loquendi, ſcribendíque partes. id eſt ferè omnes. Ideóque illud omnes adiũgitur.vt idem, Nam in omnibus ferè minus valent præcepta quàm experimenta. Similiter de loco,de tempore,ſimilibúſque. vt, Vtor ferè hac veſte in faciẽdis ſacris.id eſt in omni ferè tempore. Ferè Romani orbem ſubegerũt.id eſt ferè totum orbem. Ferè fit,vt iuuenes ament. id eſt ferè vbique. Cuius ſignificationis imperiti corruperunt illud Ciceronis de amicitia, Memini illum in eũ ſermonem incidere, qui tum ferè multis erat in ore. quũ ſcribendũ ſit, qui tum ferè erat in ore,id

In prologo.

est ferè omnibus. Pro ferè accipitur temerè apud omnes post Ciceronem natos: vt Quintilianus, Illud ingeniorum velut præcox genus non temere vnquã peruenit ad frugem. Sunt enim quædam, quæ sequens ac proximũ M. Tullio sæculum adiungenda existimauit, vt proculdubio, obiter pro specialiter, tali causa, vel pro statim, quoties pro quando. Nam Cicero ferè nũquam vtitur, nisi addat toties. Citra pro sine, vt ibi, Plúsque, si separes, vsus sine doctrina, quàm citra vsum doctrina valeat. Interim pro aliquando, Meo nomine, tuo nomine, hoc nomine: pro mea, tua, hac causa, siue hoc respectu. vt ibi, Minus est quod flẽdum meo nomine, quàm quod illius gaudendum est. Et alibi, Ago quinimò gratias hoc solo nomine crudelissimis fatis, quòd maximũ facinus non in prima æui mei parte posuerunt. Cicero rarissime, vt in Bruto, At vero inquam ego tibi Brute nõ soluam, nisi prius à te cauero amplius eo nomine neminem, cuius petitio sit, petiturum. Et pro Sylla, An cum tãto imperio, tãtáque potestate nõ dicis fuisse regem, nunc priuatum regnare dicis? quo tandẽ nomine? Sed hoc declinabile est. Nunc autem de indeclinabilibus agimus, qualia & hæc sunt, alioquin, aliàs, nihilominus, super & supra, diuersius aliquantulum à Ciceronis vsu. De qua differẽtia in commẽtariis à me in huius orationes, & illius declamationes componendis disseretur.

Temere. Lib. 1. cap. 4

Proculdubio Obiter.

Citra. Quintil. li. 12. cap. 6.

Meo nomine

EPITOME.

Perinde, sequente ac si, vel atque si, aut quàm, negatione præcedẽte, venuste ponitur pro ita, seu eo modo, aut nõ aliter: sed sine huiusmodi particula, & sine negatione, accipitur pro æque. Non perinde, id est nõ ita, vel non multũ. Proinde autẽ, est ideo vel ideóque. à Lucretio tamen accipitur pro perinde. Subinde, accipitur aliquando pro inde, vel deinde, aut statim: & pro identidẽ siue frequenter cũ quodam interuallo. Item & Itidem significant similiter. Num, vnde nũquando cõponitur, significat quasi an, sed negatiuam expostulat responsionem: vbi non, affirmatiuam exigat, quæ responsio fit per etiam, sic, & ita.

De Perinde, Proinde, Subinde, Identidem, Itidem, & Item. CAP. I.

Perinde flagitat post se acsi, vel atque si, quum significatio eius sit ita. vt, Fac perinde, acsi tua res esset. id est ita quasi. Cum negatione vero etiã quàm: vt Suetonius de vita Domitiani, Nulla tamen re perinde commotus est, quàm responso casúque Ascletarionis mathematici. Quòd si non sequatur nec acsi, nec negatio, accipietur pro æque: vt Plinius Iunior, Funus Ruffi clarissimi viri & perinde fœlicissimi. Pro ita, id est multum, vt idem Suetonius de vita Galbæ, Quare aduentus eius nõ perinde gratus fuit. Proinde idem est quod ideo, vel potius ideóque. semper enim dependet à superiore sententia. Quidam,

Proinde.

quorum est Lucretius, accipiũt proinde in eam significationem quam dedimus perinde. vbi proinde duas syllabas habere facit.

Subinde. Subinde accipitur pro inde vel deinde statim: vt Titus Liuius li. tertio, Subinde arreptus à Publio Numitorio Spurius Oppius. Et Horatius ad Celsum,

Si dicet recte, primum gaudere, subinde
Præceptum auriculis hoc instillare memento.

Identidem. Etiam pro identidem siue frequenter cum quodam interuallo. Vt si iter faciens crebro ad comitem respiciam an me sequi possit, dicam, subinde respicio. Cicero autem diceret idẽtidem. Nam subinde vti non solet, ne æquales quidem eius, Varro, Sallustius,

Nouissimus. Cæsar, licet illi vtantur nouissimo pro vltimo: multiq; alii, quod

Itidem. Item. Cicero non facit. Itidem & Item, significant id quod similiter. Hæc omnia ab inde cõposita Priscianus, multíque alii pronuntiari volunt accentu in antepenultima syllaba, qualia sunt (vt eidem placet) composita à quando, aliquando, siquando, néquando,

Núnquando. núnquando. Est enim hoc vltimum & ipsum compositum. Ideóque per n in tertia litera scribendum est, non per m, pro eo

Num. quod est, nũ aliquãdo. Est autẽ huius monosyllabæ significatio penè eadẽ quæ an, subintelligítque vtique negationẽ. Vt, Num ego te spoliaui? quasi dicat, ego te non spoliaui. At quoties per

Non. negationem interrogamus, subintelligitur affirmatio. vt, Non ego te spoliaui? quasi dicat, ego te spoliaui. Affirmatiua autem responsio hæc propria est etiam. Vt, Vidisti me hodie? si vidi te,

Etiam. Sic. respondere debeo etiam, vel sic. Plinius ad Tacitum, Studes inquam? respondit etiam. Vbi? Mediolani. Vulgo autem respõdemus,

Ita. ita. Neque hoc sine authoritate. Simo apud Terentium di-

In Andria sce. 2. actu 5. centi Dauo, mihíne? respondit, ita.

EPITOME.

Nunc, vsurpari solet sine significatione temporis certi, vt non sit in hoc tempore, sed quasi in hac conditione seu qualitate.

De Nunc. CAP. LI.

NVnc, solet vsurpari sine significatione temporis. vt de diuinatione Cicero, Quæ quidem multo plura euenirent, si ad quietem integri iremus. Nunc onusti cibo & vino, cõfusa & perturbata cernimus. Et de Oratore, Et si in huiusmodi genere nihil esset, nisi falsum, atque imitatione simulatũ, maior ars aliqua esset requirenda. nunc ego quid dicam? Et in eodem, Nam si ita diceres, & cætera. Nunc verò fateris, & cætera.

EPITOME.

Bene & Male, accipiuntur pro valde: sed male, potissimum de re quæ malum affert, sicut & pessime & peius: sed peius gaudet iungi verbo odi, cui etiam male sic

iunctum legitur. Dicitur ergo quis bene miser, id est multum, etiam cum pernicie. sed male gratus, negationem affert, quum gratus animus non contingat cum malo. Male cautus autem dici potest multum cautus, sed in malum alterius. Ouidius, Græcia facundum sed male forte genus. id est non forte, quod particula exceptiua specificat.

De Bene, Male, Peius, Pessime. CAP. LII.

BEne nonnunquam accipitur pro valde. vt Cicero, Habetis orationem bene longam. Quintilianus, Quũ multa diserte, summísque clamoribus, quæ neque ad iudicem, neque ad declamationem pertinent, decantauerunt: bene sudantes, benéque comitati per forum reducũtur. Huic simile quiddam habet male, vt Comici frequenter vtuntur, Male mihi timeo, pro eo quod est valde timeo. Cicero in Bruto, Addebat etiam, ídque ad rem pertinere credebat, scriptores illos male mulctatos. id est, valde, & quasi bene mulctatos, sed in malum illorum. Ideóque non bene dixit mulctatos, sed male. Neque id solum in positiuo aduerbio, sed in superlatiuo quoque, vt pessime mulctatos. Atq; adeò in comparatiuo, sed frequẽtius cum verbo odi, vt idem in Philippicis, Quo neminem veterani peius oderunt. peius quasi magis & validius. Idem ad Marium, Oderam multo peius hunc, quàm illum ipsum Clodium. Illum enim oppugnaueram, hũc defenderam. Nec tãtum per comparatiuum cũ hoc verbo, verũ etiam per positiuum. vt Terentius in Adelphis, Illud rus nulla alia causa tam male odi, nisi quia propè est: tã male, pro eo quod est tam valde. per aliud autem verbum, vt Ouidius heroidum, Peius adulterio turpis adulter obest.

Male. Pessime. Peius. Epi. Fami. libro 7.

EPITOME.

Super, significat fere rem contiguam: Supra, fere interiecto spatio distantem. Intra, ad numerum & spatium refertur: habétque pro correlatiuo extra. Infra, ad dignitatẽ vel ad locum, & habet pro correlatiuo supra. Super autem, habet pro correlatiuo subter: quod etiam contactum rei significat. Non ergo dicemus, Infra octauam Petri, sed intra. nec, Faciam infra octo dies, sed intra, aut octo diebus efficiam. Regunt autem nũc super & subter accusatiuum: sed olim erant communes præpositiones. vnde Maro in Bucolicis, Fronde super viridi. Et in AEneid. Ferre iuuat densa subter testudine casus. Persius autem dixit, -& ilia subter Cæcũ vulnus habes. Vrinator dicitur qui se aquis immergit, atque dum vult, emergit natãdo.

De Super, Supra, Intra, Infra, Subter. CAP. LIII.

SVper & Supra, licet in eodem loco sedere possint, tamen in hoc plerunque differunt, quòd illud contiguum est, hoc interiecto spatio. Vt, Sedeo super lapidem, magis quàm supra lapidem. Rursus, Aquila volat, vel nubes pendent supra nos, potius quàm super nos. Non tamen sic semper, vt apud Quintilianum, Nec vlla est supra terras adeò rabiosa bellua, cui nõ imago sua sancta sit. Et Liuium lib. 44, Vbi circa muros supra sub-

Intra. térque terram per dies quindecim pugnatum est. Intra & Infra etiam differunt: quia intra ad numerum & spatiū refertur, vt Intra viginti dies, & intra muros: non autem infra viginti dies, vel infra muros. Infra. Infra ad dignitatem & ad locū: vt Infra dignitatē meam est, & infra tectum, id est subter tectū. Denique intra habet relatiuum extra: infra verò supra. Extra. Subter. Subter quoque relatiuū habet super. Ideóque tactum rei ferè significat. Vt, Hic vrinator mirifice natat, durátque subter aquam.

EPITOME.

Sicut, significans idem quod quemadmodum, aut quomodo, venustatem habet in cōnectenda antecedenti sententia cum sequenti: sicut & ipsa quibus æquipollet, poni solent. Copulat etiam res non solum similes, sed etiam dissimiles. quam vim etiam (& quidem frequentius) particula vt habet, sequente præsertim ita: quod ab itaque differt, id quod sic à sícque: quia simplicia, præpositiui sunt ordinis: cōposita, communis. Accipitur etiam ita, pro valde. Horum autem omniū exempla, in litera clarissima sunt: sine quibus, difficulter rem intellexeris.

De Sicut, Ita, Itaque, & Sic. CAP. LIIII.

Sicut, habet nonnunquam venustatem magnam atque vtilitatem in disponendo, quoties antecedentem annectit cum sequente sententia: vt apud Quintilianum, Sunt & alia ingenita quidem quæ adiuuant: vox, latus patiens laboris, valetudo, constantia, decor: quæ si modica obtigerūt, possunt ratione ampliari. Sed nonnunquam ita desunt, vt bona etiam ingenii, studiáque corrumpant. sicut & hæc ipsa sine doctore perito, studio pertinaci legendi, scribendi, dicendi multa & continua exercitatione per se nihil prosunt. Cap. 19. Plinius libro septimo, Ferūt Crassum auum Crassi in Parthis interempti nunquā risisse, ob id ἀγέλαστον vocatum, sicut nec flesse multos. Seruius grāmaticus hac dictione & bene & frequenter vtitur. Possumus eodem modo, quo sicut, vsurpare duo alia, quemadmodum & quomodo, aut siquid aliud est eiusmodi naturæ. Quēadmodū Quomodo. Sicut. Habet & aliam naturam sicut, vt non modo res similes copulet (quod est frequentissimum) sed diuersas quoque & sæpe contrarias. vt idem Quintilianus, Sed hæc eloquendi præcepta sicut cognitioni sunt necessaria, ita non satis ad vim dicendi valent, nisi illis quædam facilitas, quæ apud Græcos ἕξις nominatur, accesserit. Vt. Quod licet dicere etiam per vt, & quidem frequentius. vt idem, Quod vt optimum, ita longe difficillimum. Sed in hoc genere sermonis bonam sibi partem vendicat illud ita. Ita. De quo hoc etiam addam, quòd nonnūquam accipitur pro itaque, sed hac differentia, vt nonnunquam ipsum antecedat in eadē sentētia altera dictio. Cicero in Tusculanis, Ita nobilissima ciuitas Græciæ, & olim potentissima sepul-

chrum ciuis sui ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset. Possumus per itaque sic dicere, Itaque ciuitas, vel ciuitas itaque, eodem modo quo sic, pro sicque. Quintilianus vbi de adolescēte in opere duro ac virili se exercente dixisset, intulit, Sic effectū est, vt quemadmodum aliqui putant, posset cito militare. Accipitur etiam ita pro valde, vt Cicero, Nec ita multo pòst edictum Bruti affertur & Cassii. Quintilianus, Nec res est ita magni temporis ac laboris. Itaque. Sic. Sicque. Ita pro valde

EPITOME.

Nam, etiam præpositiui est ordinis: nanque, communis. Nam quòd, idem est quod, quòd vero, vel quòd autem. Dices ergo, Nam hoc licitum est: vel, nanque hoc licitum. Item, Hoc nanque licitum est: vel, hoc licitum est nāque. sed non, Hoc nam licitum est &c.

De Nam, Nanque, Nam quòd, Quòd autem, & Quòd vero. CAP. LV.

NAm & Nanque quiddam simile habēt quod ita & itaque. Quippe quum nanque soleat & primum locum sortiri, & secundum, aliquando etiam tertium: nam, non solet, sed prima semper est dictionum. Præterea hoc aliquando accipitur pro autem, ad distinctionem sentētiarum. vt in Sallustium Cicero, Nam quòd in vxorem atque filiam meam tam petulanter inuectus es. Idem valet ac si dixisset, Quòd autē in vxorem, & cætera. Siue quòd verò. veluti sæpe incipere solemus. vt idem, Quòd autem scribis, quid de exitu belli sentiam, magis consiliū petere possum, quàm ipse aliis dare. Idem de Oratore lib. primo, Quòd vero viros bonos iure ciuili fieri putas, quia legib⁹ & præmia proposita sint virtutibus & supplicia vitiis, equidem putabā virtutem hominibus (si modo tradi ratione possit) instituendo & persuadendo, non minis & vi ac metu tradi. Nam quòd. Quòd autē. Quòd vero.

EPITOME.

Iterum, inquit Valla, etiam ad primam vicem spectat: sicut quædam composita à re, nullam iterationem important. & Rursus, pro econtrario. Antehac, proprie est ante hoc tempus: & Posthac, post hoc tempus. tamen antehac, interdum accipitur pro ante illud tempus: & posthac, pro post illud tēpus. Sicut Deinceps, proprie est deinde, aut dehinc: sed accipitur aliquando pro gradatim. In exemplis tamen à Valla laudatis meo iudicio iterationem significat: nam in illo Ciceroniano, Quātam non iterum &c. negatio innuit iterationem adsignificare, alioqui frustra negaret eam. Veluti si dicam, Feci quidem semel, sed non faciam iterum. Vbi si neges iterū secundariā vicē significare, negabis tertiū significare tertiā, si dixero, Fecisti semel atque iterū, caueto tamen ne tertiū facias. Præterea in Virgiliano 6. AEneid. Rursus & incipiāt in corpora velle reuerti: nō videtur cur rursus nō significet iterū, quia opinabantur plurimi animas purgatorū aut perfectorū hinc migrare ad Eliseos cāpos, atq; expleto tēpore fruitionis gaudii virtutibus debiti, iterū hausto letheo flumine, in corpora velle reuerti, atq; reuera redire. Nō tamē inficias eo

re trifariam accipi. Interdũ iteratiue: vt, Itque redítque viam toties. Interdum pro simplici, vt Ad Chrysippi laqueos reuertamur. Interdum pro contrario simplicis, vt quando componitur cum verbo ad clausuram aut occultationem pertinẽte. Vnde claudo & recludo, sero & resero, velo & reuelo, texo & retexo, tego & retego, contraria sunt. Reuincio tamen fere auget: & rescisco aliud dicit.

De Iterum, Antehac, Posthac, Deinceps, & Rursus. CAP. LVI.

Iterum, refertur etiam ad primam vicem, non tantum ad posteriorem. nam iterum voco te, id est iterata vice, vsitatum est. Iterum vocaui te præter hanc vicem, minus est vsitatum. Cicero pro lege Manilia, Quum tantam multitudinẽ, cum tanto studio adesse videamũs, quantam non iterum in eodem homine præficiendo vidimus. Antehac & Posthac huic similia sunt, hoc est, ante hoc, vel post hoc tempus: Aliquando tamen reperimus ante illud, vel post illud tempus. Sallustius, Sic erat accensa libidine, vt sæpius peteret viros, quàm peteretur: sed ea sæpe antehac fidem prodiderat, creditum abiurauerat. Suetonius in Domitiani vita, Pari arrogantia quum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit, Dominus & deus noster sic iubet fieri. Vnde institutum posthac, vt ne scripto quidem, ac sermone cuiusquã appellaretur aliter. Deinceps similiter accipitur pro dehinc, & pro deinde, atque etiã pro gradatim. Cicero in Tusculanis, Omnes qui deinceps accubarẽt, ad lyram canerẽt. Et ad Thermum, Sed tamen tres fratres, summo loco natos, promptos, nõ indisertos, te nolim habere iratos, quos video deinceps Tribunos plebis per triẽnium fore. Sed redeamus ad Iterum, quod aliquid nouitatis exhibet, quum dicitur, Iterúmque ad tarda reuerti Corpora. Quomodo iterum? nunquid semel antea redierant? minime. Quid ergo? Aut accipiendum est, quomodo rursus, pro econtrario. Cicero Officiorũ libro tertio, Neque me doloribus dedi, quibus essem confectus nisi restitissem, nec rursus indignis homine docto voluptatibus. Aut reuerti redíreque pro venire. vt idem de Fato, Ad Chrysippi laqueos reuertamur. quum nihil de Chrysippo meminisset. Quintilianus, Si verum est post vetusta sæcula, & innumerabiles annos reddi rursus aliis corporibus animas, fortasse in me renatus sit aliquis ex illis. Reddi quasi dari. nam idem hoc verbum efficeret. & alibi, Sed ad illos iam perfectis constitutísque viribus reuertamur, quod in cœnis grandibus sæpe facimus, vt quũ optime satiati simus, varietas tamen nobis ex vilioribus grata sit. Non ait reuertendum ad viliores libros, quasi ab his incipiẽdum sit: sed quum satiati fuerimus bonis libris tanquam cibis,

Antehac. Posthac. Deinceps. Iterum. Rursus. Reddi pro dari. Reuertor.

postea nos ad viliores conuertamus.

EPITOME.

Vltro & Citro, significant quasi hincinde, seu ex vtraque parte progrediendo & redeundo, certo ordine: & tam verbis quàm factis attribuuntur. Huc illuc, significãs modo in hanc, modo in illam partem, sine ordine. Sursum & deorsum, à Terentio quasi pro huc & illuc dicuntur: sed ad scitum Atheniensem respexit: vnde locum habent in his quæ sursum & deorsum fiunt. Vltro, est quasi non requisitus, vltra videlicet spem aut opinionem eius cui aliquid fit. Sponte, id est proprio nutu aut natura eius qui facit. Respicit igitur vltro, animum eius cui fit: sponte, facientis. Virgilius in Bucolicis, At mihi sese offert vltro meus ignis Amyntas. vltro, id est non requisitus à me. Idẽ Georgicorum 2, Sponte sua quæ se tollunt in luminis auras: Infœcunda quidem, sed læta & fortia surgunt: Quippe solo natura subest. Verba habentur Vltro & Citro inter loquentem & respondentem. Fortuna agit sursum & deorsum in se confidentes: procellæ autem, naues &c. Grex pascitur huc illuc oberrando &c.

De Vltro citróque, Huc illuc, Sursum deorsum, Vltro, & Sponte. CAP. LVII.

VLtro citróque in factis & in dictis. Quintilianus in Cæco in limine, Cæcus quoque inuentus in limine est, sicut solet vltro citróque commeare. Cicero libro sexto, de republica, Multísque verbis vltro citróque habitis, ille nobis consumptus est dies. Quũ ego te alloquor, tunc verba vltro quasi vltra eunt: quum te alloquentem audio, tunc verba citro quasi citra veniunt. sicut pedes quum à loco recedo, tunc vltro eunt: quum redeo, tunc citro. Nec elegans esset, Huc atque illuc commeabat, nisi errabundum & incertum iter significes. Quidam tamen sursum & deorsum vtuntur, opinor imitantes Terẽtium, qui in Eunucho ait, Sex ego te totos Parmeno hos mẽses quietum reddam, ne sursum deorsum cursites. Nescio an de Athenis hoc dictum sit, quibus portus in imo, vrbs verò in editiori loco sita est. Fortè sic loqui deceat per sursum deorsúmque, si de fortunæ mutabilitate dicatur, quæ nunc tollit, nunc deprimit. Vltro tamen à sponte sic videtur (vt breuiter dicã) differre, quòd vltro est quasi sine requisitione. vt Vltro ad te veni. id est, à te nõ requisitus veni. Spõte ad te veni. id est, meo consilio: licet ad res inanimatas transferimus. vt Multæ arbores sua sponte nascuntur. id est per se.

Huc. Illuc. Sursum. Deorsum. Vltro. Sponte.

EPITOME.

Et, & que, eleganter ponuntur pro quia, seu nanque. Geminantúrque venuste in rebus diuersis & paribus seu eiusdem ponderis: quo modo nec & neque, neu & néve, seu & siue geminari solẽt. Et, quoque initiis sententiarum competit, sicut ac & atque. Interdum affectui seruit significans quasi & tamen, aut & nihilominus. Interdum neque copulam, neque affectum significat, sed stuporem eius quod infertur quo modo etiam que & atque, præcedẽte id, aut hoc, locum habent, ídque (vt exẽplum ponam) affirmatiue: negatiue autem, neque hoc, seu neque id. Notum autẽ

quòd que pro &,quoque pro etiã,accipi debeant: ita vt que,quasi mẽbra vnius corporis coniũgat,quoque quasi diuersa corpora. Et verò pro etiam, apud Ciceronẽ nusquã,aut perraro reperitur,aut frequenter apud sequẽtes eum.Similiter nec,pro ne quidem,aut nec etiã,sicut apud Quintiliani sæculum.Confundũtur interdũ &, & nec,ita vt ab & incipientes,per nec finiamus:aut ediuerso.Idem autẽ iudiciũ est de neque,quod de nec:in quorũ vtroq; includitur &, aut que cũ negatione,vt sint & nõ,vel que nõ.Verũtamẽ nec enim,aut neque enim,& nec verò,seu neque verò pro simplici negatione accipiũtur, vt nec & neque valeant tantũ nõ: nisi &, addatur ad enim,dicendo non etenim. Exempla omnia sunt in litera clarissima: vt, Audieras,& fama fuit. hoc est, ideo audieras,quia fama fuit. Ortúsque nostri: quia ortus nostri &c. Sic quidam exponunt illud, Benedicta tu in mulieribus, & benedictus. id est quia benedictus fructus &c. Geminantur in rebus paribus: quia si disparitas esset,minori aut minimæ præponeremus quũ particulam. Si ergo pariter theologus es & orator,dicã, Excellens & theologus & orator. Si minus theologus, dicam, Excellens quũ theologus,tum orator.Sin minus orator,Excellens quũ orator,tum theologus.Male quidam vsurpãt quoque pro &: nam pro etiam capi debet,ita vt corpora connectat.quod, vt intelligas,exemplo declaremus,Iohannes & Petrus cucurrerunt ad monumentum:vna est oratio,cuius duo membra,hoc est categorica de copulato subiecto.Non solus Iohannes cito ad monumentum venit, nam Petrus quoque cucurrerat: connectuntur corpora. id est duæ categoricæ virtualiter ad verificandam hanc,Petrus quoque cucurrerat: præsupponitur hæc, Iohannes cucurrerat ad monumentum.

De Et,Ac,Que,cum suis compositis. CAP. LVIII.

Et. Que. Neque. Nec.

ET,multifariã solet in vsu accipi,cuius conditionis est,que,& ab eo cõposita negatiua,neque,& per apocopen nec. Virgil. Audieras,& fama fuit. Martialis,

Quòd nummos cernis,mitti nos credis amicæ,
Falleris,& nummos ista tabella rogat.

Lib.1.cap.1.

Quintilianus,Has primũ audiet puer,harũ verba effingere imitando conabitur.Et natura tenacissimi sumus eorũ,quæ rudibus annis percepimus.Et,pro quia accipiẽdum est. Ouidius in Fastis,

Nil aliud Vestam,quàm puram intellige flammam,
Natáque de flamma corpora nulla vides.

Lib.1.Offic.

Que pro quia,siue nanque.Similiter Cicero,Non solum nobis nati sumus, ortúsque nostri partem sibi patria vendicat, partem amici.Duplicantur interdum hæ coniunctiones,sed in rebus diuersis venustius.vt,Te admirantur & ciues & hospites. Virgilius, O qui res hominúmque deûmque. Id est,ô qui res & hominum & deorum. Sallustius in Iuguthino, Séque vobísque dignũ est. id est,& se & vobis dignum est.Raro tamen in prosa,in carmine verò frequentius. Quintilianus,Nihil otiosum pati,quódque in inuentione,quódque in elocutione annotandum erit.Quare de nec,& de neque,& de siue,similibúsque quoties geminãtur (quũ facilia inuentu sint) omitto exẽpla.Et,quoque initiis sententiarũ

competit, vt idem libro primo, Et finitæ quidẽ sunt partes duæ, quas hæc professio pollicetur. Eiusdem naturæ est ac, & atque. Cicero, Ac si volumus eius rei, quæ vocatur eloquentia, siue artis, siue studii, siue exercitationis cuiusdam à natura profectæ consyderare principiũ, & cætera. Idem, Atque cæteri imperatores, qui de illo triũpharũt, & cætera. Interdũ etiã Et, affectui seruit, vt idẽ pro Milone, Et sunt qui de via Appia loquãtur, taceant de Curia. Et in Philippicis, Et ad eũ legatos de pace mittemus, qui pacis nũtios repudiauit. Idẽ, Et postea miramur, quare ferat moleste populus Romanus. Interdũ neque copulã, neque affectũ significat. vt si hoc modo loquar, Superaui illũ in palæstra, & est tã vastus, & sum tã pusillus. Vt idẽ de senectute, Defendi legẽ Voconiã magna voce, bonísque lateribus, & videtis annos meos. Ac si dixisset, Defendi legẽ Voconiã iuuenili voce, atque lateribus, & sum ita senex. Interdũ etiã tali modo, Defendi fortissime illã legẽ, & hoc in tam prouecta ætate, vel & id in tã prouecta ætate: vel per que, siue per atque, sic, Idque in tã prouecta ætate. Repudiaui vxorem, ídque authore patre eius: vel, atque id authore patre eius. Itẽ per negationẽ, Duxi Paulam vxorẽ, neque hoc, vel neque id sine prudentũ hominũ authoritate: vel, nec id sine consilio: vel, & hoc non sine consilio. Quæ exempla & mihi relatu longiora sunt, & legentibus (vt suprà dixi) facilia inuentu. Illud nõ indiget admonitione, que pro &, & quoq; pro etiã debere accipi, vt alterũ quasi membra cum mẽbris, alterũ quasi corpora cũ corporibus copulet, aliter absurdũ esset. Hoc admonendũ est, Et pro etiam apud Ciceronẽ nusquã reperiri, sicut in cæteris illo posterioribus, vt à Virgilio incipiamus: vt, Natus & ipse dea. Quintilianus, Tamẽ si quid aduersus te ipse cõmisit adolescẽs, sit hostis & meus. Cicero dixisset, Sit hostis etiã meus, vel meus quoque. Idẽ inquit, Quod inter omnes constat, nisi inter eos, qui ipsi quoque insaniunt, insanissimũ. Quintilianus, id est, sæculum ab illo proximũ, dixisset tũ illo modo, tũ etiã sic, Nisi inter eos, qui & ipsi insaniũt. Simili ratione de nec, pro nec etiã. Vt idẽ, Persolui gratia nõ potest, nec malo patri. Cicero & superiores omnes dixissent, Ne malo quidem patri. Interdũ miscemus &, atque nec, nũc ab hoc, nunc ab illo principiũ sumentes. vt, Et pacem respuis, nec bellũ geris: vel, Nec bellũ geris, & tamẽ respuis pacẽ. vel sic, Et pacem non vis, nec tamen bellum geris. vel, Et pacem non vis, & bellum gerere non potes. Nam in nec, siue in neque (de vtroque enim loquor) inclusa est &, vel que, in quæ resolui potest: & vbi est nec vel neq;, id resolui potest per & non, vel que non. Poetæ etiã maiorem

Ac. Atque.

Quoque.

Etiam.

In Gladiatore.

Nec.

In AEgro redempto.

in his sibi licentiam permittunt. Nec & neque, sequēte enim aut verò, pro simplici, non pro composita negatione accipiuntur. Siquidem idem est nec enim, siue neque enim, quod nō enim: nisi ita resoluimus, non etenim. Neque verò, idem quod non verò, si modo non verò dicere licet.

Nec enim.
Neque verò.

EPITOME.

Vicissim, significat proprie secundo loco, siue ediuerso, vel econtrario: & Inuicem, in vices, seu per vices. Tamen accipiuntur interdum pro mutuo: dum non per vices, sed simul alter alteri beneficium seu officium impēdimus. Inuicem præterea, pro vicissim interdum accipitur. Exempla patent in litera. Perottus autem prætendit, inuicem amare, non esse idem quod mutuo: quia qui mutuo amant, simul alter alterum amant: qui inuicem aut vicissim, non simul, sed per vices: sic vt dum alter amat, alter desinat amare, & ediuerso. sed dum dicit Quintilianus, Inuicem sustinentes, & inuicem innixos: intelligit simul & mutuo præstare obsequiū. Mutuo autem quid sit, dum par officium, aut obsequium par pari refertur, & sibi mutuo respondent.

De Vicissim, Inuicem, Mutuo. CAP. LIX.

Vicissim, non memor sum vsquam esse apud Ciceronem & Quintilianum, & ferè maximos quosque authores, nisi pro secūdo loco, siue è diuerso, vel è contrario. Virgilius tantum semel, neque id aperte, videtur vsus pro inuicem & mutuo, -quid possit vterque vicissim Experiamur. Quod imitatus est Suetonius & alii plures. Cicero semper (quod ego quidem sciam) sic, Id acciperet ab alio, vicissimque redderet. Et iterum, Sed ego admiratione quadam virtutis eius, ille vicissim opinione fortasse nonnulla, quam de moribus meis habebat, me dilexit. Itidem Quintilianus, apud quem & cæteros illius ætatis, non modo inuicem tali modo vsurpatur, quale est in declamationibus, Inuicem sustinentes, inuicem innixi. id est, alter alterum sustinens, & vterque alteri innitens: sed etiam in sensu, cuius est vicissim, vt in libro decimo, Tam contumeliosos in se ridet inuicem eloquentia, & qui stultis videri eruditi volunt, stulti eruditis videntur. Et iterum, Neque enim video quæ iustior acquirēdi ratio, quàm ex honestissimo labore, & ab iis de quibus optime meruerunt: qui si nihil inuicem præstent, indigni fuerunt defensione. Plinius posterior, Habes res vrbanas, inuicem rusticas scribe. In eadē significatione est Mutuo, de quo modo attigi, non solum in hac, qualis est, Inuicē se amāt, & mutuo se amāt, & mutuus amor, sed in ea de qua disputaui. Idē Quintilianus in eodem statim pòst loco, Ac ne pauper quidem tāquā mercedem accipiet, sed mutua beneuolentia vtetur. id est respō dente. Cicero, Fac me mutuo diligas. hoc est, fac mihi in amore respondeas.

Cap. 7.
Lib. 12. cap. 7.

EPITOME.

Scilicet & videlicet, videntur significare id quod certe: sed fere per amaritudinem quandam cum derisu permixtam. Interdum etiam sine ea. Interdum post relatiuum, quo modo quidem poni solet. Nonnũquam & ante, vel sine relatiuo. Vix tamen apud doctos reperias illum vulgo vsitatissimum modum: quum ea quæ cõfuse dicta sunt, per singula postea exponimus. Hoc vltimum reprehendit Mancinellus sic, Tu ipse Laurenti, tertii voluminis prologo, eo quidem modo quem apud doctissimos inusitatum esse asseris, vsus fuisti. scribis enim ita, Quæ enim disciplina, scilicet quæ publice legitur, tam ornata, atque (vt sic dicam) tam aurea, vt ius ciuile? Et cap. 35, eiusdem tertii voluminis ita. Illud tamen sciendum est apud Ouidium in 12. sic legendum, Túque tuis armis nos te poteremur Achille. non potiremur, antepenultima breui, non longa, à tertia scilicet, non à quarta coniugatione. Id autem omne recte quidem. nam libro 37. Digestorum ita scribitur, Seruus non manumissus libertatem consequitur: scilicet is qui ea lege distractus est, vt manumittatur intra tempus. Et Seneca epistola 82, sic scribit, Non magis beneficium dare quisquam scit, nisi sapiẽs hic scilicet qui magis gaudet dato, quàm alius accepto. Lib. etiam 31. Digestorum, in principio sic legitur, Velut certam quantitatẽ exprimit, pro viribus videlicet patrimonii. Hæc ille. Qui quantũ mihi est iudicii, Laurentium non intellexit. Non enim dicit eũ modum quo vtitur, inusitatum apud doctos, sed contra. nam in priore dicto accipit pro quidẽ. Nã scilicet quæ, non est aliter dictũ, ac si dicat, quæ quidẽ publice legitur. Et in posteriore est is modus quo ponitur sine relatiuo, quasi scire licet. vt sit, Scire licet quare antepenultima breui, quia à tertia coniugatione. Et ea est propria & natiua significatio. Nihil enim aliud est scilicet, quàm scire licet: & nihil videlicet, quàm videre licet, sicut in Digestorũ libris accipiuntur, & in locis citatis è Seneca. Nusquam tamen est ille modus, quem apud doctos vix reperibilem dicit: Videlicet, (vt sic quoque vtar) Casus nominum sex sunt, scilicet nominatiuus &c. Qui tamẽ vix reperias dixit, nõ penitus negauit. Quid ergo peccauit, si venustiorem nobis vsum significauit, tametsi & alius est. Nõ ergo inficias imus quin id omne recte. dixissem tamẽ vtrunque: quia de tribus dicimus omne. Sed ad authorẽ. In illo, A tertia scilicet, nõ à quarta: poterit interpretari scilicet per certe, vt sit, certe à tertia, nõ à quarta, &c. & erit exẽplum primi modi.

De Scilicet & Videlicet. CAP. LX.

SCilicet & Videlicet videntur significare idem quod certè, sed vsum suũ habent, & præcipuum per amaritudinem quandã cum derisu permixtam. vt apud Virgilium, Scilicet is superis labor est. Et apud Terentium, Id populus curat scilicet. Et apud Quintilianũ, Hoc videlicet expectasti, & ne captiosum esset officio tuo, maturius rediisse, ex industria tempus triuisti. Nonnunquam sine hac amaritudine & irrisione: vt apud eundem, Sed est videlicet vltima quædam calamitatum rabies, & nouissimè in furorem vota ipsa vertuntur. Nonnunquam post relatiuum, sicut solet poni quidem, nonnunquam & ante, vel sine relatiuo. Et hi sunt ferè modi vtendi his duabus dictionibus apud doctissimos: apud quos vix reperias. illum vulgo vsitatissimum modum, quũ ea quæ confusè dicta sunt, per singula postea exponimus: quale esset, Quatuor sunt virtutes, scilicet vel videlicet prudẽtia, iustitia, fortitudo, modestia.

In pastu cadauerum.

Epitome in Procemium tertii libri Elegantiarum.

Cum iurisperiti illi Digestorum conditores, tantum eloquentiæ studuerint, vt eorum scriptis nihil aut Latinius aut elegantius reperiatur, vtque vel sæculis distincti, sic in eloquentia ac phrasi consentiant, vt quasi vno ore locuti putari possint: admonendi sunt iuris studiosi vt ad literarum studia incumbant, quippe sine quibus neque leges intelligere, neque recte interpretari valeant: cum contrà, ipse author, & quiuis alius dicendi peritus, vel triennio in Digesta glossas Accursianis vtiliores scripserit.

LAVRENTII VALLENSIS IN TERTIVM librum Elegantiarum Præfatio.

Digestorum libri.

P Erlegi proxime quinquaginta Digestorum libros ex plerisque iurisconsultorum voluminibus excerptos, & relegi quum libenter, tum vero quadam cum admiratione. Primum, quòd nescias vtrum diligentiáne an grauitas, prudētia an æquitas, scientia rerū an orationis dignitas præstet, & maiori laude digna esse videatur. Deinde quòd hæc ipsa ita in vnoquoq; illorū omnia sunt egregia & perfecta, vt vehementer dubites quem cui præferendum putes. Cui simile quiddam (vt de vltima tantum parte, quæ ad nos pertinet, dicam) in epistolis Ciceronis admirari solebā, quæ quū à pluribus scribantur, omnes tamen ab vno eodémque (audacius dixerim) si personas sustuleris, ab vno Cicerone scriptæ iudicentur. Ita verba ac sententiæ, charactérque ipse dicendi vbique sui est similis. Quod eò magis in iurisconsultis est admirandum, quòd illi eadem ætate cuncti extiterunt in eodem quasi ludo ac schola instituti: hi verò inter se etiam sæculis distant, licet omnes post Ciceronem. Ideóque quibusdam in verbis ab eo differentes, quales omnes à Virgilio vsque ad Liuium fuerunt. Nam Seruii Sulpitii atque Mutii Sceuolæ nihil extat, sed alterius Mutii recentioris. Et prisci illi quidem iurisconsulti quales quantíque in eloquendo fuerint, iudicare non possumus: quippe quorum nihil legimus. His autem, qui inter manus versantur, nihil est, mea sententia, quod addi, adimíve posse videatur, non tam eloquentiæ (quam quidē materia illa non magnopere patitur) quàm Latinitatis atque elegātiæ: sine qua cæca omnis doctrina est & illiberalis, præsertim in iure ciuili. Vt enim Quintilianus inquit, Omne ius, aut in verborum interpretatione positum est aut æqui, prauíque discrimine. Et quantum momenti in verborum interpretatione sit, ipsi iuriscōsultorum libri maxime testantur, in hac re præcipue laborantes. Vtinámque integri forent, aut certe isti non forent, qui in

locum illorum etiam Iustiniano vetante succesſerũt. Nota ſunt eorum,& nimis nota nomina,vt ſuperuacuum ſit ea per me recenſeri,qui vix quintam partem iuris ciuilis intelligũt,& ob imperitiæ ſuæ velamentum aiunt non poſſe doctos euadere in iure ciuili facundiæ ſtudioſos,quaſi iuriſconſulti illi aut ruſtice locuti ſint, id eſt iſtorũ more, aut huic ſciẽtiæ nõ planè ſatiſfecerint. Quid de illis loquor? ego mediocri ingenio & mediocri literatura præditus, profiteor me omnes,qui ius ciuile intepretantur, ipſorum ſcientiam edocturum. Quòd ſi Cicero ait,ſibi homini vehementer occupato, ſi ſtomachum moueant, triduo ſe iuriſconſultum fore: nónne & ipſe audebo dicere,ſi iuriſperiti (nolo dicere iuriſimperiti) ſtomachum mihi moueant, aut etiam ſine ſtomacho,me gloſſas in Digeſta triennio conſcripturum,longe vtiliores Accurſianis? Merentur enim, merentur ſummi illi viri nanciſci aliquem,qui eos vere ritéque exponat,vel certe à male, & Gothice potius quàm Latine interpretantibus defendat. Gothi iſti quídni & Vandali exiſtimandi ſunt? Nam poſtquam hæ gentes ſemel, iterúmque Italiæ influentes Romam cæperunt,vt imperium eorum,ita linguam quoque (quemadmodum aliqui putant) accepimus,& plurimi forſan ex illis oriundi ſumus. Argumẽto ſunt codices Gothice ſcripti,quæ magna multitudo eſt. Quæ gens ſi ſcripturã Romanam deprauare potuit,quid de lingua,præſertim relicta ſobole, putandum eſt? vnde poſt illorum aduentum primum,alterúmque,omnes ſcriptores,nequaquam facundi:ideóque prioribus multo inferiores fuerunt. En quò literatura Romana recidit.Veteres admiſcebant linguæ ſuæ Græcam:iſti admiſcent Gothicam.Neque verò hoc dico, vt iuris ſtudioſos carpam,imò vt adhorter potius,perſuadeámque ſine ſtudiis humanitatis non poſſe,quã cupiunt aſſequi facultatem: malíntque iuriſconſultorum,quàm leguleiorum ſimiles eſſe.Nam (vt Virgiliano verſu vtar)

Iuriſperitus nemo, niſi literarũ peritus.

O fortunatos nimium,bona ſi ſua norint,

Agricolas. Ita ego appellem iuri operã dantes fortunatos,ſi ſua norint bona.Quæ enim diſciplina,ſcilicet quæ publice legitur, tã ornata atq; (vt ſic dicã) tã aurea,vt ius ciuile?An(vt hinc incipiã)ius põtificũ (quod canonicũ vocant) quod ex maxima parte Gothicum eſt? An philoſophorũ libri,qui ne à Gothis quidem, aut Vandalis intelligerentur? quos ego ob hoc maxime errare, quòd loquendi facultate caruerunt, in libris meis de dialectica oſtendo:quos iam edidiſſem,niſi amici me hos potius edere coegiſſent.An grammaticorũ,quorum propoſitum videtur fuiſſe,

vt linguam Latinam dedoceret? An denique rhetoricorum, qui ad hanc vsque ætatem plurimi circunferebantur, nihil aliud docentes quàm Gothice dicere? Vna supererat iuris ciuilis scientia adhuc inuiolata & sancta, & quasi Tarpeia arx vrbe direpta. Hãc etiam isti Gothi, non Galli per speciem amicitiæ polluere atque euertere tentauerunt, euerteréque pergunt. Hanc ipse (quantum in me erit) vt M. Manilius Torquatus protegam, imò omnes qui hoc nomen profitentnr, protegere debent. Quod si fecerint (vt spero & opto) non leguleii, sed iurisconsulti euadent. Quod ad meum autẽ hoc opus attinet, non fraudabo iuris conditores debita laude. Tantũ igitur deberi puto huius facultatis libris, quãtũ illis olim, qui Capitolium ab armis Gallorũ atque insidiis defenderunt: per quos factum est, vt non modo tota vrbs non amitteretur, verum etiam vt tota restitui posset. Itaque per quotidianã lectionẽ Digestorũ, & semper aliqua ex parte incolumis, atque in honore fuit lingua Romana, & breui suam dignitatẽ a tque amplitudinem recuperabit. Sed ad reliqua pergamus.

De hoc Liuius lib. 5. ab vrbe cond.

Laus librorũ iuris.

EPITOME.

Verba ad pretium & æstimationem pertinentia, regunt pretium & valorẽ ac præmium ceu mercedem in ablatiuo omnium dictionum, exceptis his, tantum, quantum, plus, & minus, cum eorum compositis: quæ dum sine substantiuis ponũtur, in genitiuo regi volunt: cum substantiuis autem, sicut alia omnia in ablatiuo, præter tantidem: quod quia ablatiuo caret, substantiuum refugit. Vnde fit quòd interrogatio & responsio sæpe in diuersis fiant casibus. Verba ad pretium spectantia, sunt etiam quæ mercedem aut præmium exigunt: vt Doceo tanti quanti alii, & non pluris. id est tanta mercede. Agam causam tuam quanti alii, & non pluris. Iuuenalis, Paulus pluris quàm Cossus agebat. Locaui domum meam non quanti est, sed quanti potui. Conduxi domum pluris quàm æstimari debeat. Intuli, Quòd interrogatio & responsio in diuersis fiant casibus. vt, Quanti emisti? tribus aureis. Causa est, quia ideo interrogatiua & responsiua in eodem casu poni solent, quia ab eodem reguntur, à quo fere consimiles casus regi solent. quod si diuersos exigat, etiam diuersos habeat. Boetius dedit verbis pretii etiam genitiuum infiniti: sed mallem infinito dicere. Dico verba, quia si regãtur, pretia aut æstimationes à nominibus regentur in genitiuo, etiam addito substantiuo pretii aut simile, vt Emi equum viginti aureorũ: vel Emi viginti aureis equũ. Et sicut dico Hic equus est magni pretii: ita dicam, Emi equum magni pretii. Sicut Terentius in Andria, Cũ faciem videas, videtur esse quantiuis pretii.

DE TANTI ET QVANTI CVM SVIS COMPOSITIS, DÉQVE PLVRIS & MINORIS. CAP. I.

A

Tque vt ab eo potissimum incipiam, quod nec ab aliquo (quod sciam) traditum, & traditu dignissimum est: duo, tanti & quanti, compositáque cum eis tantidem, quantilibet, & quanticũque: totidémque cõparatiua, pluris & minoris:

præterea nulla alia nec comparatiua, nec nomina, nec dictiones queunt in genitiuo casu adiungi his verbis, Emo, vendo, venundo, væneo, mereor, comparo, æstimo, taxo, liceor, addico, distraho, metior pro æstimo, constat, cōduco, loco, fœneror, paciscor, pango pepigi, condemno, postulo, & siqua sunt alia similis horū significationis. Neque enim audiuimus dici vnquam, Vendidit patriam hic auri: aut, Achilles vēdidit corpus Hectoris auri, Priamúsque illud redemit magni ponderis auri: sed per ablatiuū sic, Vendidit hic auro patriam, &c. Exanimúmque auro corpus vendebat Achilles. Hæc Virgilius. Valerius quoque libro quinto, Magno vbique pretio virtus æstimatur. Quanti verò & Tanti, cæteráque (vt dixi) genitiuum non mutant. vt Terentius in Eunucho, Quid agas? nisi vt te redimas captum quàm queas minimo: & si nequeas paululo, at quanti queas. id est, tanti te redimas quanti queas. Cur non dixit quanto, vt congrueret cū illis minimo & paululo, aut minimi & pauxilli, vt congrueret cum hoc quanti: nisi quia tanti & quanti mutare nō licet, & ab eis quæ dixi, composita? Quintilianus in pastu cadauerum, Hoc vnum superarat, vt deuectum tantidem venderes. Et in Verrē Cicero, Aiebat te tantidem æstimasse, quanti Sacerdotem. Iuuenalis, Quanticunque domus constet. Idem (quod ad prædicta comparatiua pertinet) Balnea sexcentis, & pluris porticus empta. Cur nō dixit, & pluribus, vt copularet coniunctio eosdem casus? Titus Liuius libro 48, Mancipia minora annis viginti, quæ post proximum lustrum decem millibus æris, aut pluris vænissent, ea quoque decem tanto pluris quàm quanti essent, æstimarentur. Adeò vt interrogati, per eundē sæpe casum respondere nequeamus. vt Plautus in Epidico, Quanti eam emit? vili. quot minis? quadraginta minis. Horatius, Quanti emptæ? paruo. quanti ergo? octussibus, heu heu. Nā illud apud Ciceronē, Quanti addictus? mille nummûm: non est illud mille genitiui, sed ablatiui casus, vt mox docebo: quasi millenario nummûm, id est nūmorum. Et hæc quidem interrogatio est per genitiuum, respōsio autem per ablatiuum. aliquādo è diuerso: vt, Emistíne decem minis istū equum? imo pluris. Aliquando hi duo casus iuxta idem verbum hærent. vt Emisti istum equum decem minis, an pluris? Quòd si aduerbia forent (vt nonnulli existimare solent) cur potius dictum est tanti & quanti, pluris & minoris, non tanto & quāto, pluri & minori? quum huiusmodi verba vtique ablatiuum desyderent. Cur nō idem fit in cæteris comparatiuis, quæ palàm aduerbiantur? Non enim dicitur, Emi equum vilioris cariorísve quàm tu, nec

6. AEneid. & 1.
Cap. 4.
Tantidem.
Quāticunque

viliori cariorive quàm tu:sed vilius quàm tu,aut carius. Neq; vẽdidi ædes melioris, peiorisve quàm tu,sed melius,peiusve quàm tu.Cur denique (quòd non minus mirandum est) hæc ipsa quæ nominaui,quoties substantiuis maritantur,formam naturalem & legem verborum custodiunt,excepto tantidem? quia est substantiuum,quod ablatiuũ datiuúmq; nõ agnoscit tantodẽ,solásque has voces habet tantũdem & tantidẽ.Dicẽdúmq; erit,Quãta pecunia istũ equum emisti?sicut,quot minis?Iuuenal. -quanto

Tantundem.

Metiris pretio,quòd ni tibi deditus essem,
Deuotúsque cliens,vxor tibi virgo maneret?

Liuius lib.22, Hic miles magis placuit, quum pretio minore redimendi captiuos copia fieret. Itaque genitiuos illos, Tanti emi equum quanti potui, sic exponere non possumus, tanti pretii,& quanti pretii potui:sed sic,tãto pretio quanto potui. Et per comparatiuum,vt illud Ciceronis, Non pluris vendo quàm alii,fortasse etiam minoris. Quum aliquem doces,non ita exponas pluris,id est pretii:& minoris,id est pretii. Nam huiusmodi expositio fecit,vt plerique fallerentur : sed sic,pluris,id est pluri pretio: minoris, id est minori summa.

3. Officiorum.

EPITOME.

Non solum ad verba pretii respondere licet interdum in diuerso casu,sed etiã per alia, vt per interest & refert , dum ad adiectiua respondemus per substantiua, aut econuerso. Exempla manifestaria sunt:vt,Cuiũ pecus?AEgonis.Cuius domus? mea.Cuia puella?Petri.Cuius culpa?tua.

De Mea,Tua,Sua,& Cuia. CAP. II.

NOn tantum in his causis quas ostendi , nõnunquam aliter respondemus, quàm quo modo interrogati sumus,sed etiam in illis tribus pronominibus, de quibus proximo libro disputaui,tam primitiuis quàm deriuatiuis: quorũ diuersam conuicimus naturam esse: & præter hæc vnũ Cuius cuia cuium, quod à veteribus nõ inter nomina,sed inter pronomina numerabatur,vt meus mea meũ. Nec Græci relatiuum,vnde hoc nomen descendit,inter nomina,sed inter articulos collocãt. & nos pronomina quædã,articularia solemus appellare.Ideóque vt dicimus,Mea est,tua est,sua est:& mea,tua,sua,interest:ita cuia est, & cuia interest. Plautus in Epidico,Ego illũ conueniam,atq; adducam ad te,cuia est fidicina. Cicero pro Murena,Ea cædes potissimum crimini datur ei,cuia interfuit:non ei,cuia nihil interfuit.Igitur interrogati,Cuius hominis est hoc opus? respondebimus,meum,non mei. Cuius domini hic fundus ? tuus aut suus, non tui aut sui.Rursum,Meúmne fundũ possides,an tuũ?respondebo,neutrius,vel illius. Interrogamus adhuc respondemúsque

Cuius.

Vt à Diomede lib.1.

per varios caſus,Meúmne prædium eſt,an illius? reſpondebo,illius certe,non tuum.Similiter de cuius,ad quod nunquã reſpondeas per eundem caſum , niſi in tribus pronominibus deriuatiuis.vt,Cuium pecus?reſpódeas,meum,vel illius. Interrogatur etiam per diuerſos caſus.vt,Cuiũ pecus,tuúmne an Melibœi ? ſed per talem dictionem nunquam reſpondetur,niſi ſi dicas,Eſt cuium eſt,vel cuium eſſe debet,& ſiquid eſt ſimile.

EPITOME.

Eſt,Intereſt,& Refert,conſtruuntur etiam cum dictis genitiuis,tanti, quanti,& cũ magni & parui.in cæteris autem potius cum aduerbiis,aut nominatiuis neutri generis.Veruntamen facio,curo,æſtimo,pendo,& ſimilia,etiã plures genitiuos recipiũt. Exempla omnia patent in litera. vt, Magni refert,Non parum refert. Comicus, Tu quid de me fiat parui curas.

De Tanti,Quanti,Magni,Parui,cum Intereſt. CAP. III.

EAdem Tanti & Quãti, poſitiua quoque duo Magni & Parui, ſola in genitiuo iunguntur cum illis geminis verbis Intereſt & Refert. Cætera autem,vel aduerbialiter, vel in voce nominatiui ſiue accuſatiui, & in primis horum comparatiua ſuperlatiuáque magis & minus,maxime & minime,atque horum germana,multum,plus,plurimum,parum, paululum,paulum, pauxillum,nihil,aliquid,& ſiqua ſunt alia. Tanti intereſt,quanti intereſt,magni refert,parui refert, ac multum refert, plurimum intereſt, maxime refert, magis refert, paulum refert, minus refert,parum refert. Quinetiam non modo quatuor hæc nomina id naturæ habent cum his duobus verbis,verumetiam cum multis aliis : vt,Magni æſtimo,parui facio,parui pendo,quanti facis, tanti facio.Sed cum huiuſmodiverbis nonnunquam alia nomina iunguntur:vt,Plurimi æſtimo.

Intereſt. Refert.

EPITOME.

Mille,aut ſubſtantiuum eſt,ſingularis numeri,& indeclinabilevſque ad pluralem, vbi hæc millia,horum millium dicimus:aut adiectiuũ plurale,& indeclinabile.Subſtantiuum,genitiuum poſcit,& ferè ſyncopatum: adiectiuum,aut conſimilem genitiuum,aut eiuſdem caſus ſubſtantiuum.Non ergo dicemus,Decem millia talenta,ſed talentorum.quia duo ſubſtantiua ſic non cohærent ſine coniunctione. multiplicamus autem nomina per aduerbia,vt quater viginti,nõ quatuor viginti: nec ſex viginti,ſed ſexies, & ita in reliquis. Dices ergo congruè,Mille hominum deſyderatum eſt, Mille nummûm mihi reliquit pater : ídque potius quàm nummorum. nam quoties non vitioſa ſit ſyncopa, genitiuus numerali additus ſyncopabitur.vitioſa autem foret,ſi genitiuus cum nominatiuo coincidat,vt in neutro genere ſecundæ declinationis in um , vt mille ſeſtertium . Quocirca potius dicam,millies ſeſtertium , ídque peritorum authoritate. Contra , dicam cum Varrone & Aulo Gellio , cæteriſque doctis,Mille nummûm , & Duo millia denariûm, potius quàm nummorum,&c. Dico Potius,quia frequentius ita loquuntur claſſici,quum liceat etiã citra ſyncopen loqui.Licet præterea,ſi adſit numerale adiectiuũ,illi ſubſtantiuũ conformare ; vt,In prælio ſex millia quingenti deſyderati ſunt homines.

Quinetiam inuenies vel primæ classis authores contra Vallæ præceptum locutos, qui tamen Vallam sequatur non errauerit: neque flagro dignus qui subinde varian di styli gratia authores classicos aliter loquentes imitatus fuerit. Neque tamen dixero millia sic cõstructum esse adiectiuum omnis generis sicut mille: sed figuratã esse locutionem, aut per appositionem, aut per subauditionem præpositionis ad, vel circiter. Vt dũ dicit Plinius lib.21.cap.7, Ancus Martius rex salis modia sex millia in cõgiario dedit populis. Liuius lib.45, Duodecim millia pedites. Virgil.-tot millia gẽtes Arma ferent Italæ. Cicero pro Rabirio, Quid vociferare decem millia talenta Gabinio esse promissa? Et in Verrem actione tertia, Tritici modios quinque millia. Et in eadem, Tritici medimnos duo millia. Sic ergo in Euangelio, Qui debebat decem millia talenta &c. Videntur autem genitiuo noluisse vti, ne partem significent, quum plura non fuerint.

De Mille & Millia. CAP. IIII.

ATque (vt promissum exoluã) illud Ciceronis mille nummûm singularis numeri esse, tum exemplo eiusdem, tum præcepto M. Varronis comprobabo. In Philippicis, Inuentus est qui L. Antonio mille nummûm ferret expensum. Et pro Milone, In quibus propter insanas istas substructiones facile mille hominum versabatur. Qualia exempla plura repeterem, nisi Varronis præceptio satis esset, qui in libris de analogia inquit, Quum peruentum est ad millenarium, assumit singulare neutrum, quod dicitur hoc mille denariûm, à quo multitudinis numerus fit millia denariûm. Et paulo post, Vt sit vtrunque sine casibus vocis dicemus, vt Hoc mille, huius mille: ita hoc * decies huius * decies. Hæc hactenus. Illud quoque præter hæc addamus, mille hominum dici, & millia hominum. Iterũ mille homines dici, millia homines nõ dici. Cuius rei causa est, quòd propriè dicimus mille homines, vt centum homines, millia hominum, vt centenaria, vel turbæ hominum. Hoc substãtiuum est, illud verò adiectiuum. Itaque non licet dicere millia homines, quia duo substantiua nõ cohærent sine copula. Neque in his vllus certus inesset sensus. Mille hominum licet dicere, quia mille substantiuatur. vt, Multum hominum, pro multi homines: ita mille hominum, pro mille homines. idémq; erit quod millium hominum, si millia singulare haberet: quod non habet, nisi pro milliario, quod constat ex mille passibus: vel pro seminis genere: vel more Varronis, quia dicimus hoc mille: vel quia (vt maxime reor) nec adiectiuum planè, nec substantiuum est, sicut hic hæc hoc, iste ista istud, & nonnulla alia pronomina. Nam cætera adiectiua non patiuntur sibi ita adhærere adiectiua, vt pronomina. Dicimus enim, Hic robustus messor, ista robusta mulier. Nec dicimus, Antiquus robustus messor, antiqua robusta mulier. At nomina numerorum sunt istis pronominibus similia, vt

Lib.1.

*deciens

Substãtiua nõ cohærent sine copula.

Millium.

Adiectiui natura.

centum aureæ pateræ, mille armatæ naues. Ergo Latinè dicetur, Mille ex hominibus, ficut dicetur Ifti ex illis. Quæ locutio idē eſt quod mille hominum. Cæterum nomina numeralia, fiue ſubſtantiua, fiue adiectiua fint, inter ſe iungi recuſant: quia nec duo ſubſtantiua, nec duo adiectiua ſola eſſe poſſunt, vt duo centum, tria mille: quum præſertim fint ſua propria nomina, vt ducenta, trecenta. & ſupra mille eſt millia, quod planè ſubſtãtiuum eſt. Ideóque dicimus, Mille hominum, duo millia hominũ, non duo mille: tria millia, quatuor millia hominũ, & deinceps. Nec (vt dixi) tria aut quatuor mille, ſed bis mille, ter mille. aut bis centum, & ter centum, non duo centum, tria centum, aut (vt aliqui indocti loquuntur) ducentum, tricentum, ſed tercentum. Virgil.

Ter centum niuei tondent dumeta iuuenci. Et alibi,

Hic iam tercentum totos regnabitur annos.

Reperimus tamen apud eccleſiaſticos ſæpe hoc modo dici, quale eſt, Debebat decem millia talenta. &, Duodecim millia ſignati. Quod defēdi nō poteſt, niſi reſoluas ſic, Signati duodecim millia, talenta decem millia. quaſi dicatur numero duodecim millia, & numero decem millia, & ſubintelligatur entia. Debebat talenta entia decem millia, Signati entes duodecim millia: niſi interponas verbum ſubſtantiuum, ſic, Signati erãt duodecim millia. quod in altero exēplo fieri nequit. Quo certe modo ipſe non loquerer, ſed potius, Duodecim millia ſignatorum, aut duodecim millia ſignata, & decē millia talentorum, & duodecim millia drachmarum argenti. Cuius erroris (ſi error eſt) cauſa (vt opinio mea fert) hinc fluxit, quòd ſæpe legimus decem millia pondo argenti, quaſi illud pōdo ſit nominatiui aut accuſatiui caſus, & non potius genitiui. Sæpe decem millia quingēti pedites, non peditum. Ita quum numerus poſterior defuerit, putant rectè dici poſſe, decem millia pedites, quod falſum eſt. Nam quum dicimus, Decem millia quingenti pedites, ſic intelligimus, decē millia peditum & quingenti. Quo ſæpe modo loquimur, nec aliter loqui poſſumus. Atque vt nunc ad hoc quingenti ſubintelligimus pedites, ita ad illud millia ſubintelligimus peditum. Quale eſſet in ſuperioribus exemplis, Duodecim millia & ducēti ſignati, vel Duodecim millia ſignatorum & ducenti, & ita in cæteris. Rarius autem reperitur mille pro millia. Nam illud, Quicũque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo: ſubintelligitur millia paſſuum. Alioqui dixiſſet alios duos, non alia, vel potius alios bis mille. Pondo.

EPITOME.

Numeralia diſtributiua, citra diſtributionem nominibus ſingulari carentibus, aut

penitus,aut in qua significatione accipiuntur, coniungi possunt : aliis non possunt, suntque ritè formanda:nam plurima patiuntur syncopen, caréntq; legitime singulari,nisi pro alia specie vsurpentur. Sunt autem numeralium species multæ. nam

Cardinalia.

alia vocantur Cardinalia:quòd ad ea,quasi ad cardinem,cætera reuoluantur: eáque de tribus ad centum sunt indeclinabilia, vltra centum declinantur, nisi repetantur citra centum. vt,Vnus vna vnum,hi duo,hæ duæ,hæc duo,hi & hæ tres & hæc tria, quæ declinantur,hi,hæ,& hæc quatuor,quinque,sex,septem,octo,nouem,decem, vndecim,duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, sedecim vel sexdecim, septemdecim,octodecim vel duodeuiginti,nouemdecim vel vndeuiginti, viginti, viginti vnus,a,um,vel vnus & viginti,& ita deinceps.Vnde satis sit nosse denariorum nomina quæ sunt,decem,viginti,triginta,quadraginta,quinquaginta,sexaginta,septuaginta,octoginta non octuaginta(nisi rarius vt apud Columellam paucosque alios)nonaginta,centum:quæ omnia,sunt pluralia præter vnus,quod tūc pluralem habet,quando substantiuum singulari caret, vt Vni codicilli,vnæ literæ,vna arma.& indeclinabilia,præter quàm vnus,duo,tres,& rursus vsque ad ducenta, vbi incipimus declinare,hi ducenti,hæ ducentæ,hæc ducenta:& sic trecenti,quadringenti,quingenti,septingenti,octingenti,noningenti vel nongēti. & tūc mille,aut singulariter,quum substantiuum est:aut pluraliter,quādo adiectiuum.Et repetitis antè dictis numeris,duo millia aut bis mille,tria millia aut ter mille,& sic deinceps. Alia

Distributiua.

vocantur distributiua,quæ significant substantiua singulis per se distribui. vt,Dedi pueris dena poma.id est singulis decem.Non ergo ita dicam,dena & dena:etiam si bis decem dederim duntaxat,vtpote duorum singulis decem . & si tantum decem vni dederim,non dicam dena,sed decem:nisi(vt sentit author)substātiuum caruerit singulari,saltem in significatione in qua accipitur.tunc enim citra distributionē adiungi illi possunt,sicut omnibus sub distributione.vt,Dedi puero meo binas literas ad te.id est duas epistolas.Sunt tamen qui velint in Cicerone, vbi binas literas dicit,binas epistolas intelligi. id est singulis duas datas. Et quanquam vetat Valla dici binas epistolas,id non intelligemus,vt omnino vitiosum sit: sed citra distributionem,vt dixi. Nam si tribus pueris sex epistolas dederim,hoc est singulis duas: bene dixero,Dedi pueris meis binas ad te epistolas.Quia verò plurima patiuntur syncopen,recitabo ea,súntq; hæc,singuli,læ,la,bini,terni,quaterni, quini, seni,septeni, octeni vel octoni,noueni(nam nonus ordinis est)deni,vndeni, duodeni, deniterni vel ternideni, deniquaterni vel quaternideni,deniquini vel quinideni,deniseni vel senideni, denisepteni vel septenideni, deniooctoni vel octoni seu octenideni vel duodeuiceni,deninoueni vel nouenideni aut vndeuiceni. deinde viceni pro vigeni,& deinceps:vigeni singuli &c.vel singuli & vigeni.Tum triceni,pro trigeni:tum quadrageni,tum quinquageni,tū sexageni,tū septuageni, tū octogeni, vix octuageni,tum nonageni,tum centeni.Tum duceni pro ducenteni,tum treceni pro trecenteni,tum quadringenī pro quadringenteni, tū quingeni pro quingenteni,tum sexceni pro sexcēteni,tum septingeni,tum octingeni,tum nongeni vel noningeni pro septingenteni, octingenteni,nongenteni vel noningenteni. Tum milleni: & ita in reliquis, saluis regulis dandis cap.14. vbi de cæteris quoque speciebus dicemus. Nihil dubito Ciceronem scripsisse,Capit ille ex prædiis suis sexcena sestertia, ego cētena ex meis.Vult enim dicere illum se multo quidem ditiorem,sed se suis non minus contentum vectigalibus ac illum suis:qui si semel duntaxat sexcenta caperet,minus longe diues esset,ac qui quotannis caperet centena. Addamus,ab his

Ordinis.

formari nomina ordinis,vt Primus,secundus,tertius,quartus,quintus,sextus, septimus,octauus,nonus, decimus, vigesimus vel vicesimus , trigesimus vel tricesimus, quadragesimus &c.Centesimus,ducētesimus,millesimus,&c. Et ordinalia in arius,

In arius.

quæ aut numernm aut multiplicationem rerū,quæ nō nominātur,indicant:vt binarius,ternarius,quaternari⁹,quinari⁹,senarius,septenarius,octonari⁹,nonari⁹,denarius,vicenarius, tricenarius,quadragenari⁹,& sic deinceps, cētenari⁹,millenarius,&c.

De numeralibus. CAP. V.

ET quoniam de numeris cœpimus, de ipsis aliqua dicere prosequamur. Et primum hoc admoneamus, in quo pleriq; falluntur, treceni scribendum esse, non trecenteni, nec triceni: quum significat trecẽtenarium numerũ, quod syncopatũ est, sicut cætera. Dicimus enim duceni, pro ducẽteni: treceni, pro trecenteni, quadringeni, quingeni, sexceni, septingeni, octingeni, nongeni, vel noningeni: pro quadringenteni, quingẽteni, sexcenteni, septingenteni, octingenteni, nongenteni vel noningenteni. Centeni autem & milleni non syncopãtur, quia nõ sunt prælongæ dictiones sicut superiores. Triceni autẽ caret syncopa, sed immutauit g in c, sicut viceni pro vigeni, & triceni pro trigeni. Est enim simillimæ vocis c & g, quemadmodũ d & t: propter quod dicimus quadringenti, pro quatrincẽti. In quo nomine & t in d, & c in g mutatum est. Atq; quoniã dixi quosdã falli similitudine vocũ, recenseamus hæc ipsa infra centum, vt supra centum fecimus. Dicimus igitur singuli, bini, terni, quaterni, quini, seni, septeni, octeni, noueni, deni, vndeni, duodeni, ternideni, quaternideni, quinideni, senideni: vel deniquaterni, deniquini, deniseni, deniseptení, deniocteni, deninoueni, viceni, vicenisinguli, vicenibini, viceniterni, vel (vt postea ostẽdemus) singuli & viceni, bini & viceni, & ita deinceps. Tũ triceni, quadrageni, quinquageni, sexageni, septuageni, octogeni, nõ octuageni (octoginta enim dicimus non octuaginta) nonageni, vel nongeni, non nouageni. deinde centeni. Ideo autẽ hæc nomina in plurali protuli, quòd in prosa scribẽtes ferè plurali vtũtur, in carmine frequẽter etiã singulari. Et singularem quidẽ horũ nominũ numerũ, non prosa oratione scribentium, ait Priscianus esse, sed poetarum. vt Virgilius, Gurgite septeno rapidus mare summouet amnis. Verũtamen non tantum poetarum video esse, sed nonnunquã etiã aliorũ. vt Plinius lib. 17, Traduces Gallica cultura bini vtrinque lateribus, si pes quadrageno distet spatio: quaterni, si viceno, inter se obuii miscentur, alligantúrq; vnà cõciliati. Et in 25, Altera maior, foliis laterum modo inclusa * quoque, quia septena est. Et in 26, Prodigiosa sunt quæ circa hoc tradit Theophrastus, author alioqui grauis, septuageno coitu durare libidinem contactu herbæ cuiusdam, cuius nomen speciémque non posuit. septuageno, id est septuaginta coitibus per singulas noctes. Nam ita hæc nomina exponũtur. vt, Creabãtur olim bini cõsules, id est per singulos annos duo. Vtũtur ergo oratores legitima significatione horũ nominũ: binus enim siue bini, significat singulis duo. ternus, siue terni, singulis tres. quaternus siue quaterni, singulis quatuor.

Treceni. Triceni. Viceni. Octoginta. *quæ quia septena sũt, quidã eã heptapleuron vocauere. Cap. 10. Bin⁹. Ternus. Quaternus.

At poetæ non ita.Septenus enim gurges nō est singulis septem, sed septem tantum vni flumini Nilo. Nec in singulari modo significatione hac abuntur, verumetiam in plurali.vt Idem,

Georg.I. Per duodena regit mundi sol aureus astra.

Duodena astra, pro duodecim astra. At hoc septeno Priscianus exponit septenario. quod mihi non placet, quum inauditum sit flumen aliquod habere septenarium alueum, & fontem edere septenarium riuum. Siquidem hæc nomina numerum aliarum rerum, quæ non nominantur, indicāt: nō multiplicationem sui ipsorum, vt lapis centenarius, non quòd sit centuplus lapis, sed centum librarum. Homo centenarius, non quòd sit centum geminus, sed quòd habet centum annos. Grex cētenarius, nō quòd sint centum greges, sed grex centum capitum. Rursus non dicimus, Centenariam libram, sed centuplam: nec centenarium annum, sed centuplum annorum. Tamen dicimus centenarium, septenarium, duodenarium numerum. Siquidem numerus omnia complectitur, siue cētenarius, siue decenarius, siue alius quiuis numerus cæterarum rerum, librarum, annorū, similiumq;. Ideóque rectè dicimus, Cētenariū numerum annorum ingressus est, nō autem centenarium annum. &, Millenarium numerum pondo portat, non autem millenaria pondo. Potuisset igitur Priscianus cōmodius exponere, septeno gurgite, pro septenarii numeri gurgite. Qua expositione vti solemus in illis numeralibus, quæ vltimum numeri eius significant: decimus, vndecimus, centesimus, millesimus: id est qui vltimus est ex decem, ex vndecim, ex centum, ex mille. Aliquando etiam sic, Hoc aruum attulit centesimum, illud verò sexagesimum, tuum verò trigesimum fructum. id est centenarii numeri, sexagenarii, tricenarii fructum: vel centuplum, sexagentuplum, tricentuplum. Plinius libro decimooctauo, Admiscetur huic far, vt mitiget amaritudinem eius, & tamen sic quoque ingratissimum est ventri. nascitur qualicunque solo cum cētesimo grano, ipsúmque pro lætamine est. Non vltimum granum è centenario numero intellexit, sed grana centenarii numeri, siue granum centuplum, siue centenū, eo modo quo idem author dixit viceno. Hac etiam ratione appellata est quadragesima, quòd quadraginta dies continet. Quo vocabulo eloquentissimi Christianorum vtūtur. Quidam etiam quinquagesima, sexagesima, septuagesima. Atque (vt ad rē redeam) vtimur superioribus illis nominibus crebrius in plurali numero, singuli, bini, terni. Trinū igitur quum habeat singularem numerum, apparet non esse naturæ istorū. Quinimo non

Numeraria in arius.

Cap. 16.

Quadragesima.

memini comperisse me illud in plurali, licet & singulare perrarum sit, vt trinum nundinum. Promulgari enim debebat antiquitus rogatio apud Romanos trino nundino. Quod (vt opinor) aut tribus in locis vno die, aut tribus diebus vno in loco celebrabatur, vt trimus trium annorum: ita trinus trium dierum, aut trium locorum. Priscianus autem ait trinundinum, pro trinundinarum, Ciceronis exemplo pro Cornelio, Primo ex promulgatione trinundinum dies ad ferendum potestásque venisset. Quod si ita esset, à tris compositum esset, nō à trinum, vt ait Priscianus, sicut trinoctium: sed forsan per apocopen dicimus trinundinum, pro trium nundinum, aut planè trinum nundinum. Quintilianus libro secundo, Siue non trino fortè nundino promulgata, siue non idoneo die, siue cōtra intercessionem, vel auspicia, aliúdve quod legibus obstet, dicitur lata esse vel ferri. Titus Liuius libro tertio, Postquam verò comitia decemuiris creandis in * trinundinum indicta sunt. Idem libro quinto, nisi editioni menda inest, ait, Antea trina loca cum cōtentione summa patritios explere solitos, nūc iam octoiuges ad imperia obtinenda ire. Donatus tamen hoc nomine vtitur, & discipulus eius, nō tamen magistro indoctior, Hieronymus quū alibi, tū ad Marcellam, Et trinam negationem, trina postea confessione deleuit. id est triplici. Cæteri quoque eodem nomine vtūtur. Vnde dicta est trinitas, trium personarum vna diuinitas. Seruius super illud Virgilianum, Terna arma mouenda, ait, figura poetica. Nam trina debuit dicere. Arma enim, sunt tantum numeri pluralis. Sed hæc ratio Seruii quàm sit efficax, ipse viderit, qui vult hoc nomen aptum esse nominibus numeri pluralis, quod etiam reperimus coniunctum cum nominibus singularem numerū habentibus. Et quid præterea dixisset, si apud Virgilium foret quaterna arma? nunquid legendum esset quatrina? verum non est trinum de numero eorum, de quibus disputauimus: quorum singularem non frequentari ab oratoribus diximus, sed à poetis, & quidem improprie. Etiam nonnunquam improprie pluralem, quod aliquando ipsi quoque oratores faciunt, sed necessitate in his nominibus quæ singulari carent, vt codicilli, licet Iustinianus vtatur, vt liberi, vt pugillares, vt nuptiæ, vt arma, vt castra. Aut si non carent, suntque vel diuersi generis, vt nundinum & nundinæ, delicium & deliciæ. Vel diuersæ significationis, vt hæc ædes, & hæ ædes. Vel diuersi & generis & significati, vt epulum & epulæ. Necessarium est autē dicere, Binos codicillos & ternos & quaternos: nō duos, tres, quatuor, ratione dictante. Quid enim si de diuersis codicillis

Trinum nūdinum.

Trimus.
Trinus.

*trinum nundinum.

Trinitas.

Codicilli.

dicendum mihi sit, quomodo dicam Duos codicillos scripsit pater, vnum ad me, alterum ad vxorem? Illud enim vnum, & illud alterum ad quid refertur? ad codicillum, quod non reperitur? Dicendum est ergo vnos. Quòd si vnos, ergo & binos dicendum erit. quod ex Ciceronis exemplo liquebit, Duplices similitudines esse debent, vnæ rerum, alteræ verborum. Quòd si dixisset duplex similitudo, subiunxisset vna rerum, altera verborum. Verum quia in plurali locutus est, non putauit alteri numero locum esse oportere. Dicamus ergo binos codicillos, non duos. Rursus duo testamenta, non bina. de cuius naturæ nominibus quibusdam nominatim faciamus mentionem: si tamen illud monuerimus, ex prædictis colligi vtroque modo posse dici, Relinquo filiis meis testamento singulis siue cuique, si multi: siue vtrique, si duo fuerint, dena prædia: vel singulis, siue vnicuique, siue vtrique, decem prædia: quum ego & fratres mei ex bonis paternis habuerimus singuli, siue vnusquisque, siue vterque vnum prædium: vel singuli, siue vnusquisque, siue vterque singula prædia, quæ etiam vno loco coniunxit Cicero in paradoxis, Capit ille ex suis prædiis sexcenta sestertia, ego centena ex meis. Non dixit aut sexcenta & centum, aut sexcena & centena, quæ tamen diuersa sunt, vt intelligamus ab illo sexcenta capi vno anno, non singulis annis: ab hoc centena non vno anno, sed singulis annis. Ego tamen puto scribendum esse sexcena, non sexcenta. Multa hîc, & multifariam vitiose dicta repetere liceret, sed vereor tantos viros carpere. Vnum tantummodo dixerim ex tertio libro regum, Septena versuum retiacula in capitello vno, & septena retiacula in capitello altero. quum dicendum esset septem in vno, & septem in altero: aut septena in singulis, aut septena in vtroque. Et si fuissent plura duobus, septena in vnoquoque. Cuius conditionis est illud in eodem libro, Quòd absconderim de prophetis domini cētum viros, quinquagenos & quinquagenos in spelūcis: hoc modo non recte dicitur, sed eo modo, quo paulo antè dictum erat, Tulit ille centum prophetas, & abscondit eos quinquagenos in speluncis. id est, in singulis speluncis quinquaginta. Quidam iuris studiosi accipiunt dena pro viginti, non intelligentes, significari singulis duorum decem. de quorum imperitia quid multis dicendum? quum putēt recte dici vna quinque, quasi vna sit nomen & non aduerbium. Ne illud quidem obticebo, quemadmodum superius ostendi, illa nomina supra cētum syncopari, infra verò centum, minime. Ita è diuerso aduerbia infra centum syncopari, vltra non syncopari, vt vicies pro vigin-

Bini codicilli.

ties, tricies pro triginties: deinde quadragies, quinquagies, ſexagies, ſeptuagies, octogies non octuagies, nonagies nō nouagies. Cætera non ſyncopātur, quinquies, ſexies, ſepties, octies, nouies, decies, centies, ducenties, trecenties, quadringenties, ſeptingēties, octingenties, noningenties, millies: deinde bis millies, ter millies, quater millies, quinquies millies, decies millies, vicies millies, & deinceps cætera. Nunc ad inſtitutū redeamus, ab hoc potiſſimū nomine incipientes.

EPITOME.

Litera in ſingulari, niſi apud poetas, ſignificat duntaxat vnum elementum, quod Græci γράμμα vocant, vt a vel b: aut manum ſeu formam ſcribentis. In plurali autem, vel plura elementa, vel epiſtolam, pro qua ſingulari caret, petítque nomē diſtributiuum, etiam citra diſtributionem: in quo differt ab epiſtola, licet dicamus ſingulas literas & epiſtolas. Caute autem faciemus relationem. Meminerimus tamen quòd dixi cum diſtributione poſſe dici binas literas, & binas epiſtolas, & potius epiſtolas: vt ſciatur diſtributio neceſſaria innui. Cætera manifeſtaria ſunt. Nam quod addo, Caute relationem faciendam: intelligo vt ſingulari carenti nō reſpondeat ſingulare, vt Binas literas dedi, quarum poſterioribus reſponſum eſt. Duas epiſtolas, quarum poſteriori, &c.

De Litera & Epiſtola. CAP. VI.

Litera in ſingulari numero ſignificat elementum ipſum, vt a & b: vel manum ſcribētis, vt ad Atticum Cic. Nam Alexidis manum amabam, quòd tam propè accedebat ad ſimilitudinem tuæ literæ. In plurali verò epiſtolam, præterquam apud poetas, qui pro epiſtola, verſus gratia, in ſingulari ſemper vtuntur. vt Ouidius, Lib.7.epiſt.122

Quam legis à rapta Briſeide littera venit.

Nam quòd Cicero ad Cælium ſcribit, ad ſe nullam literam Bibulum miſiſſe, ita ait, quaſi nullum verbum miſiſſet. quod vt vehementer extenuaret, non dixit verbum aut ſyllabam, ſed literā. Frequentiſſimum igitur eſt literæ pro epiſtola, inter quæ duo nomina hæc elegātiæ differentia eſt, Quòd dicimus vnam epiſtolā, vnas literas: duas, tres, quatuor, quinque epiſtolas: binas verò literas, ternas, quaternas, quinas, ſenas, ſeptenas, octenas, nouenas, denas, nunquam aliter: quale eſſet, vnas, binas, ternas epiſtolas: duas tres, quatuor literas. In hoc tamen conueniunt, vt dicamus Dedi ſingulis, vel vnicuique, vel vtrique, ſiue ſingulas literas, ſiue ſingulas epiſtolas. Item in maiori numero non cōueniunt: vt Dedi ſingulis duas literas, vel binas epiſtolas: ſed binas literas, & duas epiſtolas: nō autē ſecus, de quo iam dixi. In quo obſeruādum eſt de cæteris quoque vocabulis. vt ſi dicas, Accepi abs te binas literas, non ſubiungas, quarum alteri reſpōdi per proximū tabellariū,

alteri nunc respondeo, sed alteris. De epistola verò apertum est: vt Accepi duas epistolas, quarum alteri iam respondi, alteri nunc respondeo. Cicero verò ferè ait, Accepi literas, accepi epistolas. Plinius frequenter etiam recepi, nisi libri mendosi sint.

EPITOME.

AEdes, in plurali significat domum priuatam, pro qua caret singulari: in vtroque autem numero potest capi pro domo sacra, aut pro sacro, aut sacello. Idque ferè cum adiectiuo, aut genitiuo eius cuius est: ideóque in priori significato, distributiua citra distributionem recipit: in posteriori non recipit. Vnde dicere possum, Binas ædes vendidi, & duas Ioui dedicaui: vendidi siquidem priuatas, dedicaui publicas.

De AEdes, & eius deriuatiuis. CAP. VII.

AEdes in plurali accipitur pro domo, nec vnquã aliter. vt, AEdes meas non proscribam. In singulari atque adeo in plurali pro templo. vt Cic. in Philipp. libro primo, Ex eo die quo in ædem Telluris conuocati sumus, in quo templo, quãtum in me fuit, ieci fundamenta pacis. In quo templo, id est, in qua æde Telluris. Sed hac in re differt à templo, quòd semper in vtroq; numero habet adiectionẽ: vt In æde Iouis, Mercurii, Mineruæ: In æde Cõcordiæ, Telluris, Honoris, Virtutis: In æde sacra. Et in plurali, sacras ædes, ædes deorũ, ædes nympharum. Nã quũ ait Lucretius de Ioue loquẽs, Ipse suas ædes disturbat: perinde est, acsi dixisset, Iouis ædes. Igitur pro tẽplo dicemus duas, tres, quatuor deorum ædes, duas sacras ædes: pro domo, binas, ternas, quaternas, priuatas ædes. AEditui autẽ ab ædibus sacris, quas tuẽtur, appellati sunt, non à priuatis. AEdiles quoque magis à sacris ædibus dicti sunt, quibus curandis præpositi erãt. AEdificare autem magis ad domos hominum spectat, quàm deorum, nec domos tantum, verũetiam naues: vt Cicero, Qui quũ maximas ædificasset instruxissétque classes. Neque hoc indignum est admonitione, eum cui domus ædificatur, dici ædificare. vt Idem de cõsulari viro inquit, Qui quum ædificasset in palatio plenã dignitatis domum. Similiter in cæteris verbis. vt Horatius de prædiuitibus, Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

AEditui. AEdiles. AEdificare.

EPITOME.

Liberi, pro legitima prole, etiam prò vnica filia, singulari caret. quia tamen quũ adiectiuum sit, naturaliter singularem recipit, & interdum singulariter profertur: admittit relationem & diuisionem per singularem, & adiectiuum non distributiuum. quod cætera non faciunt. Vnde dicam, E ternis, vel è tribus liberis meis maximus natu diem obiit. Minimus languet, & medius incolumis est.

De Liberi, Pugillares. CAP. VIII.

Liberi pro filiis singularem nō agnoscit, cuius natura à superioribus dissentit. Nam vt dicam, Lego Titio ternas ædes, vnas in foro, alteras in Ianiculo, tertias in Suburra: ita nō dicā Ex ternis liberis meis vnos, alteros, tertios: sed Ex tribus liberis meis vnum in alienam familiam dedi, alterum abdicaui, tertium hæredem institui. Cuius rei causa est, quòd quum dico vnum, alterum, tertium, adiungi solet filium, & tres liberos, quasi tres filios: quod ita non fit in ædes, & in literas, nisi subintelligas domum & epistolam. Sed quid facies in cæteris, in nuptias, & in pugillares? absurdum sit dicere, Vnam nuptiam, vnum pugillarem. Pugillares autem significat tabellas cereas, siue ligneas, siue alterius materiæ, in quibus stylo scribimus. Liberum tamen pro filio & apud Quintilianum, & apud Paulum Caiúmque reperio. Pugillares.

EPITOME.

Hortus in vtroque numero pro olerum solo circunclufo ferè ponitur: refugítque distributiuum citra distributionē. In plurali verò, est quasi paradisus voluptati destinatus locus. pro quo, quia singulari caret, distributiua pro non distributiuis recipit, sed adiectiua singularia respuit. Dices ergo pro priori significato, Emi duos hortos, quorum alterum duntaxat hoc anno colam. Et pro posteriore, Emi binos hortos, quorum alteros hoc anno vendam.

De Hortus. CAP. IX.

Hortus quoque eiusdem naturæ est. Nam in singulari pluralíque pro hortis olitoriis accipitur, id est olera producentibus. Est enim olus, omnis herba satiua qua vescimur, & cuius foliis, vt caulæ, in eduliumvtimur. Hortiverò in plurali arboribus consiti dicuntur, & voluptatis amœnitatísque causa parati. In superiore igitur significatione dicemus vnum hortum, duos, tres hortos. In posteriorevnos, binos, ternos, quaternos hortos: nisi alicuius authoritas aliud sibi vendicauerit. Olus. Hortus.

EPITOME.

Odor, in vtroque numero significat obiectum olfactus seu odoratus: in plurali etiam odoramenta seu res odoriferas, pro quibus, quia singulari caret, cum distributiuis, vt literæ, & horti, poni posset, si numerum nō pondus aspiceret. Vnde inauditum est, Binos odores emi. sed rectè dicitur, India mittit odores. Non capior odoribus Indicis &c.

De Odor.

Odor huic simile est, qua voce notum est quid in vtroque numero significetur: in plurali verò tantum odoramenta, vt odores ex Arabia sunt. Hoc tamen nomē rarò cum numeralibus iungitur, sed cum aliis adiectiuis.

EPITOME.

Commeatus, pro facultate commeandi & recedendi à militia, aut alio ministerio

ad quod tenemur, raro pluraliter reperitur: sed pro annona publica vtroque numero enuntiatur. quocirca distributiua citra distributionẽ non agnoscit. Dico Raro, propter Liuianum exemplum.

De Commeatus. CAP. X.

Commeatus.

COmmeatus autem, & siqua sunt similia, nõ recipiũt talem ambiguitatem. Siquidẽ superiora in vno sensu habẽt vtrunque numerum, in altero tantum pluralem. Hoc verò in altero tantum singularem. Est enim commeatus in singulari tantum pro facultate ad tempus à militia ab alióve ministerio recedendi, quã præbet militi imperator, præpositúsve inferiori, eundique quò velit ad præscriptum diem reuersuro. Licet Liuius libro 23. ait, Magna pars sine commeatibus dilabebatur. In vtroq; autem numero pro cibariis ad alimoniam Reipub. aut exercitus, aut alicuius multitudinis. Interdum etiam priuatim. Cicero pro lege Manilia, Iã cõmeatu, & priuato & publico prohibebamur.

EPITOME.

Quemuis vnum pluraliter affari, nihil illi dignitatis affert, sed potius imminutionem laudis de re bene gesta. Quocirca ad vnum in secunda persona tantum singulariter, & per ea quæ singulos respiciunt, loquemur: in prima tamen modestiæ gratia, licet de nobis nunc singulariter, nunc pluraliter, nunc vtroque modo simul loqui. Cur laudem imminuat, patet. quia gloriosius est quemuis vnum per se, quàm cum pluribus rem claram gessisse. Quocirca principes, modestiæ gratia, ne soli videantur omnia gerere, loquuntur ferè pluraliter de se: vt, Nos Ludouicus Francorum rex, &c. Dixi, Et per ea quæ singulos respiciunt: vt, Tua dignitas domine præses: non, vestra, nisi ad plures loquaris. Nam meus & tuus ad singulos pertinent, noster & vester ad plures. Ad vitandum tamen magnatium stomachum, monet Sulpitius Verulanus ad appellationes honestas confugere. vnde non dicam, Tu dixisti: sed ita, Dignitas, humanitas, vel præstantia tua dixit, &c.

De vsu pluralis pro singulari, & de reditu parenthesis. CAP. XI.

EX his quæ dixi, colligi potest nõ verum esse quod aliqui volunt, quoties author in numero plurali loquitur, declarari dignitatem quandam, & (vt sic dicam) magisterium. Quid enim causæ est, cur hæc nomina pluraliter, non singulariter efferantur? quid Athenæ potius quàm Athena? quid Roma potius quàm Romæ? Sed ne in re aperta dicam pluribus, huic opinioni repugnant cum ipsa rhetorica ars, quæ iubet nos vti modo plurali pro singulari numero, modo singulari pro plurali: tum plurima exempla, adeò vt vno atque eodem loco de se orator in vtroque numero loquatur. Virgilius,

O Melibœe, deus nobis hæc otia fecit.
Nanque erit ille mihi semper deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus,
Ille meas errare boues.

Hic de ſe loquens Tityrus, nũc nos, nunc me ait. Homerus quoque Iliados decimotertio,

ἔρχομαι εἴτι τοι ἔγχος ἐνὶ κλισίῃσι λέλειπται
οἰσόμενος, τὸ νυ γὰρ κατεάξαμεν ὃ πρὶν ἔχεσκον.

Et in proſa, vt Quintilianus in ægro redempto, Vtinam hoc ſaltem mihi ſero fata præſtarent, vt reſiduum laborantis animæ in tuo poneremus amplexu. Et Cicero in Philippicis, quod exemplum in alium etiam vſum volo afferre prolixius. ait igitur, Itaque ego ille qui ſemper author pacis fui: cuique pax, præſertim ciuilis, quanquã omnibus bonis, mihi tamẽ in primis fuit optabilis. Omne enim curriculum induſtriæ noſtræ in foro, in curia, in amicorum periculis propulſandis elaboratum eſt. Hinc honores ampliſſimos, hinc mediocres opes, hinc dignitatẽ, ſiquam habemus, conſecuti ſumus. Ego itaq; pacis (vt ita dicam) alumnus, qui quantuſcunque ſum (nihil enim mihi arrogo) ſine pace ciuili certe non fuiſſem. Periculoſe dico, quemadmodum accepturi P.C. ſitis, horreo. Sed pro mea perpetua cupiditate veſtræ dignitatis retinendæ & augendæ, quæſo oróque vos P.C. vt primo ſi erit vel acerbum auditu, vel incredibile à Marco Cicerone eſſe dictum, accipiatis ſine offẽſione, quod dixero. Nec id, priuſquam quale ſit explicauero, repudietis. Ego ille (dicã ſæpius) pacis ſemper laudator, ſemper author, ſemper amator, pacem cum M. Antonio eſſe nolo. Hæc in eum quoque finem retuli, vt oſtenderem oratores, quum incœptæ orationi aliquid longius inſeruerunt, redire iterum ad id quod incœperant. Aliquando etiam frequentius memoriæ iudicum reficiendæ gratia, vel eodem verbo repetito, vt in proximo exemplo, vel quod idem efficiat. Vt apud eundem & in eodem opere, Collegam tuũ aiunt in hac ſua fortuna, quæ bona ipſi videtur, mihi (ne grauius quippiam dicam) auorum & auunculi ſui conſulatum ſi imitaretur, fortunatior videretur. ſed eum iracundum audio factum. Aiunt & Audio idem efficiunt. Philipp. 7.

EPITOME.

Queſtus ſine diphthongo, à queror, pro querela aut querimonia, ſingulari caret: habétque u ante bus in datiuo & ablatiuo. Sed quæſtus per æ, à quæro, vtrunq; numerum habet, & i ante bus, ſignificátque aut lucrum nummarium, aut actionem lucrandæ pecuniæ. hoc eſt quaſi acquiſitionem. vnde quæſtor, qui vulgo receptor dicitur.

De Queſtubus & Quæſtibus. CAP. XII.

Queſtus in plurali pro querela à queror, vnde fit cõqueror, cuius datiuus & ablatiuus queſtubus, vt portubus. Quæſtus in vtroq; numero, cuiꝰ in plurali datiuus & ablatiuus

est quæstibus, à quæro, vnde fit conquiro, deriuatur per syncopen à supino quæsitum, significátque lucrum nummarium. Nã
Lucrum. lucrum vocamus etiam non nummarium, velut amicitiæ, gloriæ, scientiæ, cæterorúmq; huiusmodi. Quæstum quoque nonnunquam recipi pro actione ipsa, atque artificio lucrandæ pecuniæ. vt apud Ciceronem, Nam de artificiis & quæstibus, qui liberales habendi sunt, qui sordidi. Et Quintilianum, Nam vt primũ lingua esse cœpit in quæstu, institutúmque eloquẽtiæ bonis male vti. Quæstu dixit, quasi acquisitione.

EPITOME.

Scalæ, Sallustius singulari carere docet: quod & Seruius prædicat. Pondo autem, singulari caret: & tamen distributiua citra distributionem respuit. fortè quia & singulare reperitur. Sunt autem pondo, idem quod libra. Ludus etiam, aliud significat in singulari, quàm in plurali, vt alibi dicetur.

De Scala & Pondo. CAP. XIII.

Scala à quibusdam in singulari vsurpatur. Sallustius cum aliis quibusdam ostendit pluralem tantum habere, quum dixit in Iugurthino, Deinde vbi vnæ atque alteræ scalæ comminutæ sunt, qui superstiterant afflicti sunt. non dixit vna atque altera. Põdo autem caret singulari numero teste Foca. Dicimus autem, Duo pondo, tria pondo: non bina pondo, terna pondo. Quintilianus in primo, Quid quòd quædam singula proculdubio vitiosa sunt, iuncta sine reprehensione dicuntur? Nam dua
Duapondo. & tre & pondo, diuersorum generum sunt barbarismi. At dua-
Trepondo. pondo & trepondo vsque ad nostram ætatem ab omnibus dictum est, & rectè dici Messala confirmat. Forsitan huius rei causa est, quòd sicut superius de liberis diximus, ita hic siquis ita loquatur, Relinquo liberis meis duo põdo auri, alterum signatum, alterum rude, intelligitur libram. Idem est enim duæ, tres, quatuor libræ, quod duo, tria, quatuor pondo. Quidam existimant
Deca.3.lib.2. aliud esse, quum legant apud Liuium lib.22, Argenti pondo bina, & sex libras in militem præstare. quum legendũ sit selibras. Quidam etiam singularem huic nomini dãt, & huius ipsius authoris (si editio verax est) nõnulla exempla sunt. Quale est etiam Columellæ, Scyllæ aridæ pondo libram, & quadrãtẽ adiici oportere. Sed nunc pro pondere videtur accipi. Huiusmodi conditionis est ludus & ludi. Sed hæc in alterum librũ reseruamus. Nunc aliquid etiam de numeris addamus.

EPITOME.

Numeralia duo, adiectiue sumpta, nisi alterum fuerit aduerbiale, aut composita fuerint, nõ cohærent sine coniũctione media: qua intercedẽte intra viginti & centum, hoc est vltra viginti & citra centũ, numerus minor aut minimus ferè præpo-

ni vult.sed citra viginti & vltra centum,& componendo, vt quisque maximus est, ita fere primũ sortietur locum:sic tamen vt dum centenarius aut millenarius multiplicatur per minores,minores ipsi suam seruent naturam.Notandũ quoque ante decimum quenque numerum præter primum,pro octo cum numero illis addito posse dici duode,cum decenario sequenti,idque per compositionẽ:& pro nouem, vnde:vt pro octodecim,duodeuiginti:& pro decimooctauo,duodeuigesimus:item pro nouẽdecim, vndeuiginti:& pro decimonono,vndeuigesimus.Pro vigintiocto, duodetriginta: & ita de similibus:neque declinantur duo: vt Anno duodetricesimo &c. Dico Numeralia duo,distincta videlicet,siue ea sint quæ cardinalia vocantur, siue quæ distributiua, siue quæ mensuratiua, siue quæ multiplicatiua, &c. quorum nulla nisi fuerint composita,sine coniũctione cohærent. Vnde non dicã,duo decẽ, sed bis decem. Maro tamen non inepte dixit, Aurea mala decem misi, cras altera mittam.altera inquam,decem.Vnde nõ videtur omnino damnabile quod author damnauit cap.5, Vna quinque,vna decem.potius tamen dixero Decem,aut semel duntaxat decẽ dabo.Addo tamen,Adiectiue sumpta,quia licite dixero,Tres primi, & primi tres.Item Tria millia,& tres senarii.scilicet numeri.Item Primi millesimi, si pluresfuerint.Possunt autẽ omnia multiplicari per aduerbialia: vt,Ter quinque, ter quini,ter quinquies,ter quater:quod aliud est quàm ter & quater.nã ter quater, est duodecies: & ter & quater, septies. ponitur autẽ propter perfectionem numeri septenarii pro perfecte aut consummate.Dixi signanter Fere,quia animaduersum est etiam classicos viros subinde contra locutos: quod nõ magnopere mirandum, quia præcepta de situ vocum raro sunt catholica.Verũtamen quod Valla præcipit, & venustum est, & frequenter à magnis obseruatum: cui etiam,vt dixi,Germanica lingua vt multis aliis de situ præceptis ad vnguem quadrat. Nam ante viginti non ponit coniunctionem,post viginti & citra centum ponit præmisso minore numero, post centum ponit præmisso maiore: sic tamen vt si post centum ponuntur duo numeri,post viginti & citra cẽtum coniũctionem seruato situ debito repetat dicẽs, Centum & quinque & viginti poma.Citra viginti,vt dixi, non ponit cõiunctionẽ, sicut nec Latina nisi rarius,nec id eodem situ.Nam Cicero notatur scripsisse,Septẽ & decem egit annos. Plinius autẽ,Decem & septem millibus passuum ab Vrbe secessit.Plautus autem notatus est scripsisse, Equidem haud sum natus annos præter quinquaginta & quatuor.Et Feroannos octoginta & quatuor.Verum dubites an cõiunctio per librarium ineptulum sit assuta: nam sine ea & metri & locutionis seruetur integritas.Macrobius in aliis quoque notatus dixisse fertur,Annũ ferebat trigesimum & octauum. Sed potest & illic apposita nequicquam censeri coniunctio. Suetonius,Funeratus trigesimo & octauo ætatis anno,& nonagesimo & quinto imperii die.Credã scripsisse trigesimooctauo anno ætatis & nonagesimo quinto imperii die.Idem censeo in illo quod Cicero filius scripsit,Venerunt post diem quadragesimum & sextum: delendam inquam coniunctionem:veluti in illo Ciceronis patris, Cum ætas tua quinquagesimum & sextum annum compleuerit . Sunt post centum,minorem præposuisse notati. Valerius Maximus, Repudium inter virum & vxorem à condita vrbe vsque ad vigesimum & quinquagesimum annũ nullum intercessit.M.Cælius,Legisque vnum & centesimum caput legit,&c. Vbi signabitur quòd vnum pro primum dixit. Quinetiam citra centum legitur cõiunctio sublata, præposito minore numero. Suetonius, Periit cum fratre & filio anno vitæ septimoquinquagesimo.Cicero,Sine vlla molestia sumptúve sociorum septimo quinquagesimo die rem confeci &c.In quibus omnibus facile dicam coniunctionem nõ ab auctoribus ipsis,sed ab librariis temere nunc esse appositam,nunc sublatam:ego certe Vallam sequar. Vt autem sciamus multiplicare per aduerbialia, ea hæc sunt, semel,bis,ter,quater,quinquies,sexies,septies,octies,nouies,non nonies(quia prima corripitur AEneidos 6, Et nouies styx interfusa coercet) decies,vndecies,

duodecies, tredecies, quatuordecies, quindecies, sedecies: vix sexdecies, sed bene septemdecies, octodecies, vel duodeuicies, nouemdecies, vel vndeuicies. Non ausim dicere decies sexies, quia illud sexagies significet: nec deciesseptics, quod est septuagies pro septemdecies: nec octiesdecies, quod vt quateruicies est octogies: & ita de reliquis. Quia tamen vicies dicitur pro vigintics, sunt qui contendunt scribendum vities. Post nouendecies, vel vndeuicies, dicitur vities aut vicies, non vigintics: & tricies seu tricies, nō trigintics: & quadragies, nō quadragintics: sic quinquagies, sexagies, septuagies: octogies, vix octuagies: nonagies. Et deinde sine syncope, centies, ducenties, trecenties, quadringenties, quingenties, sexcenties, septingenties, octingenties, noningenties vel nongenties, millies. deinde bis millies, &c. Per hæc autem multiplicari possunt omnes species numerorum, etiam sine coniunctione: qua interposita, volunt vt intra viginti & centum minor præponatur: quod etiam Teuthonum lingua obseruat: vt, Quinque & viginti. At post centum, dicimus Centum & quinque, non quinque & centū: & ita in aliis. Dixi, Sic tamē, &c. nam Quinque & viginti millia dicam: non, viginti & quinque millia: quanquam totus numerus est vltra centum. Præterea dixi, Præter primum: quia pro octo, non dicam duodecem, sicut pro xcviii. duodecentum. Addam illud pro imperitis qui in ea re, tametsi facillima, multi sunt, Quādo per signa scribuntur numeri, & additur substantiuum, quod fere est ablatiui casus singularis numeri, debere legi per numeralia ordinis, vt Anno M.D.IX. id est millesimo quigentesimo nono. Sed quando additur substantiuum plurale, debere legi per numeralia cardinalia. vt Vixit annos cxii. id est centū duodecim. Et in accusatiuo, Actum circiter annum M. D. I X. id est millesimum quingentesimum nonum. Circiter annos M. D. I X. id est mille quingentos nouem. Præter numeralia hīc & prius dicta, sunt quæ multiplicatiua vocantur, vt simplus, simpla, simplum: duplus, triplus, quadruplus, quintuplus vel quincuplus, sextuplus, septuplus, octuplus, noncuplus, decuplus, centuplus, millecuplus, &c. Vnde fiunt in ex, vt simplex, duplex, triplex, &c. Componuntur autem multifariam: cum annus, vt biennis, triennis, quadriennis, quinquennis, sexennis, septennis, octennis, nouennis, decennis, &c. Neque tamen omnia in vsu sunt: ab inusitatis autē abstinebimus, quū aliter dicere possimus: sicut, Sum anniculus, bimus, trimus, quadrimus: aut bimulus, trimulus, quadrimulus. Sic pro quadragēni, dicam quadragenarium. Item cū mensis, vt bimestris, trimestris. & cum multis aliis, vt bilinguis, biceps, bidens, biformis, bicorpor, &c.

Numerorū signa qui legenda sint.

Multiplicatiua in plus.

In ex.

Cōpositio numerorum.

De ordine numerorum. CAP. XIIII.

PLato vno & octogesimo anno scribens mortuus est. Isocrates quarto & octogesimo anno eum librū qui Panathenaicus inscribitur, scripsisse dicitur: vixítque quinquennium postea. Cuius magister Leontinus Gorgias centum & septem cō pleuit annos. hæc Cicero. Cuius ex verbis datur intelligi, ante cētum præponi numerum minorem: post centum verò, postponi. Quod Quintilianus quoque confirmat, quum ait, Artium autē scriptores antiquissimi Corax & Thisias Siculi, quos insecutus est vir eiusdem insulæ Gorgias Leontinus, Empedoclis (vt traditur) discipulus. Is beneficio longissimæ ætatis (nam centum & nouē vixit annos) cū multis simul floruit. Et paulo pòst, Nam & Isocratis præstantissimi discipuli fuerunt in omni studiorū genere. Eóque iam seniore (octauū enim & nonagesimum compleuit

De Senect.

Lib. 3. cap. 1.

annum) pomeridianis ſcholis Ariſtoteles præcipere artem oratoriam cœpit. Hoc tamen videtur fieri intercedēte cōpula. Nam ea ſublata, vt quiſque numerus maximus eſt, ita primo loco ponitur, duntaxat citra centum. vt, Maior vigintiquinque annis, nō autem maior quinque viginti annis. Etiam in illis quæ ſuprà tractaui, numeralibus, viceniſinguli, vicenibini, viceniterni: aut ſinguli & viceni, bini & viceni, terni & viceni. Supra centum naturalem ordinem ſequimur, vt ſuperiora exempla docent, Cētum & ſeptem compleuit annos, centum & nouem vixit annos. Plinius libro 7. naturalis hiſtoriæ, Centum viginti natos annos Parmæ tres edidere, Brixelli vnū. c x x v, Parmæ duos. c x x x, Placētiæ vnū. c x x x i, Fauentiæ vnam mulierē. c x x x i i, Bononiæ L. Terentium Marci filium. Arimini verò M. Aponium, c l. Tertullam, c x x x v i i. Circa Placentiā in collibus oppidum eſt Velleiacium, in quo c x natos annos ſex detulere, quatuor centenos vicenos, vnum c l. Marcus Mutius Marci filius, Galerius Felix. Ac (ne pluribus moremur in re confeſſa) in regione Italiæ octaua centenûm annorū cenſi ſunt homines l i i i i. centenûmdenûm homines l v i i. cētenū vicenumquinū homines duo, centenûm tricenûm homines quatuor, centenûmtricenūquinū aut ſeptenûm totidem, centenûm quadragenū homines tres. Idem tamē Plinius paulo pòſt ait, Vt tamen in ſeptimum & quinquageſimū atque centeſimum vitæ duraret annum. Ex quo apparet ſine copula maximum quenque numerum præcedere, quū copula nónihil variet, præſertim retrorſum eundo. Adhuc quæ diximus & recitauimus exempla intra numerū millenariū ſunt, ſed in ipſo quoque maximū quenque numerum ſemper præponemus. vt, A natali ſaluatoris anni ſunt mille quadringēti & x x x v i i i. vel mille quadringenti ac trigintaocto. Illud tamē notandum eſt, in millibus eādem eſſe naturam, atque in numeralibus citra centū. vt, Milites noſtri ſunt ſex & viginti millia, non autem viginti & ſex millia: vel, Milites noſtri ſunt vigintiſex millia, ſiue militum nobis ſunt viginti millia, ſiue milites noſtri ſunt vicies mille, ſiue nobis ſingulis ſunt decies mille milites, ſiue nobis ſingulis ſunt dena millia militū, ſiue nobis ſingulis ſunt decem millia militū. Omnia autē quæ locuti ſumus, vltra viceſimū numerum intelligi volo. Nam decem & ſeptem, decem & octo, decē & nouem, normam illam quam dixi, non tenent. His inferiora ne ipſa quidem ſeruant ſuam legem. Illa enim coniunctionem habent interpoſitam, hæc non habent. Veruntamen nec habere poſſunt, quum ſint compoſita, nec plura, ſed ſingula nomina: vndecim,

Cap. 49.

Cap. 52.

duodecim,tredecim,quatuordecim, quindecim,ſexdecim. ſicut illa quoque compoſita, atque vnica ſunt nomina, vndeuiginti, duodeuiginti, vndetriginta, duodetriginta, vndecentum, duodecentũ: hoc eſt vno, aut duobus demptis de viginti, de triginta, de centum. Vt,Ab incarnatione ſaluatoris ſunt anni mille quadringenti duodequadraginta.Et per denominatiua.vt,Ab incarnatione agitur annus milleſimus quadringẽteſimus duodequadrageſimus.Plinius lib.35.naturalis hiſtoriæ, Duodeuiceſima Olympiade interiit Candaules. Licet pleraque exemplaria habeãt duodeuiginti Olympiade. Idẽ proximo libro,Atque adeò duodequadragenûm pedum Lucullei marmoris in atrio Scauri col locari. Duodequadragenûm, pro duodequadragenorum. Titus Liuius lib.primo, Duodequadrageſimo fermè anno,ex quo regnare cœperat Tarquinius.

Cap.8.

Cap.2.

EPITOME.

Domus ſecundæ,ſignificat locum:quartæ,ædificium.quocirca pro aduerbio locali in loco ponitur genitiuus ſecundæ,non quartæ:& ad locum accuſatiuus ſecũdæ, ídque cum adiectiuis ſolummodo loco non ædificio congruentibus, quæ ſæpe ſubaudiuntur. Quæ enim ædificio congruunt,poſcunt ablatiuum cum præpoſitione:vt,Fui in domo lapidea genitùs.Adiectiua autẽ loco congruentia,ſunt,mea, tua,ſua,noſtra,veſtra,propria,aliena. Accuſatiui ſingularis non noſcitur diſcretio, ſed pluralis, vt in illo Ouidii, Quo ruitis? veſtras quiſque redite domos. non dixit domus.

De Domus. CAP. XV.

DOmus genitiuos duos habet: vnum ſecundæ,alterũ quartæ declinationis, domi & domus. Sed prior ſignificat locum vbi quis manet, poſterior corpus ipſum atque ædificium quod ex parietibus conſtat & tecto. vt Domi maneo, non domus.& Partẽ domus demolitus ſum,Superiora domus aſcendi,nõ domi.Nam illud, Domus meæ imperium teneo,non pro loco accipitur,ſed pro familia quæ continetur ædificio, figurate continens pro cõtento. Quod etiã dicere licet domi meæ, quaſi in domo mea. Quòd autem idem ſit domi & in domo, notum eſt. Vnum tamen afferam exemplum Quintiliani lib. 5, In domo furtum factum ab eo qui domi fuit. Datiuus tãtum quartæ eſt.Accuſatiuus indifferens. Ablatiuus ſecundæ. In accuſatiuo & ablatiuo vel cum præpoſitione vel ſine præpoſitione loquimur. vt Reuertor domũ,vel ad domum. Exeo domo,vel è domo, & Sum in domo,vel domi.hoc grammaticæ eſt,illud verò Latinitatis & elegantiæ.Hunc genitiuum ſecundæ non coniungimus, niſi cum tribus ſiue quinque pronominibus, meæ, tuæ, noſtræ, veſtræ,& vno nomine alienæ.vt, Ego viuo domi meæ, nõ viuo

domi tuæ: Erat domi ſuæ: Noſtræ nō veſtræ domi habitare volo. Cicero in libris ad Herenniū, Qui cum iſta ætate & forma alienæ domi nolo dicere. Quidam volunt illud domi aduerbiaſcere. Sed quomodo coniungeretur cū adiectiuis? Quòd ſiquādo quinque hæc pronomina adiectiua ſupprimātur, tamen ſubintelliguntur. vt Domi ero, id eſt meæ. Domi erimus, id eſt noſtræ. Domi eris eritiſve, id eſt tuæ aut veſtræ. Domi erit, aut erūt, id eſt ſuæ. ſicut in altero ſenſu, & in pleriſque nominibus. vt, Partem domus locaui, in altera parte ipſe habito. id eſt partem domus meæ. Et Pater mihi iuſſit, mater tevocat, frater nos expectat: hoc eſt, pater meus vel noſter, mater tua vel noſtra, frater noſter. Quando autem hic genitiuus ſecūdæ regit alterum genitiuum, ſiue pronomen, ſiue nomen, certum eſt. vt, Ego eram domi illius, domi huius, domi Cæſaris, domi Pompeii. Domi autem publicæ, domi priuatæ, domi honeſtæ, domi infamis, domi paternæ, domi maternæ habito, & ſimilia, non licere dicere iam tradidimus.

EPITOME.

Quia quoties, quis vel qui, qualis, quantus, quotus, quot, quoties, quo, qua, vbi, vnde, & ſimilia relatiua, & interrogatiua, aut infinita geminata, poſteriorem partem in cunque reſoluere poſſunt: ideo idem ſignificant, qualiſqualis, & qualiſcunque, &c. Et licet quiſquis nō faciat quiſcunque, ſed quicunque: nec quicquid quidcunque, ſed quodcunque: tamen quiſquis & quicunque, vno eodémque modo ſignificant, quū vtrunque ſit adiectiuum. Quicquid & quodcunque differenter id faciunt, quū quicquid ſit ſubſtantiuum, & ob id, aut adiectiuum eiuſdem caſus, aut ſubſtantiuū genitiui caſus expetat: Quodcūque verò adiectiuum, ſubſtantiuum eiuſdem caſus, non adiectiuum efflagitans. quæ differentia, inter cætera in quid & in quod exeūtia, aut ab eis incœpta, reperitur. Solet autem quicque pro quodcūque, & quiſque pro quicunque vſurpari: & quid, pro in quo. Quodque verò adiectiuum ad ſubſtātiuum tacitū dirigi. Eſt præterea regula Priſciani, Hæc geminata reſoluere poſſe ſecundam partem in cunque: vt, Vbiubi eſt, id eſt vbicunque. Vndeunde, id eſt vndecunque. quotuſquotus, quotuſcunque. quotquot, quotcunque. Quia tamen non omnes particulæ poſſunt componi cum quis, quæ componi poſſunt cum qui, nec econuerſo: ideo quiſquis non reſoluimus in quiſcunque, ſed in quicunque. Quapropter notanda ſunt ad hunc locum, quæ alibi diximus, in hanc formam:

Poſt quis pone piam (non poſt qui) nam, que, putas, quam.
Dam, vis, cunque, libet, non quis, ſed qui ſibi ſubdet:
Aſt aliquis, nequis, ſiquis, nunquis, ſimul ecquis,
Sola qua dant, non quæ, quoties reperitur vtrunque.

Quorum verſiculorum ſenſus eſt, Has particulas piam, nam, que, putas, & quam, non coniungi qui, ſed quis. Dicimus enim, Quiſpiam, quiſnā, quiſque, quiſputas, & quiſquam: & per geminationem, quiſquis: quod non reſoluitur in quiſcunque, ſed quicunque. Nam dam, vis, cunque, & libet, coniunguntur econtrario cum qui, non cum quis. vt, Quidam, quiuis, quicunque, quilibet: non, quiſdam, &c. Componitur præterea quis cum particulis præpoſitis, alius, & fit aliquis: ne, & fit nequis: ſi, & fit ſiquis: nun, & fit nunquis: en, & fit ecquis. de quorum declinatione hoc ſciendum, quòd in nominatiuo ſingulari fœminini generis, & in nominatiuo & in accuſatiuo

pluralibus neutri generis, vbi simplex habet quæ vel qua: hæc habent tantum qua: præterquam ecqua, non quæ. cætera autem omnia, quæ, non qua: vt quædam mulier, & aliqua monstra: non quadam mulier, neque aliqua mõstra. Dixi Præterquã ecqua, quia etiam ecquæ legitur. Verum (vt ad literam redeamus) à quis aut qui cõposita, quæcunque quid habent, siue in priore parte, siue in posteriore, substantiua sunt, adiectiuum eiusdem casus, aut substantiuum genitiui casus efflagitantia. Quæcunque quod, adiectiua, substantiuum aut tacitum aut expressum eiusdem casus efflagitantia. vt aliquid & quiddam, substantiua sunt, aliquod & quoddam adiectiua. Dicam ergo, Aliquid & quiddam mõstri, & aliquod & quoddam monstrum. Tunc autem, Aliquis vel aliquid dicam, quando ego ipse nescio quis vel quid sit. Est enim quasi alius vel aliud, quis vel quid. Tunc vero quidam vel quiddã, quũ de re certa mihi, loquar. Vt, Aliquis fecit: nescio tamẽ quis. Quidam vestrũ fecit, vt ei aliquando dicturus sum.

De compositis à Quis vel Qui. CAP. XVI.

Quicquid.

QVisquis & quicunque pro eodem accipi solent: vt, Quisquis es, huc venias: & Quicũque es, huc venias. Quicquid & quodcunque non accipiuntur pro eodem, quum alterum sit substantiuũ: vt Quicquid festiuum, quicquid molle, quicquid tenerum, quicquid iucunditatis, quicquid gaudii, quicquid pecuniarum. Alterum adiectiuum: vt Quodcunque telum, quodcunque scutum, quodcunque iaculum. Cuius differentiæ causa est, quòd voces hæ in masculino conuenientes, in neutro postea discordant. Erat enim quidcunque & vox & significatio similior, si reperiretur, eo modo quo dicimus quicq; & quicquid. quodque enim siue vnũquodque componitur à quod. Sed vt nõ reperitur quidcunque, ita nec quodquod. illud nanque componitur ex qui, quæ, quod. hoc autem ex quis & quid: carétque genere fœminino, quinetiam masculino in accusatiuo casu, tantúmque habet nominatiuum Quisquis, quicquid, accusatiuum quicquid, ablatiuũ quoquo, tum in masculino, tum in neutro. Nonnũquam etiam in fœminino quaqua, vt apud Suetonium de vita Titi, Galba mox tenente rẽpublicã missus ad gratulandum, quaqua iret, cõuertit homines, quasi adoptionis gratia accerseretur. In accusatiuo quoque interdum in alio genere quàm neutro, sed vix apud oratores. Plautus in Captiuei duo,

Quodcunq;.

Act. 4.

Nam meus est balista pugnus, cubitus catapulta est mihi,
Humerus aries: tum genu vt quenquem icero, ad terram dabo:
Dentilegos omneis mortales faciam, quenquem offendero.

Quenquem, id est quencunque. Sergius autem Donatum commentans, ait, Vtraque parte declinatur hoc pronomen Quisquis, cuiuscuius, cuicui, quenquem, quisquis, à quoquo: quiqui, quorumquorum, quibusquibus, quosquos, quiqui, à quibusquibus. Noli putare hoc casu declinationis esse, vt apud Ciceronem re-

mansit, cuicui. Hæc Sergius. Igitur quũ sit compositũ quicquid ex quid, quodcunque ex quod, debuit illud esse substantiuum, vt quid & aliquid: hoc adiectiuũ, vt quod & aliquod. Dicimus enim Quid feci? non autẽ, quod feci? Aliquid feci, non autem aliquod feci. Itẽ Quod malũ feci? nõ autẽ Quid malũ feci, sed quid mali? Et Scio quid faciam, non autẽ Scio quod faciã. Video quid facis, sæpius quàm video quod facis. Ita & cætera ab his cõposita, quiddam, quoddã. Nã quiddã adhæret adiectiuo, quoddã substãtiuo. vt Mirabile quiddã, obscœnũ quiddã, quiddã maius. At Quoddã templũ, quoddã nemus, quoddã antrum, oppidũ quoddã, in quo nulli ferè errant. Hîc autẽ multi, pro quidque ponẽtes quodque, vt Optimũ quidque, honestissimũ quidque, saluberrimũ quidq;: vbi non licere poni quodque, ex his liquet exemplis: Optimum quodque prædium, honestissimũ quodque consiliũ, ex iumentis quæ cæpi, decimũ quodque sit tuũ. Nã substantiui natura est, cõiungi cum adiectiuo: Adiectiui verò, cum substãtiuo, quasi connubio quodã. Ideo vbicũque est substantiuũ, desyderat adiectiuũ quasi coniugẽ, impatiens alterius substantiui. Rursum adiectiuũ sine substãtiuo, tanquã sine viro, esse nõ potest, cum altero adiectiuo nihil consortii habẽs. Eóq; factũ est, vt hi quos dixi errarẽt, quòd quãdoq; videtur sine substãtiuo esse quodque. vt Reliquit mihi pater multa prædia, quorũ optimũ quodque sublatũ mihi est, vel ex meis multis prædiis optimũ quodque mihi sublatũ est. Sed omnibus liquet subintelligi substãtiuũ: sic, Optimũ quodq; prædiũ. Quodque autẽ idẽ esse quod vnũquodq;, antè significaui. Quintilianus, Nec causas cur quodque eorum accidat, prosequi proposito operi necessariũ est. Hoc quoq; addamus, Quid solere vsurpari pro in quo: vt apud eundẽ, Quid tibi tantum mali feci? quid offendi? Et alibi, Siquid offendi. Cicero in Lælio, Quid enim indigens Africanus mei? Eodem modo nihil, vt Nihil te offendi. De differentia autẽ inter quidã & aliquis, siue quispiã, siue quisquam: quòd illud certũ hominẽ, hoc vnũ quemlibet significat, in libris dialecticis disputauimus. Hîc tantum admonendum est, quosdã his posterioribus eo modo vti, quo ego non vterer, pro illo superiore. vt Hieronymus, qui sic librum de Hebraicis quæstionibus exorditur, Qui in illis principiis librorum debeam secuturi operis argumentum proponere, cogor prius respondere maledictis, Terentii quippiam sustinens, qui comœdiarum prologos in defensionem sui dabat. Ego dixissem quiddam potius, quam quippiam. De certo enim crimine loquitur, non de incerto. Idem est enim quippiam, quod aliquid. Sed de hoc in libris

Quid.
Quod.
Quidque.
Quodque.
Nihil.
Quidam,
Aliquis,
Quispiam,
Quisquam.
Lib. 2. cap. 25.

his quos dixi, latius .Sed fortè Hieronymus ſcriptum reliquerat quiddam,& librarii in quippiam mutauerunt.

EPITOME.

Pars à toto,& proprietas à ſubiecto regitur in genitiuo,vel in ablatiuo,mediãte adiectiuo laudis vel vituperii eiuſdem caſus cuius eſt dictio recta:ſine quo raro genitiuus & ablatiuus nunquam ſic conſtruitur. Reperitur autem adiectiuum dictioni regenti conformatum,ſtante dictione recta in ablatiuo vel accuſatiuo. quæ locutio ab aliis Græca figura,ab aliis ſynecdoche appellatur: quam in accuſatiuo præſertim ſummopere fugiemus in oratione cultiore præſertim oratoria:nã A.Gellius non vſquequaque vitat.In ablatiuo tamen nonnunquam recipiũt hiſtoriographi.Licet ergo quinque modis partem præcipue regi. aut in ablatiuo,mediante adiectiuo caſus ablatiui:& eſt oratorũ. aut in genitiuo, mediãte adiectiuo genitiui caſus:& eſt grãmaticorũ. aut in genitiuo,mediante adiectiuo conformato toti: & eſt poetarũ & hiſtoricorũ, vt Miſer,vecors,infœlix ãnimi:& plurima quæ in grammatica diximus. aut in accuſatiuo, mediante adiectiuo conformato toti: & eſt poetarum, per Græcam figuram,quam oratores, vt dixi,vitant,loquentiũ.aut in ablatiuo,mediãte conſimili adiectiuo : & eſt etiam hiſtoriographorum . Niſi tamen præcipue ſubſit ratio concentus & ſonoritatis,non vtemur ſimul (intercedente præſertim coniũctione) diuerſis caſibus. Verbi gratia,Vir duro capite:oratorum eſt. Vir duri capitis: grammaticorum. vſqueadeo vt Seruius huiuſmodi locutiones per ablatiuum, dicat pro locutionibus per genitiuum poſitas.vt quarto AEneid. Lato venabula ferro. Pro lati (inquit) ferri.Vir modicus voti, pro modici voti:&Vir durus capite: hiſtoriographorum eſt & poetarum. Vir durus caput:duntaxat poetarum . Seruius autem,dum accuſatiuus mediante nomine adiectiuo ſic regitur, concedit eſſe ſynecdochen.quando mediante verbo neutrali ſeu paſſiuo,aut eorum participio,dixit Græcam figuram.Cætera in litera patent.

De affinitate genitiui & ablatiui. CAP. XVII.

MAgna authoritate eſt vir,vel magnæ authoritatis (vtroq; enim modo dicimus) ſed raro ſine adiectiuo, duntaxat in genitiuo.Nam in ablatiuo nunquã.vt Cicero in Salluſtium, Nũquid quos protulit Scipiones & Metellos,antè fuerũt aut opinionis,aut gloriæ,quàm eos res geſtæ ſuæ, & vita innocentiſſime acta commendauit ? Cæterum in eadem oratione non eſt vtendum genitiuo & ablatiuo,niſi velimus illud Plinianum ex libro ſeptimo naturalis hiſtoriæ ſequi,Choromãdarum gentem vocat Tauron ſylueſtrem ſine voce, ſtridoris horrendi, hirtis corporibus,oculis glaucis,dentibus caninis.Poterat dicere, ſtridore horrendo. Quanquã (quod ad elegantiam pertinet)ego pro lege accipio quicquid magnis authoribus placuit, quorum in primis eſt Plinius. Præſertim quum Cicero ad Lentulum ita ſcribat, Lentulum noſtrum eximia ſpe, ſummæ virtutis adoleſcentem,quũ cæteris artibus, quibus ſtuduiſti ſemper ipſe, tum in primis imitatione tui fac erudias.Licet illud eximia ſpe,poſſet videri ſeparatum ab illo, ſummæ virtutis, quod regitur ab illo, adoleſcentem.Vt ſi dicas,Habeo ſumma ſpe filium,adoleſcẽtem

Marginal notes: Cap.2. (beside "num ex libro ſeptimo naturalis hiſtoriæ"); Plinii auũculi cõmendatio. (beside "in primis eſt Plinius")

optimæ indolis. Quod si ita non est, licebit in vtraque oratione vti genitiuo & ablatiuo, tamen (vt ego sentio) parcé. Nam illud ab hoc loco separatum est, quod idem dixit, Scipio Africanus id ætatis atque his rebus gestis. Illud enim id ætatis, vel idē est quod ea ætate, sicut dicimus Decem annis vixi, & more Græco decē annos: quam honestiorem locutionē Seruius putat: vel aduerbialiter ponitur, vel subintelligitur habens vel agens, vel natus id ætatis. In quo protinus admoniti sumus, oratores summopere synecdochen refugisse. quale foret, Gentem stridore horrēdam, hirtam corporibus, oculis glaucam, historici non refugerunt: vt Sallustius, At ex altera parte Caius Antonius pedibus æger in prælio adesse nequibat. Cicero, Quintilianúsque dixissent, pedibus ægris. Nec dixissēt, Doleo caput, doleo ilia, aut ilibus: esset enim synecdoche. Sed, Dolet mihi caput, & ilia tibi dolēt. In hoc verbo & illud notādum est, quòd de re extra nos posita, sicut de corpore nostro loquimur. vt, Istud quod facis dolet mihi, vtinā doleret tibi. vt apud Terentium,

Id ætatis.

Synecdoche.

Doleo.

Dolet dictum adolescenti pudenti & libero. Et iterum,
Si istud itidem doleret tibi, vt mihi dolet.

Et in eadem comœdia, Fac illi quod itidem doleat. Quod nunquam per synecdochen dicere possumus. Nam Ego doleo istud quod fecisti (qui sermo vt superior, apud authores est frequens, vt Sallustius, Quasi dolens eius casum) nō est synecdoche. Hæc enim figura tantū ad animi & corporis qualitatē pertinet, nihil ad externa respiciens, qualia fuerint, Doleo caput, doleo ilia: & hic, Pulcher faciē, ornatus animū. Ideóque illa synecdoche non erunt, Potens diuitiis, grauis pietate, præditus dignitate.

EPITOME.

In, cum verbo incîdo incîdor, aut participio eius, regit ablatiuos omniū dictionū, excepto nomine æs, quod potius in accusatiuo regitur: vt Literæ incisæ in marmore, ligno, vel in æs. Dico Potius .i. elegantius & concinnius: quia etiam in ablatiuo reperitur. Vnde Mācinellus, In æs incisæ sunt literæ, & in ære quoque legitur. Plinius enim Iunior, vbi de laudibus Traiani loquitur, sic ait, Sed quid singula cōsector & colligo, quasi verò aut oratione cōplecti, aut memoria consequi possim, quæ vos Patres Cōscripti, nequa interciperet obliuio, & in publica acta mittenda, & incidenda in ære censuistis. Hæc ille. Addit Nestor exemplum Ouidianum è libro Fastorum 4, At bona posteritas puppim formauit in ære. Sed ibi non est verbum incîdo, de quo Valla loquitur: qui dicens, quantum inueni, non omnino alium vsum negat. Miror tamē eū nō inuenisse illud Ciceronis in oratione de signis quod Calepinus affert sic, Id non modo conscripserunt, verumetiam in ære incisum nobis tradiderunt. Suetonius autē in Cæsa. cū accusatiuo cōstruxit, Ac mox lege in æs incisa. Dicamus ergo vtrunque rectè dici, Incisum in æs & in ære: & pari ratione, si exempla suppeterent, in marmor & in marmore: & ita de aliis. Nulla enim videtur causa differentiæ, sed cur vtrunque liceat, hac coniectura colligi potest: quòd qui in-

Mancinellus.

cîdit, aliquid educit quod prius erat in materia, vnde ablatiuo locus eſt: & aliquid loco atramenti infert, vnde & accuſatiuo: quia foris infertur.

De in auro,& in æs. CAP. XVIII.

IN marmore inciſæ ſunt literæ, in gemma, in lapide, in ligno, in auro: nõ autẽ in marmor, in gemmã, in lapidem, in lignũ, in aurum. Ediuerſo in æs, non in ære. Ita enim apud omnes authores (quantum inueni) ſemper ſcriptum eſt. Liuius libro tertio, Prius quàm vrbem egrederẽtur, leges decemuirales (quibus duodecim tabulis eſt nomẽ) in æs inciſas in publico propoſuerunt. Sed quid exempla ponimus paucorum, quod omnes facere affirmamus?

EPITOME.

Quoties relatiuũ Qui, quæ, quod, ponitur inter duo ſubſtantiua, quorũ ſequẽs eſt alicuius rei proprium, cõformabitur potius ſequenti, quàm antecedenti, præſertim antecedente verbo ſubſtantiuo aut vocatiuo, alioquin tam antecedenti quàm ſequenti conformari poteſt. Eſt autem hæc Seruiana regula in primũ AEneidos, quam non omnes obſeruauerunt, vt patet de Valerio quem citat author.

De venuſtate diſcordiæ relatiui cum antecedente. CAP. XIX.

RElatiuum frequenter non reſpondet antecedenti, neque in genere, neque in numero, vtique quum reflectitur eius ſententia ab antecedente ad ſequens ſubſtãtiuum. De maſculino in neutrum. vt Salluſtius, Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellatur. Quod aliter dixit Valerius Maximus libro ſecundo, Antea ſenatus aſſiduam ſtationem eò loci peragebat, qui hodie ſenaculũ appellatur. Et Plinius, In coitu verò lunæ, quod interlunium vocant, quum apparere deſierit. Mutato etiam numero: vt Cicero, Quibus tandem gradibus Romulus ad cælum aſcendit? hiſne quæ iſti appellant bona? De maſculino quoque in fœmininum: vt idem, Omnes tenues atque humiles, quæ maxima in populo multitudo eſt, ſibi præſidium paratum putant. Et Virgilius, Nec partem poſuere ſuis, quæ maxima turba eſt. Manente quoque genere videtur fieri quædã mutatio: vt Quintilianus, Vbi verò vniuerſas familias fames extinxit, quæ maxima pars eſt, inanes domus ſitum ducunt. Ediuerſo de fœminino in maſculinum non mutato numero. Salluſtius, Ea fines habet ab occidẽte fretũ noſtri maris & Oceani, ab ortu ſolis decliuem latitudinem, quem locum καταβαθμὸν incolæ appellãt. Mutato etiam numero: vt Quintilianus, Reſiſtam his qui omiſſa rerũ, qui nerui ſunt in cauſis, diligentia, quodam inani circa voces ſtudio ſeneſcunt. Et alibi, Et ſupplicationes, qui maximus honor victoribus bello ducibus datur, in toga meruit. De neutro in aliud

genus. Sallustius, Ipse ex flumine, quam proximam oppido esse aquam suprà diximus, iumenta onerat. Mutato etiam numero. vt Liuius, Anxur fuit, quæ nũc Tarracinæ sunt, vrbs prona in paludem. Aliquando sine vllo certo antecedenti. vt Quintilianus, Ego, quæ fœlicissima vel lassitudo, vel satietas est, virtute consenui. Diuersum huic genus est quũ dictio respondet antecedẽti, quum deberet respondere sequenti substantiuo. vt apud Virgilium, At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo. Liuius libro 25, Scipio cui Africano fuit cognomen. Qui modus per datiuum licet frequentior sit, tamen nonnunquam & nominatiuo, quod est magis generale, vtimur. vt Cicero, Argentarius Sextus Clodius, cui nomen est Formio. Et Quintilianus, Notum est quid Gliconi acciderit, cui Spiridion fuit cognomen. Neque per relatiuum modo, sed etiam citra relatiuum: vt Terentius, Hecyra est huic nomen fabulæ. & hoc per nominatiuum. Per datiuũ. vt Liuius libro primo, Faustulo fuisse nomen ferunt. Et Solinus de memorabilibus, In aqua mollis est Vnio: duratur euisceratus. Cap. 66. Nunquam duo simul reperiuntur: vnde vnionibus nomen datũ. Hæc de datiuo. Est & accusatiuo quoque sua natura, vt antecedẽs sequatur casum relatiui relicto suo: vt apud Virgilium, Vrbem quam statuo vestra est, subducite naues. Oratores autem postponunt antecedens: quale foret, Quam vrbem statuo vestra est. vt apud Ouidiũ, Cecidere manu, quas legerat herbas. & quale est Quintiliani, Timeo ne quos porrexerim cibos, venena fiant. In mathematico. In quo est habita ratio venustatis, vt relatiuum & antecedẽs sint in eodem casu: sed sæpius antecedente postposito. quanquam apud Ciceronem nonnulli illud in Sallustium sic legunt, Nunquid eos quos protulit Scipiones & Metellos, antè fuerunt aut opinionis, aut gloriæ? quidã legunt, Nunquid hi quos protulit. quidam, Nunquid quos protulit. Tale est in Euangelio, Sermonem quem vos audistis, non est meus. Quod in Græco, hoc est in fonte, est sermo, non sermonem. vnde interpres noster transferens maluit Latinè, quàm * Græce loqui. *grãmaticè Nec ignoro qualia imperiti in hoc Euangelii loco disputare soleãt, profecto nequaquam sic disputaturi, si Græcam linguã mediocriter, Latinã perfectè tenerent. In tali sermonis genere, vel idẽ nomẽ repetemus, Antecedentis repetitio. vel accusatiuum in debitum casum resoluemus. Nam vtrũque fieri exemplis comperimus. Siquidem ita frequenter locuti sunt authores, Quas res tibi tum terra, tum mari nuper commisi, hæ res sint cum fratre communes: vel, Hæ sint tibi cum fratre communes: vel, Ex eis aliquas cõmunicabis cum fratre. Et item per

cæteros casus: vt, Quarũ rerũ non indiges, eas res donabis mihi: vel, Hæ res meæ erũt: vel, Hæ res auxilio mihi esse poterũt. Et ita multis modis per casus variare orationẽ licebit. Cicero pro Ligario, Sed hoc nõ cõcedo, vt quibus rebus gloriemini in vobis, easdem in aliis reprehendatis. Et paulo post, Quotus enim istud quisq; fecisset, vt à quibus partibus in dissensione ciuili non esset receptus, essetq; etiã cum crudelitate reiectus, ad eas ipsas rediret? Idẽ tamẽ in rhetoricis inusitatius, Sulpitio cui paulo antè omnia cedebant, eũ breui spatio non modo viuere, sed etiã sepeliri prohibuerũt. Illud magis poeticũ, quale apud Horatium in Epodo,

Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliuiscitur? Et iterum in prima Satyra,
Quî fit Mecœnas, vt nemo quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa
Contentus viuat, laudet diuersa sequentes?

EPITOME.

Quoties huic complexo, ne dicam, præcedit substantiuum nominatiui casus, & sequitur adiectiuum: idipsum quod sequitur, ponetur in accusatiuo. quoties autem substãtiuum cum adiectiuo suo sequitur, vtrunque ponetur in nominatiuo, à quo sæpe in accusatiuum legitur mutata locutio. Causa differentiæ est, quia in priore modo intelligitur eum, in posteriore verbum aliquod: vt, Homo prudens, ne dicã (subaudi eum) sapientem. prudens, ne dicam sapiẽs, homo supple, id fecit, aut dixit, aut est. Similiter vbi oratio de nominatiuo mutatur in accusatiuum, sufficietur nominatiuus suppositi loco, vt litera declarat. Ex vtroque autẽ capite tam hoc quàm superiore, elici posset: quòd ad Latinitatem satis est videri congruitatem esse in construendo, tametsi non est pro lege grammatica.

De interiectu huius vocis, ne dicam, & dicere oportet, similiúmque. CAP. XX.

HOmo prudens, ne dicam sapientem, melius quàm, ne dicam sapiẽs. Cicero pro Deiotaro, Crudelis Castor, ne dicã sceleratum & impium. Et hoc, substãtiuo præcedẽte, secus autem sequẽte, quale esset, Crudelis ne dicã sceleratus & impius Castor, & Prudens ne dicam sapiens homo. Nam si ponamus in accusatiuo, perquam absurdũ foret: sic, Crudelis ne dicã sceleratum & impiũ Castorem, & Prudens ne dicã sapientem hominẽ. In priore enim modo subintelligitur eum, sic, Crudelis Castor, ne dicã eum sceleratũ & impiũ. In aliis casibus nõ est hæc neque diuersitas, neque causa. vt Idẽ, An sperasset hoc, viuo Milone ne dicam Consule? vel sic, An sperasset hoc, viuo ne dicam Cõsule Milone? Illud eiusdem in libris ad Herenninm, neque dissimile his, neque vsqueadeo simile est, Obfuit plurimũ eo tempore reipublicæ Cõsulum siue malitiam, siue stultitiam dicere oportet, siue potius vtrunque. Nam vbi erit suppositum? certe deest. Illud

nanque verbum quod interiectum est, de nominatiuo mutauit in accusatiuum. Sed sicut in Euripo aut Siciliæ freto inflata vento vela, aquarum impetus retroire cogit: ita orationē lege grāmatica euntem, authoritas ipsa consuetudóque inhibet ac repellit. Verum (vt Grammaticorum expectationi satisfaciam) sic erit construendum, Aut stultitia Consulum, aut malitia, aut potius vtrunque obfuit plurimum eo tēpore reipublicæ, siue illud factum Consulum dicere oportet stultitiam, siue malitiam, siue potius vtrunque. vel sic, Obfuit plurimum reipublicæ eo tēpore Consulum factum, siue illud malitiam, siue stultitiam eorum, siue vtrunque dicere oportet.

EPITOME.

Audiui te vt cæteros affuisse in prælio, significat te in prælio affuisse, vt cæteri affuerunt. Audiui, vt cæteri, te in prælio affuisse, significat id me, vt cæteri audierūt, audiuisse. quæ ratio in aliis quoque signanda est.

De infinitiuo, vel interiecto, vel postposito. CAP XXI.

AVdiui te vt cæteros affuisse in prælio, & Audiui te affuisse in prælio, vt cæteri. Hîc subintelligitur affuerūt, ibi intelligi non potest, statim sequente infinitiuo, & omnia ad suum regimen trahente. Itaque sic exponitur, Audiui te affuisse in prælio, vt audiui cæteros affuisse. Alterum verò (vt dixi) hoc modo, Audiui te affuisse in prælio, vt cæteri affuerunt. Quod nequaquā conceditur sic dicere, Audiui te vt cæteri affuisse in prælio. Hoc enim declarat, Audiui vt cæteri audierunt. Alterum fortasse sic, Audiui te affuisse in prælio vt cæteros.

EPITOME.

Quoties verbo substantiuo, aut eius participio quod est ens expresso, aut aperte intellecto præponitur vocatiuus, sequetur non vocatiuus, sed nominatiuus: sed sine tali copula, plures vocatiui ad idē pertinentes bene cohærent. Propertius enim vocatiuo participiali adiecit vocatiuum dicens, Lectule deliciis facte beate meis. Et Seruius exponēs illud tertii AEneidos, Coniugio Anchisa Veneris dignate superbo: dicit dignate, id est digne habite: vbi liceret dicere, dignus habite: sicut Defende me tu vir optimus. scilicet qui es, aut ens, & ita in aliis. Ratio huius est, quòd vocatiuus à tergo verbi aut participii regi recusat. Subauditur autem participium tribus modis, primo dum exprimitur pronomen tu sequente nomine appellatiuo non solo proprio. Secundo dum vocatiuum tam proprii nominis quàm appellatiui sequitur nomen cum adiectiuo. Tertio quandocūque à tergo regi conuincitur. Exemplum primi: vt Defende me tu vir optimus. Secūdi: vt Nate meæ vires, &c. Tertii: vt Helene regnas medius sæuissimorum hostium. Et illud Plinii hoc ordine rectum sit, Salue Marce Tulli parens patriæ appellate primus. Nec parens est vocatiuus, sed nominatiuus.

Vbi vtimur nominatiuo pro vocatiuo, vel contrá. CAP. XXII.

DEfende me domine, Adiuua me optime vir, Tace imperite homo, mutato vocatiuo in nominatiuū nō recte dicetur. Itē, Defēde me tu Deus meus, Adiuua me tu vir opti-

mus, Tace tu homo imperitus. Hîc per nominatiuũ recte loquimur. ſubintelligitur enim ens, hoc modo, Tu ens dominus meus. Qua ratione defendi poſſet illud in pſalmo, Domine dominus noſter: niſi ſumptum eſſet è Græco. Idem fit in vocatiuo alicuius nominis. Virgilius,

Nate meæ vires, mea magna potentia ſolus.

Idem fit in nominibus propriis, quod fit in hoc pronomine, & in vocatiuis caſibus, ſic, Aue Cæſar ſummus imperator. Neque illud tantummodo in imperatiuo, verumetiam, & quidem facilius, in aliis modis. vt, Quo tendis AEnæa extremus omniũ Troianorum, vel extreme? Viuis & regnas Helene dono deûm, & regnas medius ſæuiſſimorum hoſtium, melius, quàm medie. Malè per ſolum proprium nomen, aut iunctum cum pronomine. vt, Quid facis tu Seruius? aut per nomen appellatiuum ſine pronomine: vt, Quid facis dominus meus? niſi tali modo, vt, Quid ſedes inter ſeruos dominus? hîc ſubintelligitur ens, ibi ſubintelligi non poteſt. Quare illud Plinianum in libro ſeptimo de naturali hiſtoria, niſi menda librarii eſt, non placet mihi, Salue primus omnium parens patriæ appellate. vbi non modo appellate à primus in caſu diſcordat (quod etiam imperitis ad reprehenſionem patet) ſed ne appellatus quidem ſi diceretur, planè Latinum foret, quum fuerit dicendũ prime, ſiue ſic, Salue tu Marce Tulli primus omnium parens patriæ appellatus, ſiue, Salue tu prime omnium parens patriæ appellate, vel, Salue parens eloquẽtiæ primus omnium pater patriæ appellatus. Eſt enim illud parens vocatiuus.

Cap. 30.

EPITOME.

Verbum eſſe, quoties præcedit nominatiuus, vult vt nominatiuus eiuſdem rei ſequatur. quoties genitiuus, datiuus, accuſatiuus, aut fortè ablatiuus: vt idem caſus aut accuſatiuus, quo tamẽ præcedente cum nominatiuo, interdum eleganter ſequitur nominatiuus. dum verò eſſe ſuppoſitum eſt, accuſatiuum petit. Verbi gratia, congrue dico, Spero tibi eſſe amicus. Miſerere igitur volentis tibi eſſe amici, aut fortè amicum. -mediocribus eſſe poetis, Non dii, non homines, non conceſſere columnæ. Parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus. Spero te eſſe amicum mihi, non amicus. Lucanus tamen dixit libro 10, Vtque fidem vidit ſceleris, tutúmque putauit Iam bonus eſſe ſocer: lachrymas non ſponte cadentes Effudit, gemitúſque expreſſit pectore læto. Cõſimiles locutiones adducet Mancinellus, Præcedẽte autẽ vocatiuo, quomodo loquendũ ſit, in proximo capite dicemus. De ablaituo videtur par ratio quæ de genitiuo: vt, Damnor à nolẽte eſſe bono, potius quàm bonũ. Sed dum ſuppoſitum eſt, accuſatiuum ſecum trahit: vt, Eſſe pauperem & fidelem melius eſt, quàm eſſe diuitem & infidelem. Ab locutionibus tamen minus receptis abſtinebimus. Verba Mancinelli ſunt, Præcipe illi eſſe mihi familiaris, Ne libeat tibi eſſe intimus: nullo pacto Latine dicitur. Non enim hoc genus loquendi apud aliquem probatum authorem reperitur. Nam ſi recte aduertimus Lucani illud, -tutúmque putauit Iã bonus eſſe ſocer: non ſimile eſt illis, Præcipe illi eſſe mihi fa-

Mancinellus.

miliaris,Ne libeat tibi esse intimus. Hic enim datiuus præcedit:apud Lucanum verò,præcedit & sequitur nominatiuus.Dicendum igitur,Præcipe illi esse mihi familiari vel familiarem. Ne libeat tibi esse intimo:vel,Ne libeat tibi esse intimum.Ouidius lib.8.Metamor. -vobis immunibus huius Esse mali dabitur. Quintilianus libro 3,An illi accidat viro bono esse vel malo.Hypermestra ad Linũ,Quo mihi cõ misso nõ licet esse piam. Quintilianus lib.7,An huic esse procuratorẽ liceat.Et lib. 4,Procuratorẽ tibi esse nõ licuit.Terentius in Heaut. Nõ expedit bonas esse vobis. Cæsar libro 6. de bel. Gal. Quibus iam licet esse fortunatissimos. Lucanus libro 3, -nunquã tibi Magne per vmbras,Pérque meos manes generũ nõ esse licebit. Illud autẽ Ouidii,Me tamen excepto, qui precor esse tuus: & grãmatice & Latine dictũ, cũ & præcedat & subsequatur nominatiuus.Neque inficias eo,& grãmatice & Latine etiã dici,Quẽ precor esse tuũ.nã talis ordo esset,Quẽ tuũ esse precor:vt Nasonis illud lib.5.Metamor. -quãtũ est Esse Iouis fratrẽ. Terentius in Eunu. Apparet seruũ hũc esse domini pauperis. quod etiã dicere licuit ita,Apparet seruus hic esse domini pauperis.Vatinius enim libro 5.epist.ad Ciceronẽ inquit,Dicitur mihi tuus seruus fugitiuus Vardacis esse . Cæterũ Lucani illud dicendi genus, -tutúmque putauit Iã bonus esse socer: apud alios quoque legere est. Ouidius lib.7. Metamor. -sed enim quia rettulit Aiax Esse Iouis pronepos.Et libro primo de Ponto ad Maximũ,Hoc vbi viuendũ est,satis est si consequor aruo,Inter inhumanos esse poeta Getas. Vbi quidem aduertendam est,esse,tunc habere verbi casum,non infiniti:est enim sum,verbum similium copulatiuum.

Vbi vtimur nominatiuo pro accusatiuo. CAP. XXIII.

SPero tibi esse bonus amicus,Credo tibi fuisse fidelis,proprie dicitur:per accusatiuũ verò nõ,nisi alterũ accusatiuũ addas, qui antecedat infinitiuũ.Nam hic sequitur hoc modo,Spero me tibi esse bonum amicum,Credo me fuisse tibi fidelem. Quædam verba cũ nominatiuo iungi recusant, imò pleraque. Nam vt recte dico,Incipe mihi esse familiaris, & noli esse illi intimus:ita inusitate dicam, Præcipe illi esse familiaris mihi, ne libeat tibi esse intimus.Hoc tamen genus loquendi nonnũquam reperimus,vt apud Lucanum in nono, -tutúmque putauit
Iam bonus esse socer. Alius dixisset,Iam socerum esse bonum.
Et apud Ouidium de Ponto,

Ecquis in extremo positus iacet orbe tuorum,
Me tamen excepto,qui precor esse tuus?

Dicere potuisset,sed non tam venustè,Quem precor esse tuum.
Terentius in Andria,

Quæ sese inhoneste optauit parare hîc diuitias,
Potius quàm in patria honeste pauper viuere.

Apertius apud eundem Ouidium libro primo,sine titulo,
Spernéque tu molli mobilis esse toro.Et ille versus vulgatus,
Sperne repugnando tibi tu contrarius esse.
Quòd si dixisset, Noli repugnãdo tibi tu cõtrarius esse,versúsq; pateretur,nullũ de constructione dubium esset. Talis tamẽ modus loquendi è Græco fluxit,vbi vsitatissimus est.

EPITOME.

In hypozeugmate seu in zeugmate ab inferiore, verbum debet sequi vltimum, aut vlterius suppositum: quia semper vult conformrri vicinissimo aut viciniori, nisi per comparationem aut similitudinem loquamur. tunc enim principali, id est præcedenti conformari vult. Quod verò de verbo respectu suppositorum dicitur, idem de adiectiuo respectu substantiuorum intelligetur. Dicere ergo possum sex modis, Fleuit mater & filii eius: sic, Fleuit mater & filii eius, Mater fleuit & filii eius, Filii & mater eorum fleuit, Fleuerũt filii & mater eorum, Filii fleuerunt & mater eorum, Fleuerunt mater & filii eius: ac sic, Mater & filii eius fleuit, Filii sicut mater eorum fleuerunt.

Cui personæ, generi, numero, verbum respondere debeat. CAP. XXIIII.

VErbum sequi debet vltimum suppositum in persona, numero, & genere. vt, Ego illum de suo regno, ille me de nostra republica percontatus est. Duo supposita sunt, ego & ille, quorum vtrique verbum accommodatur, sed sequẽti palàm, antecedenti per subintellectionem, vt sit, Ego illum de suo regno percontatus sum, ille me de nostra republica percontatus est. Conuerte ordinem personarum, simul personam verbi mutaueris, sic, Ille me de nostra republica, ego illum de suo regno percontatus sum. Muta genus sic, Ego illam de suo regno, illa me de nostra republica percontata est. Muta numeros sic, Ego illos illásve de suo regno, illi illæve me de nostra republica percontati percontatæve sunt. & item econtrario. In hãc tamen formulam non cadit, quoties per comparationem aut similitudinẽ loquimur, quale est, Melius ego istud quàm vos fecissem: non autem, quàm vos fecissetis. Hoc ille ita prudenter, vt ego fecisset: non autem, vt ego fecissem. Hic enim subintelligitur, sic, Hoc ille ita prudenter, vt ego feci, & ipse fecisset. Melius ego istud, quàm vos fecistis, fecissem. Verbum enim principale debet efferri, subintelligi autem quod non est principale.

EPITOME.

Quoties post vnum adiectiuum, suppositum, aut obliquum, posueris bis nec, neque, & tum, partim, aut vel, consimilémve dictionem cum duobus substantiuis, verbis, aut regentibus: necesse est ambo substantiua verba, aut regentia illi vni adiectiuo, supposito aut obliquo in debitis accidentibus conformari, etiamsi aliud exprimatur. secus enim, incongrua atque inepta fuerit locutio. Tria ergo concurrere debent, priusquam fuerit incongruitas. Primum vt adiectiuum, suppositum, aut obliquus præcedat illas particulas nec, &c. vt Nulla est dicenda virgo corrupto vel corpore vel mente, inepta est: quæ fit apta sic, Vel corpore, vel mente corrupta. Secundum, vt bis ponatur particula, vnde congrua erit, Corrupto corpore vel mente. Tertium, vt diuersorum sint accidentium ad congruitatem facientium. quia congrua erit, Corrupto vel corpore vel animo: vel sic, Corrupta vel mente vel carne. Causa differentiæ est: quia dum bis ponuntur particulæ illæ, significant ea quibus adduntur, ad antecedens respicere. at semel posita, permittunt

aliud subintelligi: vt Corrupto corpore vel mente, sup. corrupta. Dixi, Etiam si exprimatur aliud: quia inepte dixeris, Intelliges rem omnem partim ex literis meis, partim tibi nuntius dicet. quia dicendum est, partim ex nuntio, vt litera declarat in consimilibus. Quinetiam si verbum sic præcedat vt adiectiuum, supposita sint illi conformanda. vt, Verum dicunt & pueri & fatui & ebrii: non & ebrius.

Vbi collocandum sit adiectiuum. CAP. XXV.

ADiectiuo, quū præcedit, debent obsequi substantiua, aliter vitiosum est: vt hoc modo, Nulla virgo est dicenda corrupto vel animo, vel corpore. dic pro animo, mente, sic, Nulla virgo dicenda est corrupta vel mente, vel corpore: aut, corrupto vel corpore, vel mēte, non erit Latinum. Quod cōtrà fit, aut præcedente substantiuo, aut reiecto in finem adiectiuo, sic, Nulla virgo dicenda est vel mēte corrupta, vel corpore: aut, vel corpore corrupto, vel mēte. Item vel mente, vel corpore corrupto: aut, vel corpore, vel mente corrupta. Similiter in plurali (variabo exēpla ad euitandum fastidium) Nemo diues est vel valetudine infirma, vel sensibus: aut, vel sensibus infirmis, vel valetudine. Itē, Nemo fœlix est vel cōscientia, vel mēbris affectis: aut, vel membris, vel conscientia affecta. Cicero tamen in Philippicis inquit, Optima sunt & mente, & viribus. Nescio an culpa librariorum sit, qui ita scripserunt, pro eo quod est, Et mente optima sunt, & viribus: vel, optima mente sunt, & viribus.

Quid momenti faciat coniunctio, aduerbiúmque disiunctiuum ex collocatione. CAP. XXVI.

EX his quæ tradidimus palàm est nequaquā recte dici, Corrupto vel corpore, vel mente. Debet enim adiectiuum illud ad vtrunq; substantiuum applicari in genere & numero. Neq; de Vel tātummodo intelligo, sed de cæteris quoque coniūctionibus, per Et, vt modo ex Cicerone attuli exemplū, per Nec, per Siue, per cætera huiusmodi. Neque hoc solum vbi adest substātiuum cum adiectiuo, sed etiam sine eo: quale hoc est, Tu nec faceres, nec ego permitterem: non est hic sermo Latinus. Dicēdum nanq; erat, Nec tu faceres, nec ego permitterē: aut sic, Tu nec faceres, nec à me facere permittereris. Tota enim oratio dependet à prima dictione. Item, Potes cognoscere partim ex aliorum sermone, partim te docebit ipse tabellarius, nō est Latinum: sed sic, Partim potes cognoscere ex aliorum sermone, partim ex tabellario. Item, Puto tum ex superioribus literis te omnia intellexisse, tum ex his intelligere potes: dicendum erat, tum ex his intelligere posse. Itē, Paratus sis vel pugnare, siqui te lacessūt: vel Siqui non sunt, ne recuses facere pacem. dicendum erat, Aut sine illo

ne recuses:aut sic,vel paratus sis pugnare,&c.Ex his quæ dixi, videor reprehendere legem illam duodecim tabularum, Liberi parentes in egestate aut alant, aut vinciantur. quasi dicendum fuerit,Liberi aut parentes in egestate alãt,aut vinciantur.Sed nõ est vetustas illa reuocanda ad hanc regulam,qua constat ex vsu eorum,qui more illo vetusto nõ sunt locuti.tametsi haud dubie opinor,primum aut, à quibusdam adiectũ,legíq; ita in vetustissimo quodam codice declamationum Senecæ,Liberi parẽtes alãt, aut vinciantur.Huius etiam loci illud est,ne hocmodo verba cõmisceamus diuersam naturam habentia:quale est,Ille mihi nec nocuit vnquam,nec adiuuit:Ego nec offẽdi eum,nec profui.dicẽdum erat,Ille mihi nec nocuit vnquam,nec profuit:aut sic,Ille nec nocuit mihi vnquam,nec me adiuuit. Ego nec offẽdi eũ, nec adiuui.aut, Ego nec offendi eum,nec eidem profui.

EPITOME.

Quoties à negatione incipimus,& sequuntur duæ negationes,vt bis nec,aut neque:tres negationes illæ non plus quàm duæ efficiunt. Verba etiam formidinis & cautelæ idem sine negatione aut prohibitione,& cum ea,faciunt. Neutiquam,nequaquam,nusquam,& nuspiam,quia simplicem negationem important,vno verbo contenta sunt.Necubi,quia duplicem, verbum duplex postulat. Præterea quoties dictionibus adest quædam contrarietas,non possumus tollere alteram negationem cum non solum,non modo,&c.Circa quæ aduertendum interdum ad ea applicanda esse non sed etiam,verum sed saltem, aut sed certe.De hac autem re vide latius suprà lib. 2.cap.18. Videtur vna pro tribus posse poni: vt pro hac,Nũquã neq; didici,neque docui magicã,Nunquã didici,aut docui magicam. Hæc omnia Valla dilucide declarat.Verum Mancinellus cõtra id quod de Necubi dicitur,sic obiicit,Necubi & Nequo,etiam vno verbo contenta sunt. Liuius enim in principio lib.3. de bello Punico secũdo,ait,Hispanos & Aphros,& omne quod veterani erat robur exercitus,admixtis ipsorum impedimẽtis necubi consistere coactis,ne necessaria ad vsus deessent,primos ire iussit, &c.Cato in re rustica,capite quinto, Villicus ne sit ambulator,sobrius siet semper:ad cœnam nequo eat,familiam exerceat. Idẽ capite cxlii. Néve ad domum,néve ad se recipiat: ad cœnam nequo eat,neve ambulatrix siet.Hæc ille. Verum in Liuio participia sunt pro verbis,& necubi est quasi nec vsquam.In Catone non desunt verba.

Mancinellus.

De vsu negationis. CAP. XXVII.

TRes aliquando negationes non plus efficiũt quàm duæ,collocatione ipsa dictionum efficiente.Vt,Nũquam mihi nec obfuisti,nec profuisti. Tres hîc sunt negationes. muta primam negationem in medium,aut in postremum, iam euanescet,quum ibi locum non inueniat:sic,Mihi nec obfuisti vnquã, nec profuisti: aut sic, Mihi nec obfuisti, nec profuisti vnquam. Nescis nec in pace,nec in bello viuere:Nec in pace,nec in bello scis viuere.Ibi tres negationes sunt,hîc duæ,quum eadem sit sententia.Vereor,metuo,timeo,& siqua sunt alia, idem efficiũt, vel cũ negatione,vel sine ea:vt,Vereor ne veniat,& vereor vt veniat.

Vereor. Metuo.

Timeone moriatur,& timeo vt moriatur. More Ciceronis, vt ne, pro vt non, Metuo vt ne pereat. & Terentius, Apprime in vita vtile, vt nequid nimis. pro nequid nimis. Ex quo miror Seruium ita scripsisse primo Georgicorum, Vnde male quidam hunc locum scribunt, Pater adest, caue ne te tristem sentiat. Si enim hoc est, dicit, Vide vt te tristem sentiat. nam & ne & caue, prohibentis est. Neutiquam pro Nequaquam, & ipsum nequaquã, & nusquam, & nuspiam, simplicem negationem indicant, ideóque vnico verbo cõtenta sunt: vt, Nequaquam veniam. Necubi vero duplicem: ideóque duplex verbum postulat. Volo necubi mihi obuius fias. id est, ne alicubi. vt sicubi pro si alicubi, sicunde pro si alicunde. Cætera quæ de natura negationum disputari solent, in libros dialecticæ nostræ contulimus: quæ ideo præterimus, quòd ferè non sunt ignota oratoribus, dialecticorum vero nemini cognita. Illud tamen ad verbum huc illinc transferamus, Vir malus nulla lacessitus iniuria ab amicitia recedit: vir autem bonus nulla lacessitus iniuria ab amicitia recedet, vel recedat: nescio tamen an liceret dicere, recedit. Hoc loco eadem verba dantur malo viro & bono. sed tamen malus recedere ab amicitia intelligitur, bonus non recedere: & ille non lacessitus iniuria, hic lacessitus. Et haud scio, an hoc sit satis ad hæc distinguẽda, dixisse, quod alibi rem significamus, alibi admonemus. Huc addamus vnum in quo non pauci falli solent, vbi debeat geminari negatio, vbi non debeat: vt hoc exemplo, Non modo stellæ, sed ne luna quidem ad solem seruat splendorem suum, recte dicitur. Item hoc modo recte, Non modo nullæ stellæ, sed ne luna quidem, & cætera. At quoties dictionibus quædam adest contrarietas, non possis tollere alteram negationem: vt hoc modo, Non modo stellæ non apparent, sed etiam luna ad solem obscuratur. Sine negatione geminata non recte loquaris. Item, Nõ modo non absoluo hunc, sed ne leui quidem pœna cum eo trãsigendum esse puto. Quidam tamen nuper scripsit, Non modo absoluendum hunc, sed nec etiam grauiter puniendum puto: quum dicere debuisset, non modo non absoluendum. sunt enim diuersa, absoluendum & puniendum. Item, Nõ tantũ non constãter, sed etiam trepide & confuse locutus est. Item, Non tãtum inconstanter, sed fortiter & propè minaciter locutus est. Male hoc secundum dixisti, dempta negatione: erat enim dicendũ, non tantum non inconstanter. In quod vitiũ incidit Boetius lib. iii. in Ciceronis Topica, dicens, Si non cõfuse solum, verũ etiam distributim & suarum partiũ proprietate noscãtur. Dicẽdũ erat,

Timeo. Vt ne.

Neutiquam. Nequaquam. Nusquam. Nuspiam. Necubi. Sicubi. Sicunde.

Non modo cum duabus negationibus.

non solum non confuse. Diuersum est eorum vitium, qui ad il lud non modo applicant, sed etiam, quum deberēt applicare, sed saltē, aut sed certe, aut sed vel: quale est Lactātii libro primo, Quis enim mentis emotæ, nō modo futura prædicere, sed etiā cohærē tia loqui possit? Dicendum erat, sed vel cohærentia, aut sed saltē, aut sed certe cohærentia possit loqui? nisi fortè culpa librarii est. Ego verò in vtroque nō authorem, sed tale genus orationis reprehendo.

EPITOME.

Præcipiendo aut optando indifferenter ferè dixeris, Veni, venito, venias, & venies ad me. Prohibendo autem, Ne venias, aut, ne veneris, futuri temporis: Non veneris, præteriti est temporis, & negat. Poetæ frequenter ne & non, imperatiuo dát prohibendo: quod orator rarissime. Ne autē secundæ & tertiæ personis prohibēdo congruit, non verò primæ: vt Non ausim, non audeam, ne ausis, ne audeas secus loqui. Omnia in litera satis declarantur. Addere possumus prospiciendum esse ne diuersos modos copulemus.

Quot modis iubemus, quid etiam intersit inter præteritum, futurúmque coniunctiui modi. CAP. XXVIII.

VEni ad me, venito ad me, venias ad me, venies ad me. Scri be ad me, scribito, scribas, scribes, indifferēter penè his quatuor vtimur. Horum tamē vno in negatione, Ne venias: & altero quo in affirmatione non vtimur, in hunc modum, Ne veneris. Nam ipsum veneris, duobus modis accipitur. Vno modo subiunctiue: vt Si veneris, vel quum veneris: altero sine subiunctione. ideo illud non est verbum principale, hoc est, vt Si me iuueris, rem optimā feceris. Dimitte me, & diuitem feceris. Aufer huic magistratum, & eum iugulaueris. Eamus in portum, iam naues venerint. Cicero, Atqui nobis gratissimum (vt etiam pro Scipione pollicear) feceris, siquando, & cætera. Sciendum tamen est, quòd hæc omnia verba futuri sunt temporis. veluti si ita commutemus, Si abstulero huic filiam, eū iugulauero: nō autē iugulauerim. Ego hoc videro, tu videris, vos videritis: quasi ego hoc videbo, vel videam, tu videbis, vel videas. Ne veneris, futuri item est temporis: Nō veneris, præteriti. Illud vetat, hoc negat. quod secundum, commune est cum prima persona & tertia: vt, Neque verò crediderim, neque verò fuerim in ea opinione qua cæteri. Et sine negatione, improbe dixerim, dixerit aliquis, Ne ve-
6. AEneidos. ni, ne fac, ne iugula, apud oratores ferè nunquam, sed apud poe-
In Phormiōe tas. vt Virgilius, Ne sæui magna sacerdos. Et Terētius, Ne nega. Liuius libro secundo, Crastino die, oriente sole in aciem redite, erit copia pugnandi, ne timete. Et Quintilianus, Tu illam defende, arma ne relinque. Hîc nos Quintilianus admonetne pro illo, Ne feceris, dicamus, Non feceris: quia alterū negandi est, alterū

vetãdi.Ideòque ne, cũ prima persona singularis numeri nunquã coniunctum inuenimus,ob eandem causam propter quam imperatiuum caret prima persona in singulari, quia nemo sibi soli imperat,aut vetat.Vnde frequẽter legimus,Ne timuerimus, ne timeas,ne timueritis,ne timeãt.Nunquam autem Ne timeam, nisi ne pro vt non. sed Nõ timeam,non ausim, non sperem,nõ timuerim,non sperauerim,non crediderim,id est timere, audere,sperare,credere non possum,aut nõ debeo:ita in aliis personis. vt idem Quintil.Nõ expectes vt statim gratias agat, qui sanatur inuitus . id est, expectare non debes. Non enim eo modohoc dixit,quo dicere solemus quũ vetamus, Ne me expectes ãplius. Hîc enim negatio est,non vetatio. Ita nõ expectaueris, & ne expectaueris:quorum alterum præteriti temporis est negátque,alterum futuri & vetat.

Imperatiuo deesse prima persona.

In odii potione 2.

EPITOME.

Venuste etiam post negationem,sequitur alia per Si non, aut Nisi,vt late patet in exemplis in litera citatis.

De lepôre Si non & Nisi cum aliis verbis. CAP. XXIX.

HOc quod adhuc de negatione subiiciam, ad solam elegantiã dicẽdi pertinet:quod quale sit,subiectis exẽplis per se apparebit. Quintilianus, Non est difficile vt maritum vxor occidat,si non est difficilius vt filius patrem.Idem,Atque eò causam dimittimus,vt non sit absoluendus adolescens,nisi etiã laudandus.Idem,Quare non petit,vt illum miserum putetis,nisi & innocens fuerit: non petit,vt afflictum alleuetis, nisi & probauerit sese infœliciorem,quòd patrẽ amisit,quàm quòd oculos. Seruius Sulpitius ,Atqui amittere liberos malum est: non malum, nisi hoc peius est ferre & perpeti.Sallustius,Parcite dignitati Lentuli,si ipse pudicitiæ,si famæ suæ,si diis,aut hominibus vnquam vllis pepercit.Ignoscite Cethegi adolescentiæ, nisi iterum patriæ bellum fecit.Titus Liuius lib.xxxi,Nam quòd ad ea attinet, quæ nobis obiecit,nisi gloria digna sint, fateor ea defendi non posse. Ouidius libro xiii. Metamorph.

In cæco in limine.

In corpore proiecto.

In pariete palmato.

Nec tamen hæc series in causam prosit Achiui,
Si mihi cum magno non est communis Achille.

Huic simile est,quale apud eundem,libro secundo,
Mentior,obscurum nisi quum nox fecerit orbem,
Nuper honoratas summo mea vulnera cælo
Videritis stellas. Et Quintilianum, Mẽtior nisi quum peregrinatio mea nos diduceret,maluit esse cum matre.Et iterũ,Assidere enim, cibos ministrare,manũ porrigere,quilibet poterat:mẽ-

Mentior.

In corpore proiecto.

tior nisi factum est. Idem verbum apud Ambrosium eodem modo positum, tum in libris Officiorum, tum Hexameron, tum in aliis reperies: & apud Cyprianum ad Donatum, Mētior, nisi alios qui talis est, increpat: turpes turpis infamat.

EPITOME.

Vter vtri nocuit? recte dicitur. vterque vtrique, durius. neuter neutri, nequaquam. vterque alteri, aut neuter alteri: rectissime. Et sicut vter vtri, ita quis cui: idque etiam in aliis casibus. Siquis dicat, Neuter neutrum percussit: sensus erit, quia vterque vtrunque: hoc est, & se & alterum. & ideo non dicam, Vterque vtrunque percussit, nisi se & alterum percusserint ambo: sed vterque alterum. quæ res elegantiam inuenit. Nam si vterque se & alterū percussit: vere diceres, Vterque vtrūque percussit. quæ res in consimilibus animaduertenda est.

De Vter vtri, Alter alteri, Neuter neutri, & Quis cui. CAP. XXX.

VTer vtrum accusat, Latinè dicitur. vt Cicero pro Milone, Vter vtri insidias fecerit. Vterque vtrique vix ausim dicere. Neuter neutri omnino non dixerim. Terentius in Phor. inquit, Quia vterque vtrique est cordi. In decimo quoque commentario rerum à Cæsare gestarum, siue ab Hirtio, siue ab Oppio (nam incertus author est) edito, sic legi, Interim dissensione orta inter Achillem * & Arsinoen, quum vterque vtrique insidiaretur, & summam imperii ipse obtinere vellet. Cicero autem & Quintilianus (quantum inueni) sic nūquam locuti sunt, quorum prior sic ait, Quorum vterque suo studio delectatus, cōtempsit alterum: posterior sic, Quum enim vterque alteri obiiciat, palàm est vtrunque fecisse. Atque sic dicendum esse per illud frequentissimum probatur, Alter alteri obiicit, alter alterum contemnit, alter alterum accusat. alter enim alterum, non ambo ambos accusant. Idē dico de neuter, vt idem Quintilianus, Ita fiet, vt quum æquali cura linguam vtranque tueri cœperimus, neutra alteri officiat. Quare peccauit tū amicus meus (si amicos palàm licet reprehendere) qui mihi nuper ad se scribenti, vter vtri bellum intulisset, respondit, neuter neutri, aut potius vterque vtrique: tum Priscianus, qui libro secundo ait, Fiscina verò à fisco, an fiscus à fiscina, an neutrum à neutro, dubium est. Debuerat dicere, an neutrum ab altero. nam quòd à se non deriuetur, superuacuum est dicere. sed dicendum tantum ab altero, non autem à neutro, quasi nec ab altero, nec à se. Ne illud quidem sileamus, vt dicimus vter vtri, ita quis cui. vt Virgilius, Quæ quibus anteferam. Et Cicero, Quid cui præponendum sit. Quintilianus, Quid quo loco collocandum sit. Idem Quintilianus, Vt dubium sit, quid quò referri oporteat.

*Achillam

Officiorum 1.

Lib. 1. cap. 2.

Neutra.

AEneid. 4.

EPITOME.

Prius,aduerbium,ad tempus respicit. Prior,ad personam. vnde vtrunque dicere licet, sed in diuerso sensu, Vocaui te prius,& prior,imò & priorem.

De Prior,Primus,& similibus. CAP. XXXI.

VOcaui te prius, nõ est idẽ quod prior. illud significat tempus,quasi priusquam nunc vel tunc: hoc verò personam, id est,ego duorum prior:&hoc quando duo ad vnum referũtur.Siquidem ego & hic te vocauimus,sed ego prior,hic autem posterior. Idem fit quum vnus ad duos refertur. Vocaui te priorem,melius quàm prius: illum autem posteriorem,melius quàm posterius. Per passiuum quis iam hoc nequeat dicere?Vocatus es à me prior,si duo estis:Vocatus es à me priore,si duo sumus.Eadem ratio est superlatiuorum primus & postremus,& si qua sunt alia. Vocaui te primus vel postremus, si multi sumus: vel,Vocaui te primum vel postremum,si multi estis. Nonnunquam ex neutra parte sunt duo,sed vtrinq; singuli, & tamen per hoc idem comparatiuum loquimur: vt Vocaui te prior, Percussi te posterior,supple quàm tu me.Nonnunquamvnus hinc est,illinc plures:vt,Vocaui vos prior,supple quàm vos me:Vocauimus te priores, supple quàm tu nos. Idem de superlatiuo vbi multa membra sunt: vt, Primi nos venimus, vos posteriores, ille vltimus: Primus ego intraui vallum,tu serior,illi tardissimi.

EPITOME.

Verba ad accusationem & damnationem pertinentia,regunt crimen & pœnam in genitiuo aut ablatiuo:exceptis his dictionibus,altero, neutro,vtroque,& ambobus,quas in solo ablatiuo regunt. Causam nonnulli putant,quòd dicendo,Arguo te furti & parricidii, subintelligatur crimine,cui conformari debeat adiectiuum,dicendo vtroque: vt sit,Vtroque crimine & furti & parricidii. aut neutro,aut altero, aut ambobus,scilicet criminibus. Siue autem id dicamus,siue quia authoribus placuit ita loqui: obseruanda est peritorum consuetudo.

De regimine nominum criminalium & pœnalium. CAP. XXXII.

SI quis furetur rem sacram de profano, tenetúrne sacrilegii, an furti,an vtroque?non autem an vtriusque. Qui sustulerit rem suam de sacro, furtíne tenetur, an sacrilegii, an neutro?non autem,an neutrius. Accusare hunc potes, vel furti, vel sacrilegii,vel de vtroque,vel de ambobus: non autem vtriusque, aut amborum. Condemnare non licet de vtroque, sed de altero,vel furti,vel sacrilegii : non autem sed alterius,vel furti,vel sacrilegii.Cur ita fit,vt demus varios casus eidem verbo,præsertim sub coniunctionibus, quæ eosdem coniũgere debent casus?

Nempe quòd nomina peccatorum cũ huiusmodi verbis idem valent in genitiuo, quod in ablatiuo præpositionem habente, vel non habente. non idem in cæteris. Neque hoc in his modo nominibus quæ certum peccatum significant & speciale, sed in his etiam quæ generale & incertum. vt Cicero, An non intelligis primum quos homines, & quales viros mortuos summi criminis arguas? Et iterum, Sceleris atq; nefarii parricidii condẽnabimus? Per hæc verba, licebit tanti & quanti, quum substantiuis adiunguntur, per genitiuum vti. vt, Quantæ pecuniæ condẽnasti? Tantæ summæ damnaui, quantæ postulasti. Liuius libro 47, Sed nequaquam tantum relictum est, quantæ summæ dãnatus fuerat.

EPITOME.

Impleo & Refercio, ablatiuũ sine præpositione regere possunt, aut mediãte præpostione de. quæ tunc necessario additur, quando significatio eam exigit. Regunt etiam genitiuos, sed vsitatius eorum nomina: vt Plenus gratiæ, Referto prædonum mari. De verbo, est illud Virgilianum AEneid. I, Implẽtur veteris Bacchi, pinguisque ferinæ. Sunt & alia nomina genitiuum aut ablatiuũ regentia: vt Pauper, egenus, inops, locuples, dis, diues, abũdãs, & similia. Quòd autẽ dicit nomẽ Nouissim᷒, apud posteriores tantũ repertum pro vltimo habet ex Gellio qui lib. 10. cap. 21. dicit sic, Non paucis verbis, quorum frequens vsus est nunc, & fuit, Marcum Ciceronem noluisse vti manifestum est, quòd ea non probaret, velut est nouissimus & nouissime. Nam cũ & M. Cato & Sallustius, & alii quoq; ætatis eiusdem verbo isto promiscue vsitati sint, abstinuisse eo tamen tanquam non Latino videtur. Hæc ille. Petrus autem Crinitus in epistola ad Alexandrum Sartiũ quæ est lib. 12. inter epistolas Ang. Politiani, in qua probat à multis temere dici aliquod vocabulũ nusquam legi, quia ipsi non legerint. Nam Cicero in lib. de oratore ad Brutum dixit, Quæ duo sunt ad iudicandum nouissima: vtitúrque eo superlatiuo etiam in epistola ad Octauium, & in oratione pro Roscio Comœdo, & alibi.

De Impleo, Refercio, Plenúsque ac Refertus. XXXIII.

Contrariũ propè huic est quod subiiciam: Impleo & Refercio, & similia verba ablatiuum sine præpositione postulãt: vt, Impleui nauim frumento, Refersi apothecã vino. Et tamen aliquando addimus præpositionem de: sic, Impleui nauim de omni genere frumenti, Refersi apothecã de varia natura vinorum: víxque ausim dicere, Impleui omni genere frumenti, & Refersi varia natura vinorum. Hoc quod diximus, exẽplo comprobandum est. Cicero de Oratore, Quòd si tantam vim rerum maximarum arte sua rhetorici amplecterentur, quærebat cur de procemiis & de epilogis, & de huiusmodi nugis (sic enim appellabat) referti essent eorum libri. Hîc nequaquam licuisset sine præpositione loqui. Non enim libri illi referti sunt procemiis & epilogis, sed præceptis procemiorum & epilogorum. Sicut in superioribus, Non est nauis impleta omni genere frumẽti, sed frumẽ

to omnis generis:neq; Apotheca referta omni natura vinorum, ſed vino omnis naturæ.Quia de refercio & impleo feci mentionem,dicam hoc amplius de refertus & plenus.Exemplum quod modò attuli,oſtendit refertus poſtulare ablatiuum, ſicut impletus,ſicut vacuatus,ſicut vacuus. Idem tamen Cicero ait pro lege Manilia,Referto prædonum mari. Et pro Plãcio, Audieram refertam eſſe Græciam ſceleratiſſimorum hominum ac nefariorum. ſed nunc tranſit in nomen, tametſi cætera huiuſmodi nomina ablatiuum ſemper habent. vt,Vacuus incolis,non incolarum : Frequens populis,non populorum : præterquã plenus,cui Cicero ſemper genitiuum dedit. De cæteris authoribus non poſſum in vniuerſum pronuntiare, quum multi etiã ætatis eius dederint ablatiuum.vt Varro lib.1.rerum ruſticarum,Sua nihil intereſſe, vtrum his piſcibus ſtagnum habeat plenum an ranis? Et Salluſtius in Iugurtha,Quæ quanquam grauia,& flagitio plena videbantur,tamen quia mortis metu mulctabantur,ſicut regi libuerat,pax conuenit.Suo itaque arbitrio ſcriptores vtuntur.Poſteriores verò omnes, vt hoc nomen nouiſſimus pro vltimo, ita etiam Plenus vino dixerunt,non ſolum Plenus vini. Quare qui ſolo genitiuo cõtentus erit,Ciceronem imitabitur: qui vtroque caſu vtetur,cæteros. Sed mutando habebit & venuſtatis rationẽ & lucis . Quod vel ex proximo exemplo oſtenditur,Aue gratia plena. Ego ad euitandam amphibologiam dixiſſem, Aue gratiæ plena: quemadmodum in alio factum eſt,vbi nõ erat ambiguitas,Plenum gratiæ & veritatis. Licet diuerſa verba hîc ſint atque illic.in altero eſt,κεχαριτωμένη : in altero,πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας.Liuius vt nomini Plenus dat etiã ablatiuum, ita verbo Impleo dat etiã genitiuum. vt in quinto, Ipſe multitudinem quoq; quæ fermè ſemper regenti eſt ſimilis , religionis iuſtæ impleuit.

Refertus. Plenus. Nouiſſimus.

EPITOME.

Potior,nũc ablatiuum regit omnium dictionum,præter genitiuum rerũ,in quo ablatiuus imperio,aut dominio ſubaudiri videtur . olim etiam accuſatiuum rexit, exponitúrque per obtinui:eſt enim de rebus quæ molimine & conatu obtinẽtur, & tam tertiæ quàm quartæ coniugationis reperitur.

De Potior,Potitus,& Compos. CAP. XXXIIII.

Potior hos eoſdem caſus habere poteſt, ſed cum cæteris frequentius ablatiuum: cum hoc nomine res,ferè ſemper genitiuum. vt,Lacedæmonii rerũ diu potiti ſunt. id eſt,rerum imperium diu tenuerunt. In aliis nominibus magis ſignificatio exponitur per obtinuerunt,quàm per tenuerũt . vt,Potitus ſum victoria, Sum potitus amica. id eſt pugnãdo,vel laborando obtinui victoriam vel amicam. In præſenti tempore plerũque pro

fruor. Cicero, Quòd si voluptatibus his bona ætas fruitur libentius, primum paruulis fruitur rebus, vt diximus: deinde his quibus senectus etiamsi non abunde potitur, nō omnino caret. Pro eodem posuit fruitur & potitur. At potitur pro potitus est, præsertim more historico legimus. Potior à potis descēdit, ideóque illi in significatione simillimum est. Nam Sum compos mentis, compos animi, compos rationis, cōpos sanitatis, quòd hæc habeo. At Compos voti, compos victoriæ, compos optati, quòd hæc opera mea atque labore obtinui, obtineóque. Illud tamen sciendum est, apud Ouidium in duodecimo sic legendum,

Túque tuis armis, nos te poteremur Achille.

Non potiremur, antepenultima breui, non longa, à tertia scilicet, non à quarta coniugatione.

EPITOME.

Traiicio tam virtute præpositionis, quàm verbi, accusatiuum regere potest: vnde interdum duos simul regit, sed in diuerso sensu.

De Traiicio. CAP. XXXV.

TRaiicio exercitum, id est transporto exercitum trans mare, aut trans flumen. Traiicio mare vel flumen, id est transeo. Aliquando vtrunque coniunctum: vt Liuius, Traiecit copias Hiberum. Et Plancus, Traieci exercitum Isaram.

EPITOME.

Do tibi literas ad alium perferēdas, vt reddas: Do ad te literas, vt lecturus accipias.

Do tibi, & ad te literas. CAP. XXXVI.

DO tibi literas, tanquam tabellario: Do ad te literas, scilicet ad te perferendas. Aliquando hæc duo coniunguntur. vt Cicero, Dedi illi ad te literas. Et Sallustius, Vulturtio literas ad Catilinam dat. Ergo qui mittit literas, dat: cui literæ dantur, si perfert, reddere dicitur: sicut ille ad quem dantur, accipere.

Reddo, & Accipio literas.

EPITOME.

Eo ad villam & in villam, pro eodem dicimus. Sed Confero in patrem & ad patrem munus, differenter. nam illic, est beneficium & donatio: hîc, obsequium aut sola perlatio.

De In & Ad, cum aliis verbis. CAP. XXXVII.

Confero.

EO in villam, & Eo ad villam: Proficiscor in campum, & ad campum: Confero me in agrum, & ad agrum, idem sunt. Et item in similibus, præterquam in hoc vltimo verbo, quoties refertur ad personam. Dicimus enim, Contuli me ad Catonem, & Contuli me ad patrem: non autem In Catonem, & in patrem: ad distinguendum videlicet significationem. Nā quum

dico, Contuli in personam, non possum addere alteram personam velut me, sed rem velut beneficium. Erítque significatio donationis. vt, Multa contuli in Catonem. id est, multa donaui Catoni. Nemo in patrem potest tāta beneficia conferre, quanta contulit pater in filium.

EPITOME.

Refero tibi, id est recito & enarro. Refero ad te, id est in consultationē tuam fero, & iudicium tuum posco, plerunque significat.

De Refero tibi & ad te. CAP. XXXVIII.

RETULIT mihi, & Retulit ad me, ita differunt: quòd illud est narrauit, hoc verò in cōsultationem tulit. vt Quintilianus, Relaturus vobis Iudices ordine malorum meorum euentum, quem nemo tam crudelis, nemo tam sæuus audiet, vt me non pascat. Sed hoc nemini ignotum est. Idem, Vultis scire Iudices, nihil impatientia charitatis fecisse patrem? non retulit ad matrem, non propinquos consuluit, non amicos. Cicero in Catilinam, Refer, inquis, ad Senatum. id est, refer in cōsultationem Senatus. Virgilius tertio AEneidos, In ægro redempto. In geminis languentibus.

Delectos populi ad proceres, primúmque parentem,
Monstra deûm refero.

Et ne dubitares de sensu sermonis huius, more suo aperuit, subiungens,

Et quæ sit sententia posco. Paulóque post,

Surge age, & hæc lætus longæuo dicta parenti
Haud dubitanda refer.

Sunt enim deorum verba, non consilium ab Anchise petentium, sed illum quid agendum sit docentium. Ideóque additur illud, Haud dubitanda. Porrò vtraque harum sententiarum in verbo versatur, aliquando etiam in facto, sed diuersa est significatio. vt Quintilianus, Ad patrem arma non retuli. id est reportaui. Et Cicero, Si ad vnum omnia referenda sunt, dignissimum esse Pompeium. hoc est, si in vnum omnia conferenda sunt, de re intelligitur, non de oratione. Quale illud eiusdem est pro Deiotaro, Qui rumores ad se referrent. Et quale est Cæsaris, Vt quæ diceret Ariouistus cognoscerent, & ad se referrent. Hîc de verbis agitur, & tamen non significatur ferri in consultationem, sed potius narrari & renuntiari mandata ab altero data. Præterea hîc solet adhiberi accusatiuus vel nominatiuus, ibi crebro (in prosa præsertim) ablatiuus cum præpositione de: vt, De omnibus his referam ad Senatum. Omnia autem hæc referam ad Senatum, rarius dicitur. Tamen significat idem quod est in senatorum consilium feram.

EPITOME.

Interdico tibi aqua & igni,potius quàm aquã & ignem. & Interdictum est tibi aqua & igni,potius quàm,aqua & ignis interdictus est tibi. sed sic quoq; resoluere licet.aut tertio sic,Tu interdictus es aqua & igni. Sunt autẽ tres modi resoluẽdi accusatiuum,dum actiuum mutatur in passiuum. Vnus sic,Dedi tibi equum:equus datus est tibi à me.Secundus sic,Docui te musicam, tu à me doctus es musicam:non Musica docta est à me te.Tertius dum vterque resolui potest: vt,Rogaui te veniam.id est tu rogatus es à me veniam,vel venia rogata est ex te à me. Animaduertendũ ergo quòd homo dicetur doctus,non res quam didicit : & vestitus,non ipsa vestis: & indutus,potius quàm indumentum.Mancinellus probat Interdico etiam cũ accusatiuo construi,his verbis,Interdico tibi aquam & ignem dici,etiam posse ostendunt.Iustinus lib.5,Et cui paulo ante om1 ẽ humanam opem interdixerat. Seneca epistola 67,Interdices mihi inspectionem rerũ naturæ. Ouidius lib.6.Metamorph. - cui quõdam regia coniunx Orbẽ interdixit.Valerius Maximus lib.2.cap.2, Interdixit etiam ei conuictum hominum, vsúmque balnearum: turmásq; equitum quibus præfuerat,ademptis equis,in funditorum alas transcripsit.Calepinus addit & aliorum exempla,vt Suetonii de Nerone, Et quum interdixisset vsum amethysthini ac tyrii coloris,præclusit cunctos negotiatores. Seneca lib.3.de ira, Si iubes Cæsar, statim illi domum meam interdicam.

Mancinellus.

De Interdico. CAP. XXXIX.

Modi tres, quibus actiuũ in passiuum resoluitur.

INterdico tibi aqua & igni,nõ autem Interdico tibi aquam & ignem,neque Interdico te aqua & igni. Quo autem modo mutabitur in passiuũ hæc oratio? Sunt tres modi(quantum colligere possum)mutandi actiuum in passiuum. Vnus,vbi adest solus accusatiuus, ab eo in nominatiuũ mutato incipiẽdi: vt Dedi tibi equũ, equus à me tibi datus est . Alter,vbi sunt duo accusatiui,alterum in nominatiuum conuertendi,alterum relinquendi.vt,Docui te musicam,tu à me doctus es musicam : non autem,Musica docta est à me te. Tertius, vtrumlibet horum accusatiuorũ mutandi in nominatiuũ: alterũ vel relinquendo,vel in ablatiuũ cũ à,vel ab trãsferẽdo: sic,Ego rogaui te veniã,tu rogatus à me es veniam, vel venia abs te rogata est mihi. Licet per hoc secundum,tu magis videaris rogasse pro me, quàm ego te. Quẽ horum modorum huic verbo tribuemus?nullũ.Et tamen tres isti similes sunt.Vnus hic est, Tibi interdictũ est aqua & igni: quod est frequẽtissimum.Alter hic,Aqua & ignis tibi interdictus est.vt Liuius lib.8, Interdictúmq; mare Antiati populo est. quòd si esset mari,prioris modi foret exẽplum.Tertius hic,Tu interdictus es aqua & igni.sed tamen hic modus cæteris est rarior. Metellus Numidicus, Illi verò omni iure atque honestate interdicti sunt.Ego neque aqua,neque igni careo.

Tres similes modi in verbo interdico.

EPITOME.

Pluit,apud peritiores supposito caret: pro apposito verò,ablatiuo gaudet: licet aliis casibus vulgo iungatur.Ningit,tã supposito,quàm apposito,id est casu tã anteriore,quàm posteriore caret. Dico,Ablatiuo gaudet.Nã etiã alios casus recipit:

vnde Mancinellus,Pluit ſanguis vel lapis,pluit ſanguine & lapidibus:pluunt lapides, in nominatiuo ſcilicet,& Deus pluit aquam,recte dicitur. Tibullus lib.2,Multusvt in terris depluerítque lapis. Statius lib.8. Thebaidos,Saxa pluunt. Plinius lib.2, Præter hæc,inferiore cælo relatū in monumenta eſt,lacte & ſanguine pluiſſe. Ibidem, Effigies quæ pluerat,ſpongiarum ferè ſimilis fuit. Plautus in Moſtel. Venit imber,lauit parietes, perpluunt tigna,putrefacítque operam fabri. Ibidem, Quàm mihi amor & cupido in pectus perpluit meum. His igitur patet,Pluit habere ſuppoſitum nominatiuum vel ablatiuum:&,Deus pluit carnem, & huiuſmodi dicendi genus,non ſolum nunc dici,ſed à Plauto quoque.Hæc ille. Nihil tamen Plautini in approbationem dicti ſui citat.Nam aliud eſt depluere & perpluere,aliud pluere. Multa enim compoſita actiua ſunt,quorum ſimplicia abſoluta.Itaque apud Tibullum Depluerit, eſt quaſi ceciderit deorſum in morem pluuiæ. Perpluit autem,eſt per medium pluit. vnde in Plauto,Perpluunt tigna , ſignificat quòd per medium tignorū pluit : nec eſt accuſatiui caſus dictio Tigna,ſed nominatiui:ſicut,Amor & cupido in pectus perpluit meum.

De Pluit & Ningit. CAP. XL.

PLuit caret ſuppoſito,habens appoſitum ablatiuum.vt Liuius,Nuntiatum eſt in Albano lapidibus pluiſſe.Licet nūc dicamus,Deus pluit carnem,pluit manna, pluit eſcam. Ningit verò ſuppoſitum & appoſitum reſpuit.

EPITOME.

Decet,Iuuat,& Conducit pro vtile eſt,non planè ſunt imperſonalia : quia interdum habent ſuppoſitum etiam pluralis numeri.quin adeò ſi infinitiuus pro ſuppoſito conſtruatur, ferè perſonalia fuerint. Explicit & expliciunt, in doctorum vſu non ſunt. Vt Decet me cantare,Cātare me decet. Et in hymno ,Talis partus decet Deum. Pro explicit autem, dicunt nonnulli explicitum eſt.

De Decet,Iuuat & Conducit. CAP. XLI.

DEcet,Iuuat,Cōducit pro vtile eſt,& ſiqua ſunt alia:nec perſonalia ſunt planè , nec imperſonalia, quum habeant numeros. Veſtes hæ decēt nos,Iſti cibi iuuāt te, Studia ſecreta conducunt maxime. Explicit, expliciunt, nunquam (quod ſciam)legi.

EPITOME.

Auſculto & Audio,aut potius audiens ſum,ſignificantia obedire, datiuum regūt: ſignificantia autem auribus capere,accuſatiuum. Vt,Fili,ſi mihi auſcultare voles, eris mandatis diuinis audiens.

De Auſculto,& Audiens tibi ſum. CAP. XLII.

AVſculto te, audio te : Auſculto tibi,obtēpero tibi : Sū audiens te,quòd te audio: Sum audiens tibi, quòd tibi obedio.vt lex duodecim tabularum apud Quintilianum,Filium minus audientem dicto, liceat abdicare. Cicero in Philip. Et audiens eſſet huic ordini. Et pro Deiotaro, Aut qui dicto audientes in tanta re non fuiſſent. Cum verbo reperiſſe apud ſcriptores proſæ orationis tale loquendi genus non memini, ſed apud Plautum in comœdia,quæ inſcribitur Captiui duo, Memini quū dicto haud audiebat,facto nunc lædat licet.Hinc eſt qua-

Obedio. re vnum Obedio ex compositis ab audio, postulat datiuum.

EPITOME.

Dono tibi munus, notum est. Dono te hoc munere, aut præmii, aut beneuolentiæ, aut misericordiæ gratia. Sunt & alia verba quæ sic accusatiuum cum ablatiuo regũt, vt Beo, dignor, accumulo, augeo, doto, dito, locupleto, beatifico. sed non sic datiuum regunt, vt dono & impertio. vt, Plurima salute te impertio, & Impertio vel impertior tibi plurimam salutem. Terentius in Eunucho, Plurima salute Parmenonem summum suum impertit gnato. Dicitur etiam impertior & partior in cum accusatiuo. vt AEneid.1, Hinc portum petit, & socios partitur in omneis Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes.

De Dono tibi & te. CAP. XLIII.

DOno tibi munus, notũ est quid significet. Dono te munere, plerũque præmii gratia: sed interdũ admirationis, interdum beneuolẽtiæ, interdum misericordiæ. Cicero pro Archia, Sylla quum Gallos & Hispanos ciuitate donasset. videlicet in præmium. Quæ exempla sunt plurima. vt, Militaribus donis, corona vallari, immunitate donatus sum. Idem pro eodem, Itaque si ciuis Romanus Archias legibus non esset, vt ab aliquo imperatore ciuitate donaretur, perficere non potuit? Certè imperator non remunerationis causa Archiam ciuitate donasset, sed admiratione ingenii & beneuolẽtia. Virgilius AEneid.5, Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit. Nimirum nõ præmii gratia. Nam tres præmia primi accipient. Beneuolentiæ ergo nõ meriti illorum gratia, quum postremi nihil omnino mereãtur. Quale est Valerii Maximi lib.2, Rex Antiochus bello quod cum Romanis gerebat, filium Scipionis à militibus suis interceptum, honoratissime excepit, regiisq; muneribus donatum, vltro & celeriter patri remisit. vtique amicitiæ gratia. Et Amphitryon apud Plautum, Verum ita animatus fui, itaque nunc sum, vt ea te patera donem. Et paulo post Alcmena inquit, Pateram profecto feras, qua hodie meus vir donauit me. In quorum vtroque sola in donando beneuolentia declaratur. Idem Plautus in Aulularia, Dii immortales, quibus & quantis me donatis gaudiis! Quintilianus in Gladiatore, Quid me facere conuenit, qui per maria latrociniis infesta solus petitus sum, qui lucem, libertatẽ, denique quicquid patri debeo non ignarus (vt primo natalis horæ tempore) sed videns sentiénsque acceperim: nec solum donatus his bonis, sed summis periculis liberatus sum? Verba sunt hominis aggerantis beneficia amici, vt se maxime illi ostendat obstrictũ. Sola ergo fuit ratio beneuolẽtiæ. Idẽ in pariete palmato, Quàm blandè ille seposuit miserum suum? quàm diligenter vxoris gaudentis * exclusit oculos? quàm multo cæcum pudore donauit? Hîc habita est misericordiæ ratio. Suetonius in vita Augusti, Et

*clusit.

ne enumerem quot & quos diuersarum partium venia & incolumitate donatos. Cornelius Nepos de vita Attici, Auxit hoc officium alia quoque liberalitate, nam vniuersos frumēto donauit. profecto clementiæ, non remunerationis gratia.

EPITOME.

Incumbo, omnes dictiones in datiuo regere potest: sed eas quoq; in accusatiuo, mediante in vel ad, quæ ad studium animúmque pertinent. Vt, Incumbo remis & studiis. Incumbo in studia, vel ad studia: non autem ad remos, vel in remos. Causa diuersitatis videtur: quia dicendo ad studia literarum, videtur subaudiri datiuus, vt sit, Incumbo curis, aut vigiliis, aut pluteo, ad studia literarum. sed modica est ratio. Potior autem est ratio authoris: quia in rebus ad animum pertinentibus, metaphoricos loquimur: vt sit, Incumbo, quasi inuigilo, aut innitor. Calepinus autem affert exemplum vbi Cicero Incumbo in Rempublicam dixit. Vt ad Cornificium, Te tamen hortor, vt omni cura in Rempublicam incumbas. Vúltque vt accedente tam tacite quàm expresse adiectiuo seu nominali seu participiali, & mediante præpositione, accusatiuo sit locus. vt apud Ciceronem pro L. Sylla, Neminem esse ex illo honoris gradu, qui non omni studio, virtute, authoritate incubuerit ad Rempublicam conseruandam.

De Incumbo huic rei, & in hanc rem. CAP. XLIIII.

INcumbo studiis, & incūbo remis. Virgilius, Validis incumbite remis. Incumbo in studia & ad studia, sed non incumbo in remos & ad remos. Cicero, Pergite adolescentes, & in hæc studia, in quibus estis, incumbite. Et alibi, Quare incumbamus ô noster Tite ad illa præclara studia, & eò, vnde discedere non oportuit, aliquando reuertamur. Neque hoc in bonum tantummodo accipitur, sed etiam in malū: vt idem, M. Catoni incumbenti ad eius perniciem. Sed illud, Incumbite remis, non est per trāslationem dictum, vt hoc. Nam vt quum remiges incumbunt remis, vel quum nos operi faciundo incumbimus toto pectore, significatur diligentia & conatus: ita & quum accuratius quid mente agimus, incumbere dicimur. quemadmodum econtrario supini dicuntur, qui negligenter agunt. Supini.

EPITOME.

Nonnulla verba in diuerso sensu, datiuo & accusatiuo cōstruuntur. Plura in eodem: sed accusatiuo ferè, ministerio præpositionis, per quam quædam etiam ablatiuo congruunt. In diuerso igitur sensu dicimus, Metuo, timeo, & formido tibi & te. nam tibi, quasi amico, hoc est, pro te & in commodū tuum, nequid tibi mali accidat. sed te, tanquā inimicū, nequid mali in me moliaris. Cedo tibi, id est locū do & concedo. Cædo te, id est flagello aut occîdo. Accedo tibi, id est adiicior & aduenio. Accedo te, id est aggredior. Conduco tibi, id est vtilis ad aliquid sum. Conduco te, id est simul duco. Conuenio tibi, id est consentiens sum aut cōmodus: vnde conuenio tecum etiam dicitur. conuenio te, id est cito, aut cōpello, aut congredior. Incesso tibi, id est iniicio, aut suborior. Incesso te, id est peto, & cædo. nec incessit est præteritū à verbo incedo, vt in marginibus falso notatum inueni: sed verbum inde fortè deductū, terminatum in so. Sic differēter dico, Do custodi equum, & equo custodē, atque alia multa. in eodem autē sensu, sed in diuersis casibus dicimus, Insum tibi, & in te. Similis tui & tibi. sed tui, volūt ad mores: & tibi, ad substantiā respicere.

Partior huic rei,& in hanc rem labores.Nafcor huic rei,& ad hanc rem. Aggrego, & adfcribo,& annumero te his,& ad hos,& in numerum horum.Proprium & cõmune his,ac horum.Particeps & affinis his,& horum,& cum his.Celo te hãc rem, & de hac re.Commoneo & admoneo te hanc rem,& huius rei. Impleo vas vino, & vini.Diues auri,& auro:atque innumera alia. Omnia enim compofita cum præpofitione datiuum regentia, poffunt appofita præpofitione, præpofitionis cafum regere,vt Comparo,confero,compono tibi & tecum.Omnia item ad pugnam, vt Certo,pugno,cõtendo,congredior tibi & tecum. Omnia datiuum localem regentia,vt Infero Latio & in Latium.de quibus latè Mancinellus in thefauro, & nos in grammatica noftra difputamus.Sed vt authoris verba explanem,Commẽdo te regi,id eft committo,credo, & humanitati ac beneuolentiæ eius mando. Commendo te apud regem,aut in fenatu,id eft laudo.Dimitto te abiens, id eft derelinquo: & Dimitto te vt abeas,id eft foluo. Impendo,infudo,infifto,innitor,inhio,intendo, impertior huic rei,& in hanc rem.Refpondeo,fcribo,loquor,pertineo,attineo tibi,& ad te:fed potius ad te:præter refpondeo,quod etiam datiuo non ineptè iungitur. Sed finem facio.

De diuerfo varióque regimine verborum, cum diuerfa fimilíve fignificatione. CAP. XLV.

Timeo. Timeo te tanquam inimicum,Timeo tibi tanquam amico. Illic tãquam offenfurus fis,hic tanquã defendẽdus. Commendo. Commendo te regi,id eft committo.Cõmendo te apud regem, id eft laudo. Cedo. Cedo tibi, vnde & cócedo tibi,pro nõ repugno tibi:facítq; præteritũ ceffi. Cædo. Cædo te,pro flagello te,cuius præteritũ eft cecídi pro flagellaui,& fupinũ cæfum.Vnde cæfus,vel qui flagellatus eft,vel qui amputatus eft,fiue occifus.Raro pro occido hoc verbum accipitur.Cicero in Philip. Cædit greges armentorũ. Dimitto. Dimitto te difcedẽs,id eft relinquo.Dimitto te difcedẽtẽ, id eft,abire permitto.vel Dimitto te,id eft mitto,vnde dimiffi legati dicũtur. Inceffo. Inceffit mihi cupiditas,id eft fubiit.Inceffit me ille, Ineft. id eft,offẽfurꝰ me petit & accufat. Ineft huic loco,& ineft in hoc loco. primũ apud Quintilianũ,cæterófque frequẽtius: ait enim, Verum hoc melius faceret natura ipfa duce, fed naturis ipfis ars inerit. Secundum apud Ciceronem frequentius : vt ibi,Illud enim honeftum , quod fæpe diximus, fi in alio cernimus, tamen nos mouet,atq; illi in quo id ineffe videtur,amicos facit. Comparo. Cõparo hanc rem illi & cũ illa. Confero. Cõfero te ifti & cum ifto. Similis. Ego fum fimilis tibi & tui. Communis. Hoc eft cõmune omnibus & omniũ, vel Cõmune mihi tecum & cũ cæteris. Particeps. Ego fum particeps laborum tuorũ,& Tibi fum in laboribus particeps. Quintil. Et in plerifq; ruris operibus marito particeps. Curtius,Quòd fuiffet illis in periculis particeps. Accedit. Accedit huic rei & ad hãc rẽ,vel Accedit huc, vel eò,vel eodẽ.Quintilianus,Atq; vt accedat dolori meo cumulus,quæ hoc facit,vxor mea eft.Cicero,Vt ad illam optimã præclarámque prædã damnatio Sexti Rofciivelut cumulus accedat.

Impendo curam vel operam,vel laborem,& ſimilia,huic rei & in hanc rẽ: quod in Quintiliano ſæpe reperies. Partior laborẽ multis negotiis,& in multa negotia.vt apud eũdẽ. Adiicio huic rei,& ad hanc rẽ. Reſpondeo tibi,& ad te. Celo te hanc rẽ,& celo te de hac re. Tu es natus ad laudẽ,& laudi.Cicero pro Seſtio,Nam quid ageret vir ad dignitatem & gloriam natus? Et in eadem, Qui ſe patriæ,qui ciuibus ſuis,qui laudi,qui gloriæ,non qui ſomno & cõuiuiis & delectationi natos arbitrãtur. Aggregabo te illis, vulgo dicimus. Idẽ, Aggregare te ſoleo in numerum noſtrũ. Idem pro Archia,Aſcribi ſe in eam ciuitatem voluit. Et pro eodem,Quũ fuerit in aliis quoque ciuitatibus aſcriptus. Idem in Philippicis, Tu verò aſcribe me in talem numerũ. Idem pro Rabirio, Siquis hunc reprehendendum putat,aſcribat ad iudicium ſuum non modo meam,ſed huius etiam ipſius qui commiſit ſentẽtiam.Idem contra Rullum,Illum ſibi collegam aſcriberes. Tibi hoc aſcribendum eſt. id eſt, tibi tribuendum & imputandum.

Impendo. Partior. Adiicio. Reſpondeo. Celo. Naſcor. Aggrego. Aſcribo.

EPITOME.

Pœnitet,tædet,miſeret,piget,& pudet, quæ vera imperſonalia ſunt,optant ante ſe aliud imperſonale qui cum conſtruantur, vt cœpit,incœpit,deſinit,poſſet,&c.

Habet autem tædet pro præterito,pertæſum eſt: quãuis dicatur etiam diſtæduit & pertæduit:& miſeret miſertum eſt.à miſeret autem eſt infinitiuus paſſiuæ vocis, miſereri, quo vtitur Cicero in exemplo literæ.

De noua ratione regendi quorundam imperſonalium. CAP. XLVI.

COEpit eũ pœnitere, poſſet te pigere, deſinet me tædere,ſæpius dicimus:quàm Cœpit ille pœnitere, poſſes pigere,deſinã tædere. Quintilianus in milite Mariano, Neque ſi ſit cupidiſſimus vitæ,pœnitere eum ſui facti poteſt. Cicero de petẽdo conſulatu, Si hic ciuis liber eſt, cuius authoritatis neminem poſſet pœnitere.Idem in Verrem, Iamiam Dolabella me neque tui, neque tuorũ liberorũ, quos tu miſeros in egeſtate atque in ſolitudine reliquiſti,miſereri poteſt.Simile eſt illud Terentii, Ita dii me bene amabunt,vt me tuarum miſertum eſt Menedeme fortunarum. Me,pro à me miſertum dixit.

Act.3. In Heauton.

EPITOME.

Deſunt nonnunquam in oratione verba: ſed non ſine gratia. vt quoties commotis, vel per iram interrogantibus aut minantibus, per apoſiopeſim datur ſermo abruptus. Aut quoties quod ſubticetur verbum,eſt intellectu facile,vt verbum generale,aut ad loquelam ſpectans.Vnde Seruius honeſtam dicit eclipſim in illo Virgiliano, Talia per Latium. vbi ſubauditur gerebantur. Gero autem,facio,fio, ſum, communia ſunt verba. Exempla plurima ſunt in litera.Illud Ciceronis,Quo &c. ſic conſtruitur,Quo,id eſt ad quem vſum,ſupple detur,aut petam,mihi authori pacis ſignum Martis? quaſi dicat,ad nullum. Quintiliani ſic, Quo,id eſt ad quid, per

fidem, supple rogo, dederis, supple cæco diuitias? vt quibus nesciat vti. Quo, id est ad quem vsum, datur nunc tantum frumenti? &c. Colligit autem Valla sex modos, quorum primus est per quo. secundus per vnde. tertius per dico. quartus per respõdeo. quintus per confiteor. sextus per verbum generale. Verbum autem EST facillime in participiis intelligitur, & nonnunquam in aliis. vt AEneidos primo, -nunc fama minores Italiam dixisse, &c. subaudi est.

Quum venustè verba, aut desunt, aut redundant. CAP. XLVII.

DEsunt nonnunquam verba in oratione, sed non sine gratia: vt Horatius,

Lib. I. epist. 5.

Quò mihi fortunam, si non conceditur vti? Id est, ad quid vultis esse mihi bona fortunæ? Hic modus incipit per quò, alius incipit per vnde. vt idem,

Lib. 2. sermo.

Vnde mihi lapidem? quorsum est opus? vnde sagittas?
Supple putes, vel dicas mihi esse. Iuuenalis Satyra 14,
Vnde tibi frontem, libertatémque parentis,
Quum facias peiora senex?
Cicero ad Fabium, Martis verò signum quò mihi pacis authori? Quintilianus, Quò per fidem diuitias cæco? Et alibi, Quo nunc tantum frumenti, quo classem commeatu grauem? Idem, Vnde hunc illi animum? Et alibi, Vnde tantum virium cæco, vt in vno statim ictu mors tota peragatur? Idem tamen ait alio loco, Vnde miseræ tũc, vnde somnus? supple erat vel est. Tertius modus, vt apud eundem, Sequitur quæstio, an vtilis rhetorice: nam quidam vehementer in eam inuehi solent, & (quod sit indignissimum) in accusatione orationis vtuntur orandi viribus. Eloquẽtiam enim esse, quæ pœnis eripiat scelestos, cuius fraude dãnentur interim boni, consilia ducantur in peius. supple, dicunt enim eloquentiam. Cicero, Habendas esse quamlaxissimas amicitiæ habenas. caput enim esse ad bene viuendum securitatem. supple, dicunt enim caput. Qui modus loquendi apud Græcos est frequentissimus. Idem verbum aliquando redundat. vt de Oratore Cicero, Titium illum, qui quum studiose pila luderet, & idem signa sacra noctu frangere putaretur, gregalésque eum in campum non venisse requirerent, excusauit Vespa Terentius, quòd eum brachium fregisse diceret. Satis erat dixisse quòd brachium fregisset. Et non longe illinc, Cui quum familiaris quidam quereretur quòd diceret vxorem suam suspendisse se de ficu, Amabo te, inquit, da mihi ex ista arbore quos seram surculos. Sat erat sine illo, quòd diceret. Sed hoc verbum libenter apponit Cicero. Quartus, quum suppletur respondeo. vt idem frequenter, Quod autem scribis de illo negotio, ego nescio quid

Libro 2.

Libro 2.

consilii capiam, vel ego iam antea timueram. supple respondeo. Raróque vel nunquam hoc verbum profertur. Aliquando subintelligitur simile verbum. vt apud Quintilianum, Sed si confessionem culpæ meæ exigitis, ego fui pater durus, & patrimonii, quod iam melius ab his administrari poterat, tenax custos. supple confiteor, quod est. Quintus modus, vt apud Ciceronem, In obsequio (quoniam Terentiano verbo libenter vtimur) assentatio absit, veritas retineatur. Subintellige, ita loquimur, quoniā Terentiano verbo libenter vtimur. Et alibi, Satiari delectatione non possum vt meæ senectutis requiem oblectationémque noscatis. Subintellige, hoc dico vt noscatis. Sextus modus, vt apud Plinium Iuniorem, Studes, an piscaris, an venaris, an simul omnia? supple facis. Quintilianus, Nil aliud quàm renuet. id est, nihil aliud faciet quàm renuet. Et iterum, Et acceptis literis meis, iuuenis filius nihil aliud quàm cum matre fleuisset. id est, nihil aliud fecisset, quàm cum matre fleuisset. Martialis, Nil aliud bulbis quàm satur esse potes. id est, nil aliud facere. Cui confine est illud, vbi prolato aliquo aduerbio qualitatis, subintelligitur pro conditione materiæ, aut dixit, aut fecit: vt, Bene Ennius, præclare Anaxagoras, fortiter Scipio, prudenter Fabius. supple dixit aut fecit: prout ex his quæ aut iam diximus, aut dicturi sumus, colligitur. Et per comparatiuū, Dii melius. supple fecerint, aut faciant, aut certe velint. Nec de diis solum, verum etiam de hominibus. vt apud Quintilianum, Tu melius vxor, quæ facturum retinebas. supple fecisti. Interdum etiam per nomen, nam illud melius est aduerbium. vt, Dii meliora. Lucanus ipsum verbum apposuit, Dii meliora velint. Nec procul ab huius natura abest, quando vtimur hoc nomine res, siue in nominatiuo, siue in accusatiuo, fortè etiam in aliis casibus. vt, Restat mihi exponenda vita, quam hic egit in magistratu, res digna auditu in primis. vel, Reliquum est vt exponam vitam huius qua fuit in magistratu, rem dignam auditu in primis.

Nil aliud quàm.

Res.

EPITOME.

Propter certitudinem significandā, locuti sunt oratores de futuro per præteritū. Sæpe autem optatiui tempora, quasi necessitatem importantia, vsurpant. Sæpe ad hoc, SI particulā subaudiunt. Item sæpe imperfectum præteritum pro plusquam perfecto: & indicatiui tempora, pro alterius modi temporibus, ac ecōuerso, ornatus aut varietatis gratia posuerunt. Exempla omnia patent in litera. præter quæ, est adhuc alius modi exemplum, quando subiunctiuum pro indicatiuo vsurpatur. vt, Si pergis abiero, pro abibo. Aut potius, pro Si perrexeris, dixit Si pergis, &c. Hebræi, vt ex sacris literis docemur, in re certa & immutabili præsens tēpus pro omni sæpe ponunt: vt Sum qui sum. Antequam Abraham fieret ego sum. Quoniam virū non cognosco. Nunc dimittis seruum tuum, &c. Viuit dominus, &c.

Quòd amœne tempus aliquando pro tempore ponitur. CAP. XLVIII.

HAnnibal apud Titum Liuium alloquens milites, inquit, Si tales animos in prælio habebitis, quales hîc ostendistis, vicimus. Quintilianus, Si tales milites omnes habebimus Mari, vicimus. Cur de futuro non per verbum futuri temporis locutus est? Nempe ad asseuerãdam rem, vt non futura, sed iam esse videatur. multóq; plus ponderis habet, vt dicamus vicimus, quàm vincemus. Idem Quintilianus, Dimitte tantum, & euocasti. id est euocaueris. Cicero, Vnum ostende in tabulis, aut tuis, aut patris tui emptum, & vicisti. pro viceris. Idem pro Sestio, Restitisses, repugnasses, mortem pugna oppetisses. pro eo quod est resistere, repugnare, mortem pugna oppetere debuisses. Ouidius libro quarto Metamorphoseos,

In Mil. Mar. Præteritum pro futuro.

In sepulchro incantato.

Præmiáque eripies: quæ si tibi magna videntur,
Ex illis scopulis, vbi erant affixa, petisses.

Id est, petere debuisses. Terentius in Andria, Prædiceres. pro eo quod est, prædicere debebas. Et alibi, Fortasse aliquanto iniquior erat, propter eius libidinem pateretur. pro pati debebat. Item Cicero tertio Officiorum, Male etiam Curio, quũ causam Transpadanorum æquam esse dicebat, semper autem addebat, Vincat vtilitas. Potius diceret non esse æquam, quia non esset vtilis reipublicæ. id est, dicere debebat. Huic simile est quale apud Ouidium de remedio,

In Heauton.

Gnosida fecisses inopem, sapienter amasset.

Si, subauditur

Id est, si fecisses inopem. Horatius,

Lib. 1. sermo. Saty. 3.

-decies centena dedisses
Huic parco paucis contento, quinque diebus
Nil erat in loculis.

Id est, si dedisses. Plinius Iunior, Dedisses huic animo par corpus, fecisses quod optabat. Id est, si dedisses. Illud magis poeticum. vt Virgilius,

-tu quoque magnam
Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare haberes.

Id est, si sineret. Iuuenalis,

Græculus esuriens in cælum iusseris ibit.

Id est, si iusseris. Adhuc diuersum huic est, quale est apud Ciceronem, Conchyliatis Cnei Pompeii peristromatis seruorum in cellis stratos lectos videres. id est vidisses. Quintilianus semper vidisses: vt ibi, Vidisses vtique non quemadmodum tenues rerum imagines solent cogitationibus accipere corpus. Apud hũc sæpe

Philipp. 2.
In sepulchro incantato.
In corpore proiecto.

est hic modus loquendi, Si perseuerassem, duos excæcaueram. pro excæcassem. Quale est illud Horatianum secundo carminũ, quod metri causa Priscianus dici putat,

Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextra leuasset.

Apud illum quiddam penè contrarium: vt ibi, Dictatoris nomẽ quod sæpe iustum fuisset. pro fuerat. Nam de imperfecto subiũctiui, quod solet poni pro imperfecto indicatiui, in proximo libro iam dixi, cuius hoc exemplum fuerat, Non quia amicus non esses. Cicero de republica libro sexto, Et quòd de via fessus essem, & ad multam noctem vigilassem. pro fessus eram & vigilaueram.

EPITOME.

Cum verbis Oportet, decet, operæpretiũ est, expedit, necesse est, conducibile est, & similibus, consuetudo oratorum præsens infinitiui verbi actiui construit: ratio grammaticorum, potius passiuæ vocis. Sed oratores potius præteritum passiuæ vocis, quàm actiuæ. quod aliter dici solet, Cum dictis verbis construenda esse participia accusatiui casus, aut quum Opus est ablatiui casus, loco verborum. Verbi gratia, loco huius, Necesse fuit consuluisse: dicunt, Consultum oportuit. & loco huius, Opus est consuluisse: Cõsulto opus est. Sallustius in Catilina, Nam & priusquam incœperis, consulto: & vbi consulueris, mature facto opus est.

Vbi nitidius vtimur actiuo, vbi passiuo. CAP. XLIX.

OPortet legere libros, expedit euoluere authores, vtile est cognoscere plurima, operæpretium est habere quos imitemur, necesse est adhibere vsum, conducibile est descendere in certamen, & agitare cum aliis controuersias. Vel per passiuum, Oportet legi libros, euolui authores, cognosci plurima, haberi quos imitemur, adhiberi vsum, agitari cum aliis controuersias. Hunc posteriorem modum magis ars grammatica probat, illum magis authoritas. Secus in præterito. nanque non ita sæpe legimus, Fecisse hoc oportuit, vt Factum hoc oportuit. Cicero in Verrem, Tamen id factum non oportuit. Et in eundem, Apollinis signum ablatum certe non oportuit. Et alibi, Totam rem illi integram seruatam oportuit. Non dissimile sanè est illud per alterum verbum (de volo loquor) vt idem, Liberis consultum voluimus, etiam si posthumi futuri sint. Idem, Percurram tamen breui, vt non minus hominem ipsum, quàm ius cõmune defensum velitis. Quintilianus, An incidisse in sordidum nomen, non eo cõtemptum hominis, quem destructum volebat, auxisse.

EPITOME.

Oratores nonnunquam propoſitiones & rationes confundunt: ita vt priuſquã ſecundam partem propoſitionis exequantur, prioris rationem aſſignent.

Propoſitiones rationéſque interdum miſceri. CAP. L.

NAm vbi vinci neceſſe eſt, expedit cedere: ſiue plura ſunt de quibus quæritur, facilior erit in cæteris fides: ſiue vnum, mitior pœna ſolet irrogari verecundiæ. Miſcuit hoc loco Quintilianus propoſitiones, rationéſque, quum ſit vſitatiſſimum ſic dicere, ſiue plura ſunt, de quibus quæritur, ſiue vnũ. Si enim plura, facilior erit in cæteris fides: Sin vnum, mitior pœna ſolet irrogari verecundiæ. Atque iterum, Firmis autem iudiciis, iámque extra periculum poſitis, ſuaſerim & antiquos legere (ex quibus ſi aſſumatur ſolida & virilis ingenii vis, deterſo rudis ſæculi ſqualore, tum hic noſter cultus clarius niteſcet) & nouos, quibus & ipſis multa virtus adeſt. Alius dixiſſet, ſuaſerim & antiquos & nouos. antiquos quidem, & cætera. nouos verò, &c. Cicero in Antoniũ, O te miſerum, ſiue illa tibi nota non ſunt (nihil enim boni noſti) ſiue ſunt, qui apud tales viros tã impudẽter loquare. Philip. 2.

EPITOME.

Quia videor, verbum eſt perſonale, dicam, Tu videris mihi probus: Nõ videtur mihi quòd ſis probus. & ita in conſimilibus.

De vſu venuſto verbi Videor. CAP. LI.

NOn videtur tibi quòd bene faciã, & Mihi nõ videtur quòd bene loquaris. Sicut vobis videtur quòd male facimus, ita nobis videtur quòd male facitis. Videtur tibi quòd ille bene ſcribat, & Videtur mihi quòd iſti bene arent: ruſticanus hic ſermo eſt & agreſtis. Eruditi enim ſic loquuntur, Nõ videor tibi bene facere, & Tu nõ videris mihi bene loqui. Sicut vobis videmur male facere, ita nobis vos videmini. Ille videtur tibi bene ſcribere, & Iſti mihi videntur bene arare.

EPITOME.

Datiuus Mihi & Tibi, ſæpe ex conſuetudine loquendi aſſumitur, ita, vt nullũ certum aut referat, aut demonſtret. Exempla ſunt in litera.

De vulgari quodam vſu Mihi & Tibi. CAP. LII.

Mihi. Tibi. HIc mihi gloriatur ſe omnes honores ſine repulſa obtinuiſſe. Et alibi idem Cicero narrans Bruto rem in qua ille non adfuerat, inquit, Ecce tibi Pompeius noſter. Illud mihi & tibi non magis ad me vel ad te, quàm ad cæteros pertinet, ſed eſt oratio ſũpta de medio, qua vulgo vtimur. Tu mihi ſemper dormis, ille mihi aſſidue ſedet. Quum ſuper cœna eſſemus, ecce tibi oſtium crepuit. Hic ſermo neque ad me, neque ad te, neque ad quenquam refertur. Ideóque differens eſt ab illo figurato, quale eſt apud Virgilium,

Ne mihi tum molles libeat iacuisse per herbas. Et iterum, Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem.2.Georgicorum. Hîc præcipitur ad vniuersos sub prima & secũda persona, ibi nõ præcipitur, nec ad aliquem sermo est.

EPITOME.

Superioribus, aut paucis diebus, aut triduo, similésque ablatiui nõ sunt exponẽdi sic, Per superiores aut paucos dies, seu per triduum: sed Intra superiores, aut paucos dies, aut intra triduũ. significatur enim per ablatiuũ tempus intra quod aliquid factũ est, aut fieri potest, aut etiam tempus quando: sed tempus quandiu, potius in accusatiuo ponetur. Et id præcipue, si sit cõtinuatum & sine intermissione: licet author noster id non approbet. Nam Nonius Marcellus non futilis author, & obseruatiõ doctissimorum id approbat. Non enim obstat, quòd interdum additur accusatiuo, & particula integritatis & continuationis: vt, Hic iam tercentum totos regnabitur annos Gente sub Hectorea: quia certũ est multa manifeste inclusa ad expressiorẽ elocutionem repeti atque subiungi: vt, Adducam te ad patriam, accede ad ignem, minor duorum fratrum, paruum corpusculum: vt alibi diximus adducentes illud AEquiualens geminis, &c. Verum Nestor quoque authorem nostrũ sequitur, dicẽs, Quotiescunque (inquit Marcellus) per accusatiuum annos vel dies loquimur, iuges annos vel dies vocamus: quoties per ablatiuũ, interiectis aliquibus annis vel diebus. Frustra excogitata est hæc differentia Noni Marcelle: etsi tuam sententiam omnes qui de hac loquuti sunt, ad nostram vsque ætatem probare videantur. Si enim per accusatiuum significaretur tempus continuatum, non oporteret, vel potius non liceret addere continuos. vt Cicero pro lege Manilia, At hercle aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille populus Romanus, cuius vsque ad nostram memoriam, nomen inuictum in naualibus pugnis permãserat, magna ac multo maxima parte non modo vtilitatis, sed dignitatis atque imperii caruit. Virgilius AEneidos 1, Hic iam tercentum totos regnabitur annos. Item Georgicorum quarto, Septẽ illũ totos perhibent ex ordine menses Fleuisse. Si igitur per accusatiuũ, tempus minime interruptũ significaretur, non oporteret addere totos, neque ex ordine, quod significat sine intermissione. Dicendum est ergo, quòd indifferenter loquimur per ablatiuum more Latino, & per accusatiuũ instar Græcorum. nihílque differt si dicatur (vt Cicero scripsit) Quanquam te Marce fili annum iam audientem Cratippum: aut, duobus annis audiui Platonem: immo etiam per ablatiuum addendo continuis vel totis, loqui possumus. Vnde in Apostolicis actionibus legitur capitulo vltimo, Mansit autem Paulus biennio toto in suo cõducto, disputans. Ouidius libro quinto Tristium, Pene decem totis aluit Penatius annis. Terentius in Adelphis, An non sex totis mensibus prius olfecissem, quàm ille quicquam cœperit? Verum illud fortasse melius præciperetur, quũ de parte, non de toto tempore loquimur, non licere per accusatiuum loqui, sed per ablatiuum. vt si dicas, Ego hoc anno ad te veniam. id est aliquo tempore huius anni. quod non recte diceres per accusatiuum, Ad te hũc annum veniam. Hæc Nestor: qui quanquam inuitus in sententiam nostram tandem concedit. Nam quare non licet per accusatiuum dicere, Ad te hũc annum veniam, nisi quia tempus sine intermissione per accusatiuũ designetur? Quocirca licet prolixior fiam, tamen vt litem semel dirimam, has puer de tempore habeto regulas.

Tẽpus quod dicunt quandiu seu quãpridẽ, si cõtinuatũ sit, decenter ponitur in accusatiuo & cũ nota cõtinuationis & sine ea, & sæpe cũ numerali primi ordinis: potéstque in ablatiuo licet minus venuste poni: in quo si cõtinuatũ nõ est, necessario ponitur. Cũ nota, vt AEneid. 1, Hic iã tercẽtũ totos regnabitur ãnos. Sine nota, vt in eodẽ, vna cũ gẽte tot ãnos Bella gero. Et iterũ, Tu faciẽ illius noctẽ nõ ãplius vnã Falle dolo. Dico Sæpe cũ numerali, &c. quia quũ facile intelligitur, bene subticetur. Prima regula.

vt Te annum audiẽtem Cratippum: idem eſt ac ſi dicat, annum vnum. Dixi Si cõtinuatum non ſit, neceſſario in ablatiuo poni: vt Hoc anno ad te veniam, aut quadragies ieiunabo: nõ hunc annum. Ponitur interdũ numerale ordinis pro eo quod eſt primi generis. Cicero, Quum decimum iam diem grauiter ex inteſtinis laborarem: idem enim eſt ac ſi dicat, Quum decem iam dies: vel, ad decimum vſque diem.

Tempus in quo, ſeu quod reſpondetur ad quando, & ſæpe intra quod, id eſt mẽſuram adſignificãs, ponitur in ſolo ablatiuo, niſi præponatur præpoſitio accuſatiui caſus, aut particula abhinc. Exempla ſunt, Quando venies ad nos? hoc anno, aut menſe proximo. Quando ſcripſiſti hæc? anno ſeſquimilleſimo vigeſimooctauo. De temporis menſura, vt Biduo perlegam georgica. At ſi dixeris, Biduum legam georgica, ſignificaueris te lecturum georgica per dies duos, eóſque continuos, non tamen neceſſario tota georgica. Dixi Niſi addatur præpoſitio accuſatiui caſus aut abhinc. Nam dicam, Intra biduum perlegam georgica: non infra, vt ineptuli loquũtur. Ad Calẽdas Martias tecum ero. Abhinc trienniũ venit mulier, &c. Certum autẽ præpoſitionem ſuo caſui præponi poſſe, vt In vndecimo menſe poſt mortẽ mariti peperit: In decimo menſe hominem gigni legimus apud Gellium. Tempus omne tã continuũ quàm non continuum in ablatiuo poni poteſt, ſed tunc venuſte quando particula cõtinuationis aut eius negatio ponitur: tũc autẽ neceſſario quãdo ſignificatur menſura exceſſus per ante aut poſt expreſſa vel ſubaudita, dum modo non regant tempus ipſum. Exemplum de nota continuationis. Plinius, Nihil ſalutare eſt, niſi quod toto anno ſalubre. Vbi tamen dicere potuiſſet, niſi quod totum annum, &c. Vbi non eſt nota, nec eſſe poteſt: vt Hoc anno te viſam. Vbi negatio: vt Hoc anno toto te nõ vidi: vel Non toto hoc anno te vidi: aut Non totum hunc annum te vidi. De ante expreſſo: Cicero, Perpaucis ante diebus dederã ad te literas. Idem, Paucis ante diebus erupit ex vrbe. De ſubaudito ante vel prius. Terẽtius, An nõ ſex totis mẽſibus prius olfeciſſem, quàm ille quicquã cœperit? De poſt: Suetonius de Tyberio, Biennio continuo poſt adeptum imperiũ, pedem porta nõ extulit. Virgilius in Bucolicis, Reſpexit tamen & multo poſt tempore venit. At ſi ante & poſt regant tempus ipſum, regant in ſuo caſu. vt Valerius Maximus, Poſt tertium diem expirauit. Suetonius, Non temperauit quin paucos poſt dies frequẽti curia iactaret. Cicero, Cum aliquot poſt annos id oppidum recepiſſet.

Quando maiori tempore expreſſo partem eius accipimus, & quando deeſt poſt. CAP. LIII.

SVperioribus diebus veni in Cumanum. Et iterum, Qui his paucis diebus põtifex factus eſt. Et in futuro, Paucis diebus erã domeſticos tabellarios miſſurus. Et iterum, Triduo aut ad ſummũ quatriduo periturum. Hæc Cicero. Et Salluſtius, Legati triduo nauim conſcendere. non eſt accipiendum per ſuperiores dies, & per paucos dies, per triduum & quatriduum, ſed intra ſuperiores dies, intra paucos dies, intra triduum & quatriduũ. Nam illud quod aliqui dicunt, tempus continuatum & ſolidũ ſignificari per accuſatiuum, ſecus verò per ablatiuum, planè falſum eſt. Cicero enim atque Virgilius ſæpius accuſatiuo, & quidem indifferenter vtũtur: poſteriores verò plerique ablatiuo. Aliquando in huiuſmodi genere ſermonis omittimus poſt: ſic, Intra decem dies, quàm venit, confecit omne negotium. In paucis diebus, quàm Rhodum appulit, vxorem duxit. id eſt poſtquam

Tẽporis continuati expreſſio.

Quàm pro poſtquam.

venit,poſtquam appulit.Quæ exempla apud hiſtoricos ſunt plurima.

EPITOME.

Quid eſt,ſine particula diuerſitatis,niſi interueniat dictio alius,aliter,aut comparatiuum nomen,non recipit poſt ſe particulam quàm,ſed niſi. Non ergo dices, Quid eſt animal,quàm corpus? ſed, niſi corpus,&c.aut,Quid aliud eſt animal,niſi, &c. Simile fit per præter,præterquam: inter quæ hoc eſt diſcriminis, quòd præter accuſatiuum poſtulat, præterquam conſimiles caſus copulat:ſicut quàm & niſi.

Vbi deceant Niſi,Quàm,& Præterquam. CAP. LIIII.

QVid eſt animal,niſi corpus cum anima concretum? recte & Latine.Quid eſt animal,quàm corpus cum anima cõcretum? non recte nec Latine. Adde aliud,vel aliter, vel ſecus,& vtroque modo licebit dicere. Quid eſt aliud animal, quàm corpus, vel, niſi corpus cum anima concretum? Cicero, Quid eſt aliud gigantum more bellare cum diis, niſi naturæ repugnare? Idem faciet comparatiuum.vt,Quid eſt melius quàm gaudere, vel,niſi gaudere? vt Quintilianus,Nihil eſt facilius,niſi totã cauſam omnino non agere. Præterquam,eandẽ aut propè parem vim obtinet quam niſi. Cuius exempla,vt facilia,prætermittimus: vnum illud admonentes,vbi eſt præter, ibi locum habere præterquam,ad hunc modum:vt, Nullius rei ſum auarus præter laudem, vel præterquam laudis.Nulli places præterquam mihi,vel præter me.

De Seneꝫ. Præterquam. Præter.

EPITOME.

Transferre aliquãdo ſpectat ad imitationem:ſic,vt Quid penes eos,vnde transfertur maneat.

De vſu huius verbi Transfero. CAP. LV.

QVem morem Spartiatæ tranſtulerunt in fœminas. Et alibi idem Cicero , Quod niſi in amicitiam transferatur. Quæ in alios transferuntur, non ſolent remanere penes eos à quibus transferuntur. Mos autem (vt Cicero vult) ita transfertur, vt penes priorem quoque remaneat . Et libro primo Officiorum, Quod ab Ennio poſitum in vna re , transferri in multas poteſt . Et in eodem, Eadémque mediocritas ad omnem vſum, cultúmque vitæ transferenda eſt. Lucanus in decimo,Nondum tranſlatos Romana in ſæcula luxus.

EPITOME.

Committo,ſequẽte vt,aut ſimili particula,fere in malam partem ſumitur:ideóque habet negationem præpoſitam. Demereor autem licet hìc non dicatur,ſignificat bene de te aut alio mereor: non ergo pro peccatis aut commiſſis demerita dixeris.

De Committo. CAP. LVI.

NOn committas vt quum omnia tibi à nobis ſuppeditata fuerint, tu tibi defuiſſe videare. Et iterum, Non committas vt dicendum ſit, Non putaram. Hæc Cicero. Quintilianus quoque, Non committam vt illa dubia faciam defenſionis ſolicitudine. Et alibi, Nihil tibi minus cõmittendum, quàm vt vlciſcaris hoc flagitium, in eo præſertim qui apud malignos poterit videri te permittente feciſſe. Cicero tamen quodam in loco non per vt, ſed per quamobrem locutus eſt, dicens, Conſyderare debes nihil tibi eſſe committendum, quamobrem eorum quos laudas, te nõ ſimillimum præbeas. Idem pollet quamobrẽ quod vt. Et licebit illud tollere, & hoc ſubiicere. Ex quibus exẽplis datur intelligi, hoc verbum ſequente vt, vel ſimili dictione, ſemper accipi in malam partem. nec recte dicas, Fac committas vt omnes te laudent. aut ſic, Non commiſiſti vnquam vt laudareris. Præterea ſemper habet ſecum negationem.

EPITOME.

Oriundus, participium non eſt: ſignificat autem locum vnde maiores noſtri ſunt, nóſque originem traximus: licet alibi orti, id eſt nati ſimus. Dicit autem Ortus circunſtantiam loci in quo, Oriundus verò de quo.

De Oriundus & Ortus. CAP. LVII.

ORiundus quòd non habeat vim participii, credo alii dixerunt. Cuius vtendi hic modus eſt, Ego ſum ortus Romæ, oriundus à Placentia. Titus Liuius, Nati Carthagine, ſed oriundi à Syracuſis. id eſt, à Syracuſis originem trahentes, vnde fuerunt parentes. vel ſine præpoſitione, vt idem, Alba oriundum ſacerdotium. In perſonis ferè cum præpoſitione. Idem, Is longè princeps Latini nominis erat (ſi famæ credimus) ab Vlyſſe deáque Circe oriũdus. Idem, Quid hoc, ſi polluit nobilitatem iſtam veſtram, quam plerique oriundi ex Albanis & Sabinis non genere nec ſanguine, ſed per cooptationẽ in patres habetis? Nõnũquam per indeclinabilia. vt Inde ego ſum oriundus vnde tu. Liuius tamen (ſi rectè ſcribitur) ait lib. 8, Palæpolis fuit haud procul inde vbi nunc Neapolis ſita eſt, duabus vrbibus idem populus habitabat, Cumis erant oriundi, & cætera.

Lib. tertio ab Vrbe cõdita.

EPITOME.

Memini verbum, pro recordor, regit genitiuum vel accuſatiuum: ſignificans autem mentionem facere, genitiuum vel ablatiuum mediante DE præpoſitione, à qua ſignificatione videntur deriuari mentum, mens, mentio, & mentior, & fortè menta.

De Memini. CAP. LVIII.

Memini pro recordor, tum genitiuum, tum accuſatiuum poſtulat. vt Terentius, Faciam vt meíque & huius diei, ac loci ſemper memineris. Cicero, Omnia quæ curant ſenes, meminerunt, vadimonia conſtituta, qui ſibi, cui ipſi debeant. Quid iurecōſulti, quid pontifices, quid augures, quid philoſophi ſenes, quàm multa meminerunt? Idem verbum pro eo quod eſt mētionem facio, recuſat accuſatiuum, poſtulátque genitiuum, vel ablatiuum cum præpoſitione de. vt Quintilianus, Neque omnino huius rei meminit poeta ipſe. Et iterū, De quibus multi meminerunt. Hinc videtur deriuari mentio, quaſi à meno præſenti, & geminato præterito Memini. vnde ſupinum mentum, ex quo mentio, & mens, quæ omnium recordatur: & mentum, quia in mentione facienda, hoc eſt in loquendo, præcipue mento vtimur. Nullum enim animal mouet partem oris ſuperiorem niſi Crocodilus, ſed omnia inferiorem, ſicut & nos mentum. Hinc etiam Mentior, quia contra mentē loquor. Fortè & hinc venit menta. Sed nolo eius etymologiam aliquam afferre, ne cui fortè videar argutulus.

Mentio. Mentum. Mens. Mentior. Menta.

EPITOME.

Alter, de duobus eſt vnus: alius, de multis. Alter etiam accipitur pro ſecundo, ſiue ex duobus, ſiue ex pluribus. aliquando etiam pro ipſis duobus. Addit diſcrimen inter tertium Conſul, & ter aut tertio. de quo Aulus Gellius libro decimo dicit ſic, Familiari meo cuipiam literas Athenis Romam miſi. In iis ſcriptum fuit, me illi iam tertium ſcripſiſſe. Is autem ad me reſcripſit, petiuítque vt rationem dicerem cur tertium ac non tertio ſcripſiſſem. Id etiam adſcripſit, vt eadem quid ſuper illo quoq; mihi videretur, facerem ſe certiorem, tertiúmne Conſul & quartum, an tertio & quarto dicēdum eſſet: quum Romæ doctum virum dicere audiſſet, tertio & quarto Conſul, non tertium quartúmque, ídque in principio libri Cælium ſcripſiſſe: & Q. Claudium in libro vndeuigeſimo, C. Marium creatum ſeptimo Conſulem dixiſſe. Ad hæc ego reſcripſi nihil amplius quàm verba Marci Varronis, hominis (vt opinor) quàm fuit Claudius cum Cælio doctioris: quibus verbis vtrunque de quo ad me ſcripſerat, decideretur. Nam & Varro ſatis aperte quid dici oporteret, edocuit. Et ego aduerſus eum qui doctus eſſe dicebatur, litem meam facere abſens nolui. Verba Marci Varronis ex libro diſciplinarum quinto, hæc ſunt, Aliud eſt quarto prætorem fieri, & quartum: quòd quarto, locum adſignificat, ac tres ante factos: quartum, tempus adſignificat, & ter ante factum. Igitur Ennius recte conſcripſit, Quintus pater quartū fit Conſul. Et Pompeius timide, quòd in theatro ne adſcriberet Conſul tertium an tertio, extremas literas non ſcripſit. quod de Pompeio Varro breuiter & ſubobſcure dixit, Tiro Tullii Ciceronis libertus in epiſtola quadam enarratius ſcripſit ad hunc ferme modum, Cum Pompeius (inquit) ædem Victoriæ dedicaturus foret, cuius gradus vice theatri eſſent, noménque eius & honores inſcriberentur, quæri cœptum eſt, vtrum Conſul tertio inſcribendum eſſet, an tertium. Eam rem Pōpeius exquiſitiſſime retulit ad doctiſſimos ciuitatis. Qúmque diſſentiretur, & pars tertio, alii tertium ſcribēdum contenderent: Rogauit (inquit) Ciceronem Pompeius, vt quod ei rectius videretur ſcribi iuberet. Túmque

Ciceronem iudicare de viris doctis veritum esse: ne quorum opinionem impro-
basset, ipsos videretur improbasse. Persuasit igitur Pompeio, vt neque tertio, neque tertium scriberetur, sed ad secundum vsque t fierent literæ tert. vt verbo nō perscripto, res quidem demōstraretur, sed dictio tamē ambigua verbi lateret. In Marci tamen Catonis libro quarto originum ita perscriptum est, Carthaginēses sextum, de fœdere decessere. id verbum, significat quinquies ante eos fecisse contra fœdus & tum sextum. Hæc illi. Quæ ideo recensui, vt ex ipsis discamus præcipue duo: Vnum, vbicunque est inter magnos authores de quauis re discrepantia, tutius esse in nullos peccare: quod etiam in moribus locum habet. sed de literis de quibus nūc loquimur duo sint exempla: Vnum quoties Valla dicit quippiam non recte dici: quod tamen semel aut fortè iterum repertum sit in viris magnis: sed in locis suspectis, tutius est ab illo abstinere. Alterum est Virgilii, qui vt dicit Seruius, quia nō conuenit cuius generis sit Pampinus, nusquam illi epitheton, quo genus discernatur, dedit. Secūdum hæc, signandum est nomen tertius, a, um, in secunda syllaba habere, t, non c, quia Cicero ad secundum vsque t literas scribi iussit.

De differentia inter Alter & Alius. CAP. LIX.

Alter & alius. ALter de duobus dici, Alius de multis, notū est omnibus, licet non omnes recte vtātur. Macrobius de Saturnalibus, Cum igitur asseruerimus quatuor in corpore fieri digestiones, quarum altera pendet ex altera. dicendum erat, quarum alia pendet ex alia. Idem in alio opere de naturalibus, Illæ verò insolubiles causæ sunt, quæ mutuis inuicem nexibus vinciūtur, & alteram altera facit, ac vicissim de se nascuntur, nunquam naturalis societatis amplexibus separantur. Nam Ouidius de nouē picarum transformatione loquens, quanquam eū excusare metri necessitas potest: tamen quòd singulæ singulas, ac certæ certas intuerentur, intellexit, cum inquit, Alteráque alterius rigido concrescere rostro Ora videt. Suetonius de vita Caii, Nec cessauit ex eo alterum alter criminari, atque inter se omnes committere. Nescio an sic accipiendum sit, vnum vni, & rursus hunc illi.
Cap. 3. Plinius libro II. inquit de formicis, Et quoniam ex diuerso conuehunt altera alterius ignara. Quare dicamus aliquādo sic loqui esse permissum. E diuerso nonnūquam de duobus dicimus alius & alius, nec dicere aliter possumꝰ: vt Dubitatur vter excellat, Sal
Alius, alium. lustius an Liuius, & alius alium præponit: non autem alter alterum. Ratio postulabat, vt diceremus, alius alterum. Nam alius ad plurimos refertur, qui de duobus iudicant: alter ad vnum de duobus, de quibus iudicatur. Sed quia videbatur inuenustum sic loqui, maluerunt mutare alterum in alium. Afferamus exemplum: Sallustius in Catilinario de Cæsare & Catone loquens, inquit, Genus, ætas, eloquētia propè paria fuere, magnitudo quoque animi & gloria, sed alia alii. Vel est ea ratio, quam dixi, vel hæc, quòd idem est alia alii, quod diuersa diuerso: vt Alia est facies mea, alia est facies tua. id est diuersa. Proprie

igitur Alter refertur ad vnum de duobus. vt, Hannibal in trãſitu Apennini amiſit alterum oculum: ſiue ad vnam duarum partiũ, quod ſuperius etiã ſignificaui, vbi hoc Ciceronis exemplo vſus ſum, Duplices ſimilitudines eſſe debent, vnæ rerum, alteræ verborum. Et quale eſt Virgilii exemplum,

Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.

Aliquoties etiam accipitur Alter pro ſecundo ex duobus, pluribúſve. Vt Vnus, alter, tertius, quartus: vnæ, alteræ, tertiæ, quartæ literæ. Et Hic eſt alter annus belli Punici, & Ego altero mẽſe repudiaui vxorem. id eſt, ſecundus annus ab origine belli Punici, & ſecundo menſe à ductione vxoris. Aliquãdo pro ipſis duobus, vt Vnus aut alter, id eſt, vnus aut duo. Quod etiã in aduerbiis reſpõdet, ſemel, aut iterum, id eſt ſemel, aut bis. Item ſemel, & iterum. Cicero in Bruto, ſemel, & iterum in Philippicis. Dubitari tamen poteſt quum dicitur Iterum Conſul, an ſecunda vice, an bis Cõſul intelligatur. quæ dubitatio in cæteris nõ erit. Tertium enim Conſul, & quartũ Conſul, ſic differt ab illo, ter Conſul, & quater Conſul: quòd in altero ſignificatur tertia & quarta vice, in altero tribus, & quatuor vicibus. Aliqui tamen dubitarẽt, an in hanc ſignificationem vice & vices reperiatur. Tertiũ cõſul. Vice. Vices.

EPITOME.

Quiſque, vnuſquiſque, & vterque, ſolent poni eleganter in oratione poſt ſuus vel ſe: ſed ante ſubſtantiuum ipſius ſuus, ita vt diſcrepent cum adiectiuo ſequenti expreſſo, ſed concordent cum ſubaudito. in qua re ſeruandus eſt aptus ſitus. Nam, vt litera declarat, apte dixeris ſingulariter, Dũ vterque aut quiſque aut vnuſquiſq; ponitur inter ſuum, & eius ſubſtantiuum: etiam ſi ſequatur adiectiuum plurale. vt In ſuum priſtinum vnaquæque nidum immigrantes. ſed inepte, ſi etiam ſubſtãtiuum præceſſerit, vt In ſuum priſtinum nidum vnaquæque immigrantes: deberet enim dici, immigrans. Cauſa differentiæ eſt: quia dum ea clauſula interiecta ſic ponitur, videtur adiectiuum plurale ſequens ad præcedens ſubſtantiuum plurale referri. Sed quando præponitur, videtur ipſa eſſe ad quam debeat adiectiuũ principaliter reſpicere. ſicut dum dico, Quem audiſtis ſermonem non eſt meus. ſermonem videtur regi ab audiſtis. Sed dum ſic, Sermonem quem audiſtis, nõ eſt meus: à verbo eſt. itaque prius dicitur grammatice & Latine: non ſecundum.

De Quiſque & Vterque cũ verbo aut participio. CAP. LX.

HIrundines vere ineunte redeunt, in ſuum priſtinum vnaquæque nidum immigrantes. Muta illud vnaquæque, ſic, In ſuum priſtinum nidum vnaquæque immigrantes: aut ſic, Vnaquæque in priſtinum nidum immigrantes: iam non erit Latinum. Item, Offendi parentes ſuo vtrunque morbo affectos. tranſfer illud vtrunque, vt modò oſtendi, iam non erit elegans. Nam ſi ita mutemus, ille pluralis numerus immigrantes & affectos, referetur ad illum ſingularẽ vnaquæque & vtrunque, quod

fieri non poteſt. At illo modo ſuperiore ſecus. refertur enim numerus pluralis ad pluralem, ſic, Hirundines vere ineunte redeũt immigrãtes in nidos priſtinos, vnaquæque in ſuum, ſupple immigrans. Offendi parentes morbis affectos, vtrunque ſupple ſuo affectum morbo. Virgilius in 12,

Dant ſonitum ſpumoſi amnes, & in æquora currunt,
Quiſque ſuum populatus iter. Et paulò pòſt,
Pro ſe quiſque viri ſumma nituntur opum vi.

In priore exemplo, ſi verſus pateretur, nõ decuiſſet dicere, Suum quiſque populatus iter, ſed populati. nec in poſteriore, Pro ſe quiſque viri ſumma nituntur opum vi. Secus autem ſolet fieri, vbi abeſt ſuus aut ſe. vt Quintilianus, Commendo tibi ſenem, quẽ fecimus vterque mendicum. Nec recte dicas, Commẽdo tibi ſenem quem nos filii alleuare debemus, eum vterque mendicum faciẽtes. vel ſic, Quem nos vterque captiui mendicum fecimus, niſi more poetico, vt apud Ouidium,

Vtraque formoſæ me iudice ſunt venerãdæ. Et apud Horatium,
Legati magnis miſſi de rebus vterque. quod apud oratores non reperitur. ſicut ne illud quidem, licet Aulus Gellius vtatur, quale apud Terentium,

Plerique omnes.

Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli.

Quod quidam exponunt pro eo quod eſt, plerique omnium: quidam pro eo quod eſt, omnes.

EPITOME.

Elegantius poſt huiuſmodi particulã homo illiteratus eſt, ſubditur ſed cui, quàm cui tamen: & ita in aliis caſibus.

De Tamen & Sed cum relatiuo. CAP. LXI.

HOmo illiteratus eſt, cui tamen paucos in rerum gerendarum ſcientia anteponas, Latinum eſt. Homo illiteratus eſt, ſed cui paucos in rerum agendarum ſciẽtia anteponas, etiam elegans eſt. Item in negatione, Homo quidem illiteratus eſt, quem tamen nõ poſtponas multis, Latinum eſt, vt dixi. Elegans etiam ſic, Homo quidem illiteratus, ſed quem multis non poſtponas. Ideo dixi Elegãs, quia ſubintelligitur talis. quod in alio non fit: vt ſic, Homo illiteratus, ſed talis quem, & cætera. vel, Sed is pro talis. Ideóque & hoc eleganter dicetur, Homo illiteratus, non tamen quem multis poſtponas. id eſt, non tamen is quẽ multis poſtponas. Aliquando non ſubintelligitur talis, neque is. vt, Hic ager eſt meus, ſed cuius vſu careo.

EPITOME.

Multifariam & non inepte dixeris, Video te amatorem ſtudiorum, quod vel quæres, vel id quod me iuuat.

De Id quod,cum alio antecedente. CAP. LXII.

VIdeo te amatorem ſtudiorum, quod me maxime iuuat, vel quæ res me maxime iuuat, vel id quod me maxime iuuat.Itẽ,Video te,quod me maxime iuuat, vel Quæ res me maxime iuuat, vel Id quod me maxime iuuat, amatorem ſtudiorum.quæ exempla ſibi quiſque conquirat.

Quod. Quæ res. Id quod.

EPITOME.

Aliquis,quiſquam,quiſpiam,vllus,de incerto tam loquenti, quàm audienti dicuntur : vllus tamen, vix aliter quàm cum vix,aut negatione, aut interrogatione ponitur.Sed quidam dicitur de certo & noto loquenti. Vnde non dicam,Quidam neſcio quis ſit,id fecit:ſed aliquis.

De Aliquis,Quiſquam,Quiſpiam,& Vllus. CAP. LXIII.

ALiquis,quiſquam,quiſpiam, vllus idem ſignificant, differúntque à quidam, vt in alio opere (quod de dialectica propediem edemus) oſtendetur. Vllus tamen quodammodo claudicat,nec ferè citra negationem, quaſi citra baculum ingredi poteſt,niſi interrogatiue:vt Vocat me vllus? aut ſubiunctiue,vt Si vllus me vocat.Nunquam planè affirmatiue,ſicut illa ſuperiora.

EPITOME.

Quoties vtriuſque verbi,quorum alterum cum ſuppoſito ſolet reſolui in ablatiuos in deſignatione ſequelæ poſitos,eſt vnum ſuppoſitum: elegantius pro ablatiuis vtimur nominatiuo participiali. Vt,Elegantius dico,Occupatus in republica tibi vacare non potui: quàm,me occupato.& Agens Romæ, mira vidi : quàm me agente,&c. Illud autem Horatii,Ego ad participium Acti referrem. præponitur enim, -laudator temporis acti Se puero.nec ſic eſt contra hanc elegantiã,quod Vallam latuit.

De eadem perſona tanquam alia. CAP. LXIIII.

ME occupato in adminiſtratione magiſtratus,nullum tẽpus ſeponere ad ſtudendum poteram: vel,Me occupato in adminiſtratione magiſtratus, nullum tempus mihi reliquum erat. Rariſſime Latini ſic locuti ſunt. Græci frequẽter, ſed hoc modo potius,Occupatus in adminiſtratione magiſtratus nullũ tempus ſeponere ad ſtudia poteram: vel, Occupato in adminiſtratione magiſtratus, nullum mihi tempus ad ſtudia reliquum erat. Dixi Rariſſime, nõ tamen nunquam. nam quidam ſic locuti ſunt.vt Horatius de arte poetica,

-laudator temporis acti
Se puero,cenſor caſtigatórque minorum.

Quintus Tullius ad Tyronem,Non potes effugere huius culpæ pœnam te patrono,Marcus eſt adhibendus. Simile quiddam ſapit Per,quale eſt apud Marcum Tullium, Quũ & per meipſum egiſſem,& per Druſum ſæpe tentaſſem. Illud enim Per,ſignificare ſolet medium quendam,aliúmque interceſſorem. Nũc verò

Lib.16. Epiſt.famĩ. Per.

quis queat medius esse inter se & alium? & tamen sic vulgo loquimur, Per meipsum rogaui, Per teipsum obtinuisti.

EPITOME.

Auxilium do & fero, dicimus: & opem fero, vnde opitulor: opem do, non dicimus.

Auxilium do, feróque, Opem fero tantum. CAP. LXV.

Opitulor. AVxilium do feróque, dicimus. Opem do, non dicimus, sed fero. vnde opitulor, quod Tullianum verbum esse Seneca author est: quo tamen & Sallustius vtitur & Plautus, & alii nonnulli.

EPITOME.

Audiui aut accepi à ex & de patre, dicimus. De via autem, significat etiam quasi de itione seu de itinere: quum via sit spatium eundi, iter aut itio actus ipse.

De A, Ex, & De, cum aliis. CAP. LXVI.

AVdiui à patre meo, & Audiui ex patre meo, & Audiui de patre meo, idem significare inueniet qui bonos libros euoluet. Cicero tamen sic præcipue locutus est. Similiter apud eundem, Quæsiui te ab ostio, ex ostio, de ostio. Vocaui te à via, è via, de via. sed hoc vltimum apud eundem in alium quoque sensum accipitur, vt in Philippicis, Qúmque de via languerẽ, & mihimet displicerem. Et de republica, Et quòd de via fessus essem, & quòd ad multã noctem vigilassem. Et de Academicis, In Cumano nuper quum mecum Atticus noster esset, nuntiatum est nobis à M. Varrone venisse eum Roma pridie vesperi: & nisi de via fessus esset, continuo ad nos venturum fuisse. quasi de labore viæ. Hic enim via significat iter, hoc est actionem ambulandi: illic locum, quo ambulamus.

Philipp.1.

Via.

EPITOME.

Solus & vnus, more superlatiuorum construuntur cum genitiuo multitudinis, aut accusatiuo vel ablatiuo mediante præpositione. quod reliquis adiectiuis non competit.

De Solus & Vnus. CAP. LXVII.

INter omnia adiectiua quæ non sunt superlatiua, duo ferè hæc Solus & Vnus, more superlatiuorum regunt genitiuũ. Vt, Solus omnium non remittit sibi, vt incredibilior sit in parricidio cæcus, quàm fuit quum videret. Hæc Quintilianus. Et Plinius, Acipenser vnus omnium squamis ad os versis contra aquam nando meat. Similiter ablatiuum cum præpositione. nam vt dicimus Maximus ex omnibus, & inter omnes maximus: ita vnus & solus ex omnibus, vel inter omnes. Verum vnus pro solus accipio, ideóque ferè cum illo adiectiuo Omnis tantummodo coniungitur. Nam vnus ex fortibus, vnus ex populo, alterius significationis est. Cum substantiuo quoque iungitur, vt idem

Lib.9.cap.17.

Plinius, Caluitium vni tantum animaliũ homini. ſed quaſi ſubintelligitur omnium.

EPITOME.

In diem viuere, eſt non curare de craſtino, quaſi ad præſentem duntaxat diem cogitare, ac ſi nõ ſit alius futurus. In dies, eſt quotidie: ſed petit dictionem incrementi, cum qua & ſine qua quotidie ponimus, ſed cũ diſcrimine. Nam vt quotidie plures moriantur, ſatis eſt ſi heri quinque, & hodie ſex mortui ſunt, & cras ſeptem moriãtur. at vt in dies, aut ſingulos dies: neceſſe eſt, ſi heri quinque mortui ſunt, hodie moriantur ſex, cras octo, perendie vndecim, &c. Et ſicut in diem & in dies differũt: ita in horam & in horas. Sed raro ſeruatur tam exacti incrementi ratio: ſatis eſt, vt habeant comparatiuum aut verbum notans incrementum. Propediem, id eſt ſtatim, quaſi prope ſit dies. Propemodum, id eſt pene, quaſi prope ſit modus qui exigitur.

De In diem, In dies, In horam, In horas, Propediem, ac Propemodum. CAP. LXVIII.

IN diem aliud multo eſt, quàm in dies. Illud plerunque cum hoc verbo viuit iungitur. Vt Quintilianus, Non, vt ferè volucres præſentis modo cibi memores in diem viuũt, duraturus hyeme reponitur victus. Aliquando, ſed raro, cum alio iungitur verbo. vt Salluſtius, Panem in diem mercari. quaſi dicat præſentis diei habere rationem, nihilque cogitare de craſtino. In dies, idem eſt quod quotidie, ſed proprie cum quodam incremento. ideóque plerunque cum comparatiuo. vt, Quum in dies malum arctius premeret. &, Quum in vrbe infinitum malum ſerperet, ídque manaret in dies latius. Etiam ſine cõparatiuo, ſed tamen per verbum ſignificans incrementũ. vt Liuius, Creſcente in dies multitudine. quod non liceret dicere, Concurrente in dies multitudine, ſed quotidie, aut in dies magis. quum tamen liceat ſuperiora exempla dicere per quotidie, Quũ quotidie malum arctius premeret. & Quum in vrbe infinitum malum ſerperet, ídq; manaret quotidie latius. Et per in ſingulos dies. vt Cicero ad Atticum, Quotidie, vel potius in dies ſingulos, breuiores ad te literas mitto. id eſt, nõ modo quotidie breuiores, ſed etiam in dies. Nam hæ quotidianæ literæ ſunt breuiores his quas antea mittere ſolebã, quæ poterant eſſe omnes pari breuitate. Atqui hæ quas in dies ſingulos ſiue in dies mitto breuiores, tales ſunt, vt hodiernæ ſint breuiores heſternis, & craſtinæ hodiernis, & perendinæ craſtinis, & ita aſſidue. Et peſtilentia in dies fit maior, & quotidie fit maior. Sic poſſunt videri hæc duo differre, quòd in hoc poſſunt hodie ſupra numerum heſternũ deceſſiſſe quatuor, quum heri deceſſerint decem ſupra numerum eorum, qui deceſſerant nudiuſtertius. Non ita in illo, vbi vltimus quiſque dies maxime increſcit: vt ſi nudiuſtertius deceſſerint duodecim, heri quatuor-

[Margin: In diem. — In dies.]

decim, hodie necesse est decedant saltem decem & septem, cras saltem vnus & viginti, perendie saltem sex & viginti. Eandem differentiam habent in horam & in horas, quam in diem & in dies. Cicero in Philippicis, Hæc ii, qui in horam viuerẽt, nõ modo de fortunis & bonis ciuium, sed ne de vtilitate quidem sua cogitauerunt. Virgilius,

In horam. In horas. Philip. 5.

Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas,
Quantum vere nouo viridis se subiicit alnus.

Siquis autem in dies & in horas, siue in dies singulos & in horas singulas, sine illa exacta ratione incrementi accipere velit, non denegandum ipsi hoc puto. Propediem est quasi propè est dies, quando hoc fiet. Cicero, Et præsens propediem (vt spero) & dum aberis absens loquar. Eodẽ modo quo dicimus propemodum, quasi prope mensurã: quod accipitur pro penè, siue propè, quum est aduerbium.

Propediem. Propemodũ.

EPITOME.

Animaduerto te, id est animo cõplector aut consydero: Animaduerto in te, id est ritè & ordinariè procedendo te punio. Differunt ergo, quum intueor te & in te, non differant. Animaduerto tibi, id est imputo.

De Animaduerto. CAP. LXIX.

ANimaduerto te, & Animaduerto in te differũt: quum Intueor te, & Intueor in te non differãt. Animaduerto in te, est punio te: sed cum hac differẽtia, quòd punire est quorumcunque, siue iure, siue iniuria. Animaduertere est eius, qui in alterum habet potestatem ordine ac rite, id est cum animaduersione puniẽdi. Sed hoc proprie refertur ad personas. Animaduerto, puto, pro intueor, & personam & rem dicimus.

EPITOME.

Quædam vocabula sunt notiora oratoribus, vt filius, pater, homo: quàm natus, genitor, genitrix, vir, quæ poetis notiora sunt. Inter vtrosque autem ambulat historiographus ab vtroque accipiens. Vnde sciemus suum esse cuique stylum, suáque verba. Nam caballus, in oratione raròponitur, in carmine non raró. Quod in cæteris quoque annotandum est.

Filius, Natus, Genitor, Pater, Mater, Genitrix, Parens, Homo, Vir. CAP. LXX.

ORatores sæpius dicunt filius quàm natus, pater quàm genitor, mater quàm genitrix, parens pro vtroque. etiam sæpe homo potius quàm vir, quoties ita accipitur ille de quo agimus, aut loquimur: quale est hoc, Illi deduxerunt hominem in palæstram. Poetæ potius econtrario. Historici mediam quandam viam tenent. vt Sallustius, Eos mores atq; eam industriam viri cognoui.

Homo. Vir.

EPITOME.

In primis,est inter primos,primas, aut prima, iuxta exigentiam substantiui subauditi.quòd si nullum est,refertur ad neutrum genus,sicut & alia adiectiua absolute posita. Neque magis censebitur vna dictio,quàm inter primos,& ad prima. Virgilius in Georg. Flos ad prima tenax.licet apprime vox sit composita.

De In primis. CAP. LXXI.

IN primis potens, si de masculo loquaris, intelligitur inter primos:si de fœmina, inter primas : si de neutro, inter prima. Nā idem pollet in primis quod inter primos,vel inter primas,vel inter prima.At si defuerit adiectiuum,vtique accipietur in neutro,quale est illud Virgilii, In primis.

In primis venerare deos. Nisi sit tale,quale apud eundem,

-in primis regina quietum

Accipit in Teucros animum,mentémque benignam.

In primis,non inter primas,aut inter prima accipiendum est,sed inter primos.Vna enim inter mares fœmina nominatur sine fœminis aliis:aut inter primos & inter primas.

EPITOME.

Hic non est cum illo comparādus,melius de minore ad maiorem dicitur,vt Virgilius cum Homero. Causa est,quia defectus(vt dicunt) est in minore qui non accedit ad qualitatem aut quantitatem maioris,vt illi censeatur comparandus.

Hic non est cum illo comparandus. CAP. LXXII.

HIc non est cum illo comparādus,melius de minore ad maiorem dicitur : vt,Virgilius cum Homero , Horatius cum Pindaro non est comparandus:quàm ediuerso,sic,Homerus cum Virgilio , Pindarus cum Horatio non est comparādus. Ediuerso tamen nonnunquam reperitur.

EPITOME.

Intercedit amicitia,id est conciliat.Intercedit vir,id est medium se ad conciliationem ponit:aut ne fiat se medium opponit.

Intercedo. CAP. LXXIII.

INtercedit mihi tecum amicitia,Intercedit tibi cum illo affinitas,Intercedit tibi mecū necessitudo. hoc est,amicitia,affinitas,necessitudo inter nos est media quædam, quæ nos conciliat. Tribuni intercesserunt, Scipio intercessit, Cato intercessit. hoc est,in medium se verbis,aut vi opposuit.

EPITOME.

Amamus inter nos,Pueri inter se amant , plena est locutio:neque ponendus secundus accusatiuus qualis esset,nos inter nos,se inter se. Bene habet,etiā sine supposito poni solet.

Amare inuicem, mutuo, pariter, & inter se. CAP. LXXIIII.

AMamus nos inuicem, Amatis vos mutuo, Amant se pariter. Quum verò adhibemus præpositionem inter, tollitur accusatiuus qui regitur à verbo, ne turpe foret si replicaretur: sic, Amamus inter nos, nō autem Amamus nos inter nos. Amatis inter vos, Amant inter se: non autē Amatis vos inter vos, Amant se inter se. Cicero ad fratrem, Pueri valde inter se amant. Et de amicitia, Neque solum inter se diligent & colēt, sed etiam verebuntur. Terentius in Adelphis, Video eos sapere, intelligere, in loco vereri, inter se amare. Idem, & in eadem, Quasi non norimus inter nos. Bene habeo, bene habes, id est bene valeo, bene vales. In tertia autem persona etiam sine supposito, Bene habet, id est, bene se res habet. quod exemplum vbique frequens est.

Bene habet.

EPITOME.

Facio te certiorem, non Ago certiorem: & rarò certum, nisi metri causa dicimus. Dicimus tamen, Facio rem gratam & gratum, ludos, rem diuinam. Præterea Feci iacturam, damnum, naufragium, frequentius quàm passus sum. Feci fugam, id est fugi. Feci timorem, dum alter timuit. Feci iter, non egi iter. id est iui. Feci viam, id est straui. Feci copiam & potestatem rerum mearum: non dedi. Feci lucrum, potius quàm acquisiui. Vrinam aut lotiū feci. id est minxi. Stercus feci, nō emisi. id est euacuaui aluum. Fregi quoque nauem, pro Fracta est mihi nauis, dicimus. Item, Accepi iniuriam, potius quàm passus sum, & ita in aliis. Persius etiam dixit, Hic inquis veto quisquam faxit oletum. quod pro stercore & excremento humano accipiunt vulgo: sed verius significat locum olentem, eo quòd illic olentia fiunt, vt stercus & lotium. Sic etiam accipio illud Veranii, Sacerdotula in sacrario fecit oletum. id est locum excrementorum. Nam in etum locum notant: vt vepretum, vrticetum, sed ferè rerum illic nascentium.

De Facio, Ago, Frango, & Accipio. CAP. LXXV.

Facio.

FAcio te certiorem, non certum. Nam Virgilius, Anchisen facio certum, ideo dixit, quòd syllaba breuis inter longas non potest collocari in versu Heroico. Prosa oratione scribentes, semper certiorem dixerunt. Et semper facio, nunquam ago certiorem. Facio tibi gratum, nunquam Ago tibi gratum. Facio ludos, Facio rem diuinam, Facio sacrificium, Facio solennitatem, nūquam ago. & multa huiusmodi. Item Feci iacturā, Feci damnum, Feci naufragium: vix vnquam, Passus sum iacturam, damnam, naufragium. Cicero, Magna in Republica facta iactura est. Idem, Damnum enim illius immaturo interitu res Romanæ Latinæque literæ fecerunt. Quintilianus, In portu naufragium fecimus. Et in cæteris quibusdam. Feci tamē fugam, quòd ego fugi alterum, non quòd alter me. Feci timorem, non quòd ego timui alterum, sed quòd alter me. Item, Feci iter, non egi iter. Aliquādo etiam, Feci viam, Feci copiam tibi rerum mearum: nunquam egi, aut dedi, aut præstiti copiam. Feci potestatem tibi ven-

dendi meas res domesticas:non autem dedi.Feci lucrum,nō autem acquisiui lucrum.Honore dicto, Vrinam fecit,Stercus fecit: non autem emisit. Simile huic est quod dicimus,Fregit nauim, Fregit brachium,quasi ipse fregerit, id est ipse egerit, non potius passus sit.Terentius,Is fregit nauim apud Andrum. Cicero,Gregaléſque eum in campum non venisse requirerēt, excusauit Vespa Terentius,quòd eum brachium fregisse diceret. alius dixisset, quòd ei brachiū fractū esset.Ita etiā Accepi molestiā,accepi cladem,accepi contumeliam,accepi vulnus,accepi iniuriam, accepi dedecus,accepi ignominiam:vix autem passus. De quo verbo commodius alio loco dicam:Accepi etiam voluptatē,gaudium, lætitiam.

Frango.

Lib.2.de Oratore.

Accipio.

EPITOME.

Conuenit hoc nobis,id est conueniens est & decens,aut vtile. Cōuenit inter nos, id est constat,& controuersia seu dissensione caret.Iuuenalis,Sæuis inter se conuenit vrsis.Conuenit mihi hoc tecum,id est sentio de hoc vt tu. Cōuenit tibi hoc mecum,id est sentis de hoc vt ego.Interdum dicitur tantum,Hoc conuenit.interdum solum Conuenit.Et in plurali cum supposito. vnde Terentius,Hæc fratri mecū nō cōueniunt.Est vbi Conuenio,cū accusatiuo cōstruitur:vt iam in hoc lib.3.dictū est.

De Conuenit. CAP. LXXVI.

CONuenit hoc mihi, aut Cōuenit hoc nobis, id est decēs est, & conueniens. Conuenit hoc inter nos,id est cōstat, & cōtrouersia caret. Conuenit mihi hoc tecum, id est,sine controuersia est inter nos quod ego dixi. Conuenit tibi mecum,id est,sine controuersia est inter nos quod tu dixisti. Nōnunquam sine supposito,vt Conuenit inter nos.Nonnunquam sine apposito, sed tamen subintellecto, vt Hoc conuenit. Nonnunquam sine vtroque,vt Conuenit.

EPITOME.

Variis modis dicitur quis obuius : vt,Obuio tibi,obuius tibi fio,obuius sum tibi, obuiū me tibi fero,obuiā me tibi fortuna obtulit,obuius me tuli,more Virgiliano: obuiam veni,obuiam processi,obuiam iui,obuiam exiui,obuiam me tuli, obuiam factus sum,sed potius obuius. Primum, id est obuio tibi,pro obuius sum,aut obuiam venio,in rarissimo est doctorum vsu: pro eo quod est contraire & obsistere, minus rarum : vixque ausim dicere,Milites obuiauerunt duci nouo,sed obuiā iuerunt. Dictum autem volunt ferè de minore ad maiorem : vt,Obuius factus regi, exiui obuiam regi,rex habuit me obuium.sed fit vterque alteri obuius:vt,In itinere suo rex habet milites obuios,& milites in suo regem.Exire autem vel procedere obuiam,est humiliantis se, aut exhibentis humanitatem & officium.

De Obuio tibi,Obuius tibi fio,Obuius sum tibi,& similibus. CAP. LXXVII.

OBuio tibi,Obuius tibi fio,Obuius sum tibi,Obuium me tibi fero,Obuiū me tibi fortuna obtulit.Cicero,Fit ei Clodius obuius. Virgilius,

Cui mater media ſeſe tulit obuia ſylua. Domitius Afer apud Quintilianum, Fortè vos in ea ſolitudine obuios caſus miſeræ mulieri obtulit. Obuiam quoque per eadem,& alia plura verba variatur: vt Obuiam proceſſi,obuiam iui,& alia multa.

EPITOME.

Similiter varie dicitur quis ſibi finem ſeu ſummum bonum proponere,vt in litera patet.Neque tamen verba literæ negligenter legenda ſunt.nam præter philoſophorum de ſummo bono placita,quæ illis explicantur,operæpretium eſt ſcire,terminare,finire,metiri,talem vſum habere.nam terminare omnia voluptate,eſt conſtituere finem omniũ in voluptate.metiri naturæ bonis ſingula,eſt exiſtimare ſingula eſſe bona,quatenus naturæ vtilia ſunt.

De verbis ad finitionem pertinentibus. CAP. LXXVIII.

EPicurus omnia terminat voluptate. Zeno cũcta finit honeſtate.Hierovniuerſa definit determinátq; indolentia corporis. Carneades ſingula metitur naturæ bonis. Ariſtippus nihil non ad commodũ ſuum refert. Pyrrhon nihil reliquit,quod non reuocet ad ſcientiam. Ille ſummum bonum in gula cõſtituit, ego bonũ ipſum pono in dilectione Dei. Tuus finis ad quẽ tendis,tibiipſi ignotus eſt.Tot igitur verbis vnam eandémq; rem declaramus. quæ exempla paſſim inquirentibus ſeſe offerent.

EPITOME.

Coniecturæ verba ſatis patent in litera.Sed ideo efficacius quiddam eſt in coniectura conſequor & colligo,quàm in cæteris:quòd illic ſignificamus nos coniectando aſſecutos:his,id eſt,cæteris adhuc dubios.

De verbis ad coniecturam pertinentibus. CAP. LXXIX.

COniecto,coniecturo,coniecturam facio, coniecturam capio,coniectura conſequor, coniectura colligo, coniectura ducor, pro eodem accipiuntur, aut parum differunt: quia efficacius quiddã eſt in coniectura conſequor, & coniectura colligo, quàm in cæteris, quorum exempla adducere lõgum eſſet.

EPITOME.

Itẽ,Non ignoro,aut ſcio,varie dicitur,vt in litera patet.ſed & pluribus modis idẽ dici poteſt. vt, Non me latet,nõ ignoro,certo ſcio,compertum habeo, cognoſco, & aliis non paucis.

De verbis ad notitiam pertinentibus. CAP. LXXX.

NOn me fallit, Non me præterit, Non me fugit, Non me capit, idem ſignificare quod nõ ignoro, Quintilianus author eſt.

EPITOME.

Præterea varie dicere licet te in aliquo ſpem habere.Sed Capio ſpem de te,concipio ſpem, ducor in ſpem, vocor in ſpem, ingredior in ſpem, non tantam ſpei firmitatem ſignificant,quantam colloco & repono in te ſpem.

De verbis ad ſpem pertinentibus. CAP. LXXXI.

CApio ſpem de te, concipio de illo ſpem, ducor in ſpem huius negotii, vocor in ſpem, ingredior in ſpem: non tantam ſpei firmitatem ſignificant, quantam, Colloco in te ſpem, & repono in te ſpem. Cicero, In quo maiores natu ſpem ſuæ dignitatis collocarant. Quintilianus, In quo ſpem vnicam ſenectutis reponebam.

EPITOME.

Ad hoc, multifariam te memorem dicas: vt, In mentem venit mihi, occurrit mihi, ſuccurrit mihi, ſubit mihi. ſed hoc vltimum frequenter de commiſerante dicitur. Reperitur etiam ſubeo, cum accuſatiuo, quaſi ſubintro & inuado: vt, Sera pœnitentia ſubiit regem.

De verbis ad recordationem pertinentibus. CAP. LXXXII.

IN mētem venit mihi, occurrit mihi, ſuccurrit mihi, ſubit mihi, pro eodem accipi ſolent. Sed hoc vltimum frequenter quoque ad miſerationem. Quintilianus, Nobis verò natura aduerſus exanimes ingenuit nō ſolum miſerationem (quæ cogitationi noſtræ ſubit) ſed etiam religionem. Vbi non ita decuiſſet, ſuccurrit, occurrit, in mētem venit. Virgilius, Subiit chari genitoris imago, Subiit deſerta Creuſa. Vbi nequaquā decuiſſet, In mentem venit mihi de charo genitore, & de Creuſa deſerta. Iungitur etiam hoc verbum cum accuſatiuo, vt Curtius, Sera pœnitentia ſubiit regem.

In Cor. proie.

Subeo.

EPITOME.

Quinetiam videas, videre licet, cernere licet, cernere eſt, pro eodem accipi ſolent. At quia de cæteris textus exempla ponit, addam duntaxat de vltimo illud ſexti AEneidos,

Necnon & Tityon terræ omniparentis alumnum
Cernere erat, &c.

De verbis ad viſionem pertinentibus. CAP. LXXXIII.

VIdeas, videre licet, licet cernere, apud quoſdam etiam cernere eſt, pro eodem accipiuntur. vt, Itaque videas iuſtos iniuſtis rebus maxime dolere, imbecillibus fortes, moderatos immodeſtis. Licet videre nōnullos tanta ſtultitia, vt vix differant à natura brutorum. Licet ora ipſa cernere iratorum, vt imitentur. Ciceronis hæc exempla ſunt.

EPITOME.

Qua pietate, cuius pietatis, quæ pietas, eleganter quaſi per parentheſim inſeritur. ſicut Ea pietate, eius pietatis, ea pietas: pro Tāta pietate, tantæ pietatis, aut tanta pietas, &c.

De parentheſi,per Quis & Is. CAP. LXXXIIII.

In Cor.proïe.
In Gladiat.

SI potuiſſet redimere oculos matris(qua pietate fuit) vicarios ſuos dediſſet.id eſt,tanta pietate in matrem fuit.Idem Quintilianus,Hoc ſi ſciſſes pater,affirmo,promitto (cuius pietatis es)nemo te anteceſſiſſet.Et alibi,Quæ pietas tua eſt.Tribus enim modis vtimur per relatiuum, totidem per pronomen is. Primo modo ſic,Ea pietas tua eſt.Secundo ſic,Eius pietatis es:ſed hoc rarius.Tertio ſic,Ea pietate es.Ea,pro tanta accipitur.Ideóque & ipſo Tāta vti licet, eodem modo quo & pronomine.Habet autem aliquid plus talis oratio,quàm ſi dicas,Pro tua pietate.

EPITOME.

Varia eſt perorandi atque concludendi operis ratio,vt in litera videre licet.

De verbis ad finem operis pertinentibus. CAP. LXXXV.

HAbes quæ ſentiam Brute de ratione dicendi.Hæc habui de amicitia quæ dicerem . Hæc ſunt quæ putaui dicenda hoc tempore.Sunt verba Ciceronis ad extremum materiæ à ſe tractatæ,quibus & cæteri authoresvti ſolent.vt Quintilianus,Habes Marcelle Victori quibus præcepta dicendi adiuuari per nos poſſe videbantur. Et iterum,Nihil habui amplius, quod in vniuerſum præciperem.Et iterum,Hæ ferè ſunt emendate loquendi,ſcribendíque partes.

EPITOME.

Venire in opinionem,ſignificat quū habere,tum facere opinionem.Exiſtimatio quoque & actiue & paſſiue accipitur.Sed Venire in ſuſpicionem,obliuionem,&vituperationem,ſemper paſſiue,ſicut vtplurimum offenſio accipitur: nam offenſam actiue dicimus. Vectatio quoque, ferè paſſiue accipitur : ſicut & vector potius,pro eo qui vehitur,quàm qui vehit. Cætera autem verbalia in io, à ſupinis actiuorum deducta communiter ſignificant. Vector ergo communiter ſignificat, ſicut & ea quæ his verſiculis continentur,

Hoſpes,zelotypus,conuiuáque,vector,alumnus:
Actum ſiue pati,ſub eodem nomine ſignant. Negat id de alumno author noſter,de quo ſuo dicetur loco.

Opinio.

De nominibus quibuſdam in io. CAP. LXXXVI.

VEni in opinionē, actiue accipitur, quòd talem opinionem habeo:aliquando etiam paſſiue,quum opinio ſignificat famam,opinio inquā,quæ de me habetur ab aliis,nō quam ipſe habeo de aliquo. Sicut exiſtimatio eſt opinio atque ſententia quū accipitur actiue, vt Exiſtimatio mea, id eſt ita exiſtimo. Aliquando paſſiue,vt Homo magnæ exiſtimationis,id eſt famæ & nominis,quòd eum homines magni exiſtimāt.ita Homo magnæ opinionis. vt Quintilianus,Quod accidiſſe etiam Portio Latroni,qui primus clari nominis profeſſor fuit,traditur: vt quum ei ſummam in ſcholis opinionem obtinenti cauſa in foro eſſet

Exiſtimatio.

oranda, impense petierit, vti subsellia in Basilicam transferren-tur. Cicero, Sermonibus familiarium peruenimus etiam nos in opinionem. Venio in suspicionẽ semper passiue. vt Idem, Quòd si falso P. Sestio venisses in suspicionem. id est in suspicionẽ tui, non tuam. Veni in obliuionem, semper etiam passiue. vt Idem, Vt si fuerint excellentes viri, certè iam venerint in obliuionem. id est, quòd cæteri de illis obliti sint, nõ quòd illi de aliis, aut de se. Similiter, Venio in vituperationem. Idem in quarto Verrinarum, Vt propter eum in sermonem hominum atque in tantam vituperationem veniret. Offensio etiam propè semper passiue accipitur. Ideóq; idem non Clodii offensiones dixit, sed offensas, suas verò offensiones. Et alibi, In ægro corpore odiosa est omnis offensio. id est molesta omnis passio. Vectatio quoque huic simile est: cuius rei causa est, quòd vector quum deberet significare id quod vehit, vt nauis, equus, vehiculum: significat potius id quod vehitur, qui est homo. Cicero, Etiã summi gubernatores in magnis tempestatibus à vectoribus admoneri solent. Quintilianus, Sic in nauim filii mei male permutatus vector imponor. Nõ tamen vectorẽ accipias pro nauta. Hinc est quòd inuenimus nonnunquam dictum nautas & vectores. Sũt enim vectores, qui pretio in aliena naui vehuntur. Idem Quintilianus, Cur infrænatis equis vector insidet? Nonnunquam pro eo qui vehit: vt Seneca in Hercule insano,

Suspicio. Obliuio. Vituperatio. Offensio. Offensa. Vectatio. Vector. Philip. 7. In Cor. proie.

Tyriæ per vndas vector Europæ nitet. Idem in Hippolyto,
Pro sua vector timidus rapina.

Quum de eodem tauro, eadémque Europa loqueretur. Nam cætera ferè quæ à supinis veniunt, tam actiue quàm passiue accipi solẽt. vt Accusatio Marci Tullii, actiue: Accusatio Verris, passiue: Donatio mariti, actiue: Donatio verò bonorum, passiue, &c.

EPITOME.

Male cogitare, est perniciem aut aliud malũ alii machinari, quasi mala cogitare. sicut male audire, infamari, quasi mala de se audire. Sed male dicere, sine casu: & male censere, pronuntiare, opinari, sentire, existimare, iudicare, & similia, significãt male, id est indebite & cũ errore ea facere. At male dico tibi, male opto, male precor, aut male imprecor, significant mala & perniciosa tibi dico, opto, &c. Similiter Male de te sentio, male tu de me existimas aut iudicas, quasi pro malo dicuntur: vt sit error non agentis, sed eius in quem agit.

De Bene & Male cum verbis. CAP LXXXVII.

Male iudico, male cẽseo, male pronũtio, male opinor, male sentio, male existimo, hoc male ad meipsum refertur, errorémq; meũ declarat. Male cogito, ad alterũ refertur, significátq; perniciem, nõ errorem. vt Cicero, Carthaginem diu

male cogitantem, non prius timere desinam, quàm excisam cognouero. male cogitantem, videlicet mala in alterũ perniciémque cogitantem, non autem seipsam fallentem. Item Male dico tibi, male opto, male precor tibi, male imprecor. His nõnihil similia sunt, Male de te sentio, male tu de me existimas, male de illo iudicamus. Non error hic sentientis, existimãtis, iudicantísque innuitur, sed vitium de quo iudicamus, existimamus, sentimus. Male quoque audio, id est infamor, crimina mea audiens: cuius contrarium est, Male dico. Sallustius in Ciceronẽ, Respondebo tibi, vt siquam male dicendo voluptatem cæpisti, eam male audiendo amittas. Bene quoque maxima ex parte huic simile est. vt, De te bene sentio, bene tibi precor, bene de te mereor.

EPITOME.

Habeo te loco patris, id est, ea charitate qua patrem. sed loco voluptatis, id est voluptuosum. & ita in consimilibus. Particula autem In locum, expetit verbum quale est succedo, substituo, aut simile. Et In patrem, etiam verbũ motus, vt reuertor, redeo: non esse. vnde non dicam, Ero tibi in patrem, sed pater. licet Curtius in præsidem dixerit.

De Loco patris, & In locũ patris, & similibus. CAP. LXXXVIII.

Loco patris, loco fratris, loco filii te habeo, nõ ita accipitur, quòd vbi illi antea erant, ibi tu nunc apud me sis: sed quòd in ea charitate qua illi aut fuerũt, aut sunt, aut essent, aut esse debent: vt Chrysis Pamphilo apud Terentium loquitur, Si te in germani fratris dilexi loco. Cicero in Verrem, In parẽtum loco Quæstoribus suis Prætores esse oportere. Illa autem sentẽtia in locum potius, quàm in loco, requirit tale aliquod verbũ, quale est apud Quintilianum, Nam quomodo pugnam ineuntibus tot simul metus laborum, dolorum, postremò mortis ipsius exciderint, nisi in eorum locum pietas & fortitudo, & honesti præsens imago successerint? Et alibi, Nõ perdidit filium quisquis occidit. Explicat à dolore patrem, quòd sibi videtur fecisse rem maximam, & in locũ iuuenis amissi substituit de vanitate solatium. Ergo ita dicitur, vbi aliud erat, aliud successit: quæ diuersa à superiori sententia est. Loco voluptatis mihi est, loco turpitudinis, loco honoris: id est voluptuosum, turpe, honorificũ. Illud autem hac in parte competit, vt dicamus, non recordari me an vsquam repererim genus illud sermonis quo Ecclesiastici passim vtũtur, Ego habeo te in patrem, tu es mihi in filiũ, accipio te in fratrẽ. Dicunt enim veteres, Habeo te loco patris, tu es mihi loco filii, accipio te loco fratris: vel Habeo te pro patre, tu es mihi pro filio, accipio te pro fratre, & nonnullis aliis modis. Atque hîc videtur aliquid non vtique tale esse, sed perinde esse ac si tale foret.

In loco.

In locum.

In geminis languentibus.

Habeo te in patrem, nõ Latine dicitur.

Ideóq; expositiones nostræ locum habent, vbi tale aliquid non est, vt dixi, sed pro tali habetur. vt in illo, Ex illa hora accepit eã discipulus in suam. quod liceret dicere, Accepit eam loco matris, vel pro matre, siue pro sua. non autem ita in illo, quod pro vero accipi debet, Ego ero illi in patrẽ, & ipse erit mihi in filium. Licuisset ergo dicere, id est dixissent veteres, Ego ero illi pater, ipse erit mihi filius: sed more Græcorum, vnde hæc sumpta sunt, nostris ecclesiasticis ita loqui placuit. Iidem veteres qui illo modo locuti non sunt, sic tamen loquebantur, Reuertor in patrem tibi, Redii in amicum: sed hîc verbum est significans motũ. Quintilianus, Et post exitum vnici reuertor in patrem. Quintus Curtius tamen libro quinto, Igitur rex, arci Babyloniæ Agaticem in præsidem esse iussit.

Reuertor in patrem.
In infami in matrem 2.

EPITOME.

Necnon & mandatum, aut præceptum seu institutum esse, variis modis consequi possumus, vt litera indicat.

De verbis ad authoritatem pertinentibus. CAP. LXXXIX.

MOre maiorum comparatum est, legibus ita cõparatum est, legibus ita constitutum est, ita natura comparatum est, ita natura cõstitutũ est, ita natura præscriptum. Hoc nobis ipsa natura præscribit, nobis natura datũ est, vt periclitantes alleuemus. Hoc ratio ipsa præscribit, ita videtur ratio dictare.

EPITOME.

Nihil ad te, eleganter dicitur pro eo quod est, nihil in comparatione tui: non tamen penitus nihil, sed valde parum.

De Nihil ad te, & Quid ad te. CAP. XC.

ADdidit etiam illud, Equites nõ optimos misisse tibi: veteres credo Cæsar: nihil ad tuum equitatum. Id est, nihil ad comparationem tui equitatus. Idem Cicero, Persium non curo legere. hic enim fuit, vt noramus, omniũ ferè nostrorum hominum doctissimus. Lælium Decimum volo, quẽ cognouimus virum bonum, & non illiteratum, sed nihil ad Persium. id est, nihil ad Persii comparationem. Quale est quum subintelligitur Pertinet. vt, Hoc quid ad te? hoc nihil ad te, supple pertinet. vel potius parum est: vt sit in cõparatione Persii parum doctus, & in cõparatione tui equitatus sint parum boni equites. Terentius, Estne, vt fertur, forma? sane. at nihil ad nostram hanc. non planè nihil, sed parum potius accipiendum est.

Cicero pro Deiotaro.
Lib. 2. de Ora.
In Eunucho.

EPITOME.

Ad quæcunque pertinentia varie per inter, in, & super, adiuncto gerundio, aut nomine verbali, exprimi possunt. vt, Inter cœnandum, in cœnando, quum cœnarem, inter cœnam, in cœna, super cœnam, & ita de consimilibus.

De communione gerundii & nominis. CAP. XCI.

INter agendum, inter actionẽ, in agendo : Inter cœnandũ, inter cœnam,in cœna,ſuper cœnam : Inter cõſulendũ,ſiue conſultandũ,inter cõſilia,ſiue cõſultationes,in cõſulẽdo,ſiue cõſultãdo.

EPITOME.

Denique ad appellationẽ ac iudiciũ ſpectantia,multifariã enuntiare poſſumus,vt per appello & exiſtimo,per dico & ſẽtio,per puto & loquor, per haberi & appellari.Cõſimiliter ad productionẽ pertinẽtia. vt,Diligẽtia honores & gignit & cõtinet.Literæ & parãtur &cõſummãtur ſtudio.itẽ,Studium & parit & cõſeruat literas.

Et appellant te homines ſapientem. CAP. XCII.

ET appellant te homines ſapientem,& exiſtimãt. Te malum eſſe,& dicunt & ſentiunt. Illum & putãt probum & loquuntur.Hi & habentur mali & appellantur. Diligentia honores & gignit & continet.Studio literæ & parantur & conſeruantur.

EPITOME.

Dicetur memoria teneo,non memoriter,niſi Plinius ſic dixit.Contrà,Memoriter pronuntio,& narro:non memoria. At complector & repeto memoria,& memoriter:pro quorum poſteriore non dicemus corde tenus,aut mẽte tenus:quæ ſignificant ad cor vſque,& vſque ad mentem. Magna eſt ergo authoritas Pliniana, qua ſola trahatur in ſententiam dicendi teneo memoriter:cuius tamen ſenſus erit, teneo ſic,vt memoriter efferre aut pronuntiare poſſim.

De Memoria & Memoriter,cũ aliis verbis. CAP. XCIII.

De Amicitia. MEmoria teneo,non memoriter: Pronuntio memoriter, non memoria . Cicero, Memoria teneo bello Marſico cum Quinto Octauio.Idẽ,Quintus Mutius Augur Scæuola multa narrare de C.Lælio ſocero ſuo memoriter & iucunde ſolebat. Complector tamen memoria & memoriter. Repeto memoria & memoriter.Quintilianus,Si longior complectenda memoria fuerit oratio,proderit per partes ediſcere.Cicero,Complectebatur memoriter,diuidebat acutẽ . Quintilianus, Memoria repeto conuictos à me, qui reprehendere erãt auſi, quòd hoc verbo Pepigiv ſus eſſem.Terẽtius,An cognoſcit ſigna?ac memoriter.Aliud tamen eſt ille ablatiuus,quàm illud aduerbium.Memoria enim quid ſignificat,apparet.Memoriter verò eſt,quod literatores noſtri imperiti dicunt,corde tenus,mente tenus. Apud Plinium tamen ad Romanum lego,Tu facillime iudicabis,qui tam memoriter tenes omnes,vt cõferre cum hac dum hanc ſolam legis,poſſis.Si recte ſic ſcriptum eſt,recte ſic dici iudicabo.

Lib.6. Plinii iunioris authoritas.

EPITOME.

Facio & afficio nunc circa eadem,nunc circa diuerſa verſantur : vt litera per exempla docet. Eſt autem verbum afficio lati ambitus ad omnem affectionem ſeu (vt dicunt) paſſionem accõmodabile:vt,Afficio gaudio,voluptate,triſtitia,ſpe,metu,dolore,&c.Sic conficio,quod eſt quaſi conſumo : vt,Confecit me ſitis & inedia. ſed frequentius in paſſiuo:Confectus ſum ægritudine,ſiti,&c. Item proſequor,eandem vim habet quã afficio:vt,Proſequor te laude,id eſt laudo: vituperio,id eſt vitupero:&ita in ſimilibus. Quidã habẽt hîc plura capita,ſed ea in quinto reperiũtur.

De Facio tibi iniuriam, & Afficio te iniuria. CAP. XCIIII.

FAcio tibi iniuriam, & facio tibi contumeliam. Afficio te iniuria, & afficio te contumelia. Facio tibi molestiam, non ita libenter dixerim, vt Afficio te molestia.

EPITOME.

Imponere, cum datiuo & accusatiuo, notum est quid significet. Impono, cum solo datiuo aut sine casu, significat decipere. inde impostor, deceptor. Dicitur autem per syncopen, pro impositor: sicut à Virgilio dicitur AEneidos primo, -manet alta mente repostum Iudicium Paridis. Et deceptio, impostura. tracta metaphora à rebus per fraudē impositis, vt scyphus erat Iosephi in saccū fratris.

De verbo Impono. CAP. XCV.

IMpono tibi hoc oneris, notum est quid significet. Impono tibi, idem quod decipio te. Quintilianus, Quid quòd hoc ipsum tam placidè, tam quietè facit, quasi captet imponere? Et alibi, Fefellit te ingenitus honestis animis gloriæ amor, spes tibi perpetuæ laudis imposuit. Vnde impostores dicūtur, qui alios verbis magna pollicentibus, incantationibúsque seducunt ac decipiunt. Paulus, Item aleatores & vinarios non contineri edicto, quosdam respōdisse Pomponius ait, quemadmodum nec gulosos, nec impostores, aut mendaces, aut litigiosos. Vlpianus, Non tamen si incantauit, si imprecatus est, si (vt vulgari verbo impostoris vtar) exorcizauit, non sunt ista medicinæ genera, tametsi sint qui hos sibi profuisse cum prædicatione affirment. Impostores.

EPITOME.

Ad me spectat, id est pertinet. Ad mortem, perniciem, exitium seu interitū spectat, id est tendit & vergit: vt qui ad fugam spectat, fugæ opportunitatem quærit.

De verbo Spectat. CAP. XCVI.

AD me spectat, id est, ad me pertinet. Ad mortem spectat, id est, ad mortem quasi respiciēdo tendit. Cicero Officiorum libro 3, Ad extremum si ad perniciē patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet saluti patris. Quintilianus in paupere amatore, Et quod ad pessimū spectat euentū, miserabilis sis oportet, vt amator esse videaris.

EPITOME IN PROOEMIVM QVARTI LIBRI ELEGANTIARVM.

Tametsi diuus Hieronymus se fatetur cæsum, quòd Ciceronianus & non Christianus esset: non continuò damnandi sunt eloquentiæ studiosi aut elegantiæ præceptores, etiam theologi, quum eorum principes fuerint eloquentissimi, & sine elegantia nullus ad theologiam nisi impudentissimus accedat. Neque verò quòd eloquentiæ studuerat, aut gentiles legerat, cæsus est Hieronymus (nam id postea neque vetuit cuiquam, neque facere ipse omisit) sed quòd vir ad Christianam rem destinatus, non Christianus, sed Ciceronianus esset: id est non diuinis, sed duntaxat humanis literis insudans. Quocirca hortatur vt ornatū dicendi à gētibus, tanquam iniu-

ftis poſſeſſoribus,ad noſtram cui debetur,religionem transferamus. Scio ego. emphaticos additur ego. Qui ſibi videntur: non dicit,qui ſunt: intelligitur autem cæteris. nam aliter,ſanctiores locũ inter plura duobus haberet etiã partitiue ſumptum. Vt,id eſt tanquam. quorum,ſcilicet librorum. quòd,id eſt quia ſtudioſior, ſubaudi aliquanto quàm par erat. Et id diris execrationibus,quas Euangelium anathematizationes vocat . ſunt autem quibus quis ſibi male precatur,niſi faciat,aut verum ſit quod dicit. Iſtorum,quaſi viliſſimorum. Et quidem in præterito. alii legunt imperterriti. At ſi vera eſt lectio,in præterito,id eſt de re præterita : vtpote de iactura & naufragio,id eſt damno & petitione literarum . aut in præterito,id eſt in eo quod alii prætererunt,& non accuſauerunt,putantes eos pie locutos. aut in præterito: quum ſera ſit accuſatio poſt tantam iacturam. Mallem tamen legere,imperterriti. Naufragium fecerunt, quod plus eſt quàm iacturam facere . nam iacturam faciunt nautæ, ne fiat naufragium. Seruat autem quod præcepit dicens , Fecerunt potius, quàm paſſæ ſunt. Sed quis,id eſt qualis accuſatus. Ne in te impetum faciant. ſumpta locutio ex ſermonibus Horatii. Si tantum eloquentes. validior videtur obiectio quàm reſponſio. Si enim ſic diceretur, Eloquentis ſtudium quo impediti à ſanctarum rerum ſcrutinio arcentur,non eloquentium lectionem damnamus, dummodo in eis non eloquentiam,ſed bonas margaritas, id eſt ſententias inquiramus: non ſatis purgaret qui diceret, Ergo nullos gentiles legendos. imo dicerem omnes qui aliquid bonæ ſententiæ habent: ſed non propter eloquentiam obtinendam. Verum dicemus etiam eloquentiam amandam: quòd ea quæ cõcipimus,melius exprimimus: & expreſſa ab aliis, melius intelligimus. neque tamen hic tam eloquentiam quàm elegantiam præcipi,ſine qua nemo verus ſit theologus, quum ignoret virtutem vocabulorum. Dilutum,id eſt intermixtum. vinum autem dilutum,imperiti lymphatum vocant. Ille Græcus,videlicet Plato. Noſter Latinus,ſcilicet Cicero. Cauſæ forenſes ſunt quæ pertinent ad forum iudiciale. Omnes hæreſes. Id Auguſtinus in libro de ciuitate Dei,ſentire ex parte videtur. vbi Porphyrium taxat Chriſtianæ pietatis acerrimum hoſtem. Quid ſupple de hoc dices,quòd ne diſſimulabat quidem,id eſt manifeſtè fatebatur ſe eloquentiæ ſtudioſum. I nunc: figurata iuſſio aut permiſſio, qua poetæ & oratores frequenter vtuntur pro occulta prohibitione. Eſt autem i, ſecunda perſona præſentis imperatiui ab eo quod dico: quia quidam credens l eſſe,fecit Lucium. Sæpe in teſtimonium aſſumit: etiam in prologis Bibliorũ. Quid ipſe,ſcilicet vir tã anxiè ſanctus,& doctus,& verax. Nam in aliis inſpiciendum potius ex conſilio Saluatoris,quid doceant,quàm quid agant. dicunt enim & non faciũt. Eloquentiam mutuaretur,id eſt mutuo acciperet. nam mutuatur qui mutuo accipit. mutuat qui mutuo dat,vt alibi docet author ipſe. Studeo eloquentiæ,potius quàm eloquẽtiam, dicemus. Apes,quàm formica. apes regẽ habent, formicæ rempublicam . vnde lepidè dicit, Se ſub apum rege malle militare, quàm formicarum exercitum ducere. nam licet formicæ prudẽter quidem rempublicam adminiſtrant,terrena tamen duntaxat congerunt : at apes aerii mellis cæleſtia dona. Cætera,vti & iſta,nota putem etiam mediocriter literatis. imperitioribus tamen multa familiarius explananda relinquimus,quale eſt,probatum iri,eſſe futuri infinitiui modi: pro quo dicere licet probanda eſſe. Nam ſenes deſperandi,id eſt, nulla ſpes habenda eſt de ſenum eruditione. quod graphicè in præfatione Themiſtii ſic dicit Hermolaus barbarus, Pſittacus eſt ſenex, ferulam neſcit. Quanquam nonnihil differunt,ſic legendum eſt: non,differant. ne contra præceptum ſuum faciat author. De verborum ſignificatione,id eſt vocabulorum. non enim in ſequenti libro verborum,ſed nominum ſignificationes tractat. Sed verbum pro dictione, ſæpe ponit Horatius. Verbum non amplius addam.

S
CIO ego nonnullos, eorũ præsertim qui sibi sanctiores & religiosiores videntur, ausuros meum institutum hoc, laboremq; reprehendere, vt indignum Christiano nomine, vbi adhortor cæteros ad librorũ secularium lectionem, quorum quòd studiosior esset Hieronymus, cæsũ se flagellis ad tribunal Dei fuisse cõfitetur, accusatumq; quòd Ciceronianus foret, non Christianus: quasi non posset fidelis esse & idẽ Tullianus. Eóque spopondisse, & id diris execrationibus, libros seculares postea se nõ esse lecturum. Hoc crimẽ nõ magis ad præsens opus pertinet, quàm ad me ipsum ac cæteros literatos, quorum studium ac doctrina literarum secularium reprehẽditur. Respondeamus igitur istorum accusationi, eósq; vicissim & quidem in præteritũ quoque accusemus, quorum culpa nõ ex minima parte Latinæ literæ iacturam naufragiúmq; fecerunt. Quid ais tu non esse legendos (authore Hieronymo) seculares libros? Qui sunt isti quæso libri? omnésne oratores, omnes historici, omnes poetæ, omnes philosophi, omnes iurisconsulti, cæteríq; scriptores? an vnus Cicero? Si illos dicis, vt debes dicere, cur non cæterarum quoque literarum studiosi abs te reprehenduntur, cũ quibus me aut damnare debes, aut absoluere? Sin ita nõ sentis, & solum Ciceronem reum facis, vide ne stultum Hieronymum videri velis, qui neminem secularium promisit se lecturum, quum de Cicerone tantum promittere deberet. At non quid ille promiserit, inquis, est intuendum, sed quid accusatus sit. Fuit autem accusatus, quòd esset Ciceronianus. Itáne? missum ergo faciamus Ciceronem, relinquamus, abiiciamus. Quid de aliis authoribus senties? Quid de tot disciplinis? certè omnes seculares sunt, atque adeò gentiles, id est non à Christianis, nec de Christiana religione conscriptæ. Si legendas ais, tibiipsi repugnabis, qui mihi harum obiicis lectionem. Si negas, etiam atque etiam consydera, ne secularium disciplinarum familiæ in te impetum faciant, téque omnes (nemine auxilium ferente) discerpant. Minime, inquis, ita est. Sed quum Hieronymus quòd Ciceronianus est, reprehenditur, id reprehenditur, quòd studiosus eloquentiæ esset. Ideóque damnati & repulsi intelliguntur, qui comparandæ eloquentiæ gratia lectitantur. Iam video times inuidiam, sed sero times, & in eodem hæsitas luto, si tãtum eloquentes excludis.

cur modo in vniuersum mihi vetabas (vt sæpe facere soles) legendos secularium libros? at postea accusationem temperasti,& de eloquentibus duntaxat intelligis.Ita sit. Erraueris sanè,do veniam imperitiæ,parco cupiditati feriendi, licet lacessitus. Cur tamen ab Hieronymo dissides, qui seculares,non autem eloquentes se nolle tangere promisit?Cur tu neque cum iudice illo vnũ Ciceronem intelligis,neque cum Hieronymo vniuersos seculares?Quid sibi vult ista anceps vacillánsque sententia?quanquam (dii boni)nihílne in illis libris,nisi eloquentia est?non memoria temporum gentiúmq; historiæ,sine quibus nemo non puer est? non multa ad mores pertinentia ? non omnium disciplinarum tractatio?Nunquid hæc omnia negligam,ne fortè dum talia discere volo,eloquẽtiam discam,& venenum bibam hoc vino dilutum:malímque aquam & quidem cœnosam potare,quàm cũ hoc timore falerna dulcissima ? Porrò quínam sunt isti libri in quibus venena eloquẽtiæ occultantur? Certe nullos ego scio nõ eloquentes,nisi tuos tuorúmque similium,quibus nec robur vllum adest,nec splendor: contráque cæterorum opera pro sua vnumquodque portione miram quandam præ se ferunt bene dicendi elegantiam.Ita aut eloquẽtes, aut nulli libri legendi erũt.

Plato. Cicero.

An ex his duobus,de quibus Hieronymus meminit,aut ille Græcus infacundus fuit, aut noster Latinus vlli, duntaxat Latinorũ, in philosophia secundus ? quorum vterque nescias præstantior sit philosophus an orator.Quòd si omnes libri veterum ita sunt eloquentes,vt vel plurimum sapientiæ:ita tradentes sapientiam, vt vel plurimum eloquentiæ habeãt:quínam isti erunt,quos ob eloquentiam damnandos putemus?Atque quum eos duos lectitasse se Hieronymus fateatur,vide ne non tam de oratoriis Ciceronis operibus , quàm de philosophicis dictum existimare debeas. Ego certè de philosophicis dictum accipio,vbi soli philosophi nominantur:quódque Platonicus esset,non ideo non obiectum,quasi sanctè faceret Platonem legens,sed tãtum Ciceronianus , quòd homo Latinus magis Ciceronis stylum cupiebat exprimere, stylum inquam , quali ille vtebatur in quæstionibus philosophiæ, non quali in forensibus causis,concionibúsve, aut in Senatu. Non enim orator causarum ciuilium Hieronymus, sed scriptor sanctarum disputationum studebat euadere. Cur nõ ergo credamus,non minus Platonem nocuisse ei quàm Ciceronem?cur nõ magis philosophos quàm oratores? At ornatus ipse dicendi reprehensus est,non scientia . Si ita est, omnes ad vnum reprehenduntur. quis enim caret ornatu , in quo tu intolerabili

calumnia vteris?quum nõ ſit facta mentio de ornatu in illa accuſatione,ſed quòd tantum Ciceronianus eſſet. Nunquid tantũ in Cicerone ornatus? nónne & philoſophia? nõ cæteræ artes? nõ (vt dixi) in Platone facundia? non in cæteris? cur non omnes pariter exterminamus? cur non potius Ciceronis philoſophia nocuiſſe putanda Hieronymo eſt, quàm ars dicendi? Nolo hoc in loco comparationem facere inter philoſophiam & eloquentiã, vtra magis obeſſe poſſit,de quo multi dixerunt,oſtendentes philoſophiã cum religione Chriſtiana vix cohærere,omnéſque hæreſes ex philoſophiæ fontibus profluxiſſe: Rhetoricam verò nihil habere niſi laudabile, vt inuenias, vt diſponas, quaſi oſſa & neruos orationi des,vt ornes,hoc eſt,vt carnem colorémque inducas: poſtremo vt memoriæ mandes,decentérque pronunties, hoc eſt,vt illi ſpiritum actionémque tribuas. Hæc ego cuiquam nocere poſſe credã? niſi ei qui cætera negligat,& præſertim verã ſapientiam atque virtutes,quod Hieronymus non faciebat. Hãc ego artem obfuturam putem? profecto non magis quàm pingendi,fingendi,cælandi, & (vt de liberalibus dicam) quàm muſices artem.Et ſi ex his qui bene canunt,bene pingunt,bene fingunt, cæteríſque artibus multum vſus atque ornamenti diuinis accedit rebus,vt propè ad hanc rem natæ eſſe videãtur: profecto multo plus accedet ex eloquentibus.Quare non fuit illa accuſatio quòd Ciceronianus eſſet Hieronymus: ſed quòd nõ Chriſtianus, qualem ſe falſo eſſe prædicauerat,quũ literas ſacras deſpiceret. nõ ſtudium huius artis, ſed nimium ſtudium,ſiue huius artis,ſiue alterius,ita vt locus melioribus nõ relinquatur,reprehenſum. Non cæteri,ſed ſolus Hieronymus accuſatus eſt. alioqui cæteri ſimili caſtigatione correpti fuiſſent. Neque enim vna omnibus medicina conuenit,& alios aliud decet.Neque ſemper & vbique idem aut permittitur, aut vetatur: neque ille hoc aliis vetare auſus eſt, ne facerent: contráque plurimos laudauit, tum ſuperiorum, tum ſuorum temporum eloquentes. Verum quid multis agimus? Quid Hieronymo ipſo eloquentius?quid magis oratorium? quid (licet ille ſæpe diſſimulare velit) bene dicendi ſolicitius,ſtudioſius, obſeruantius? Quid,quòd ne diſſimulabat quidem (nam obiiciente ſibi hoc ſomnium Ruffino, hominem deridet) planéque fatetur ſe lectitare opera gentilium,& lectitare debere? Idque quũ in aliis multis locis (quanquam etiam ſine cõfeſſione palàm eſt) tum verò epiſtola illa ad Magnum oratorem.I nunc & verere,ne aliena accuſatio tibi obſit,quũ illi non obfuerit ſua: & non audeas facere,quod ille reſciſſa pactione fa-

cere non timuit.tametsi non desunt,qui credant eum puerili ætate illa percepisse, semperque postea memoria tenuisse. O ridiculos homines & omnis doctrinæ imperitos,qui opinentur eum tantam rerum copiam ac scientiam, qua nulli Christianorum cedit,aut tam cito potuisse discere,aut tandiu non potuisse dediscere,quum & rarissimi reperiantur, qui centesimam partē scientiæ illius assequi possint,& non minore labore (vt antiquitus dictum est) hæc facultas retineatur quàm paretur:& tamen quantulum interest inter furari & furtum non reddere? Quid prodest aliis furtū prohibere ne furentur, si tu furto tuo palàm potiris? Si non debemus discere eloquentiam, nec vti certe,si didicimus. Quid,quòd libros gentilium sæpe in testimonium assumit? quos si non licet legere, minus profecto legendos exhibere.Et si nos dehortaretur à lectione gentilium (quod non facit) magis intuendum putarem, quid ipse ageret, quàm quid agendum aliis diceret. veruntamen semper ipse idem dixit & fecit. Nam postquam teneram illam ætatem saluberrimo sacrarum scripturarum alimento pauit, ac in ea quam despectam habuerat,scientia sibi vires fecit, tanquam extra periculum positus, ad lectionem gentilium rediit, siue vt illinc eloquentiam mutuaretur, siue vt illorum bene dicta probans, male dicta reprehenderet:quod cæteri omnes Latini Græcíque fecerūt,Hilarius,Ambrosius,Augustinus,Lactantius, Basilius,Gregorius, Chrysostomus,aliíq; plurimi, qui in omni ætate pretiosas illas diuini eloquii gēmas,auro, argentóque eloquētiæ vestierūt, neque alterā propter alteram scientiam reliquerūt.Ac mea quidem sententia siquis ad scribēdum in theologia accedat, parui refert an aliquā aliam facultatem afferat, an non. nihil enim ferè cætera conferunt.At qui ignarus eloquentiæ est,hunc indignum prorsus qui de theologia loquatur existimo. Et certe soli eloquentes,quales ii quos enumeraui,columnæ ecclesiæ sunt, etiam vt ab apostolis vsque repetas, inter quos mihi Paulus nulla alia re eminere, quàm eloquentia videtur. Vides igitur vt in contrarium res ipsa recidit.Non modo non reprehendendum est studere eloquētiæ, verum etiam reprehendendum non studere.Et ego sic ago,tanquam eloquentiæ contra calumniantes patrocinium præstem, quod est maius proposito meo.Nō enim de hac,sed de elegātia linguæ Latinæ scribimus, ex qua tamē gradus fit ad ipsam eloquentiam. Verum siquis eloquens non sit, ita demum non erit castigandus, si talis non potuit euadere, nō si hunc laborem effugit.Qui verò eleganter loqui nescit,& cogitationes suas literis

mandat, in theologia præsertim impudentissimus est: & si id cōsulto facere se ait, insanissimus. quanquā nemo est qui nolit eleganter & facunde dicere: quod quum ipsis non cōtingit, videri volunt (vt sunt peruersi) nolle, aut certe non debere sic dicere. Ideóque aiunt gentiles hoc modo locutos esse, non decere eodē loqui Christianos, quasi illi quos nominaui, more istorū locuti sint, & non more Ciceronis cæterorúmque gentilium, qui qualiter loquātur, nec cognitum isti, nec expertum habent. nō lingua gentilium, non grammatica, non rhetorca, non dialectica, cæteræque artes damnādæ sunt (siquidē apostoli lingua Græca scripserūt) sed dogmata, sed religiones, sed falsæ opiniones de actione virtutū, per quas in cælum scandimus. Cæteræ autē sciētiæ, atque artes in medio sunt positæ, quibus & bene vti possis & male. Quapropter conemur obsecro eò peruenire, aut saltē proximè, quò luminaria illa nostræ religionis peruenerunt. Vides quàm mirabili ornamento vestes Aaron distinguantur, quàm arca fœderis, quàm templum Salomonis: per hoc mihi significari eloquentia videtur, quæ (vt ait nobilis tragicus) regina rerū est, & perfecta sapiētia. Itaque alii ornant domos priuatas, hi sunt qui student iuri ciuili, canonico, medicinæ, philosophiæ, nihil ad rem diuinam cōferentes. Nos ornemus domum Dei, vt in eam ingredientes non ex situ ad contemptū, sed ex maiestate loci ad religionem concitentur. Non possum me continere, quo minus quod sentio dicam. Veteres illi theologi vidētur mihi velut apes quædam in longinqua etiā pascua volitantes, dulcissima mella, cerásque miro artificio condidisse: Recētes verò formicis simillimi, quæ ex proximo sublata furto grana, in latibulis suis abscōdunt. At ego (quod ad me attinet) non modo malim apes quàm formica esse, sed etiam sub rege apum militare, quàm formicarum exercitum ducere. Quæ probatum iri bonæ mentis iuuenibus (nam senes desperandi sunt) confidimus. Nunc ad incœptū redeo. Quanquam ea quæ sequuntur, à superioribus nonnihil differant. Tractabimus enim de verborum significatione, neque de omnibus vocabulis, sed quasi gustum quendam, & eorū maxime quæ ab aliis tractata non sunt: nā de omnibus dicere propè infinitum est.

Euripides in Hecuba.

EPITOME.

Libertinus, adiectiuum est, significans hominem libertinæ conditionis, vt qui aliquando fuerit seruus, aut ex serua natus: habétque pro relatiuo ingenuum, cuius contrariū significat. Et quia eius correlatiuū generale est, & generalia facile intelligūtur, recte sine eo ponitur. Libertus verò substantiuū, ad patronū certū refertur, significátque eū qui adhuc patronū habet, nec sine eo, vel adiectiuo pro eo posito, aut

intellecto, recte ponitur. Dicemus ergo Horatium liberum aut libertinum fuisse, patrem verò eius etiam libertinum: aut si sciremus cuius, etiam libertum. sicut dicimus hunc libertum Cæsaris, illum Tullii: non tamen dicemus libertinum Cæsaris, quia adiectiuũ est, vt litera clare significat: ostendens etiam quare dicantur conserui & colliberti, non coingenui nec collibertini.

DE LIBERTINVS ET LIBERTVS. CAP. I.

Libertinus & libertus sola elegantiæ gratia habẽt differentiam, quã nec grãmatici, nec iurisperiti (quod maxime pudendum est) sciunt: quam ne eorũ quidem aliquem, qui his temporibus merita bene scribendi laude celebrantur, inueni scientem: quod nolim videri contumeliose dictum, sed necessario potius atque honeste. Vereor enim ne per facilitatem, qua semper candide quæcunque studio inuestigassem, cum amicis communicaui, amici ipsi (si modo tales amici dicendi sunt) laudem mihi præripiant. Quod crimen longe à me semper abfuit. Et ex omnibus quæ in hoc opere præcipimus, profiteor nihil omnino ex aliquo huius ætatis vel audiuisse, vel legisse. Itaque sic mihi meam ab aliis gloriam præripi moleste fero, vt illorum à me præripi nefas puto. Nemo autem literatorum erit, quorum paucissimi mihi familiares non sunt, qui se hoc antea ignorasse, & à me vel verbo, vel scriptis didicisse neget. Igitur libertinus relatiuum est ingenui, libertus relatiuũ est patroni, licet vnus idémque sit & libertinus & libertus. Per libertinum significamus conditionem hominis, sicut per ingenuum. Per libertum significamus priuatum quẽdam respectum, sicut per patronum. Ideóque libertinus adiectiuum est sicut ingenuus: eóque non fit à libertina libertinabus, vt à liberta libertabus. Libertus substantiuũ sicut patronus. Illúdque solemus diffinire, hoc nõ solemus, vt in iure ciuili, Libertini sunt, qui iusta seruitute manumissi sunt. Quemadmodum econtrario ingenui sunt, qui libera matre nati, nec postea serui facti sunt. Significatur enim (vt dixi) conditio hominis per ingenuũ & libertinũ. vt Libertinus homo, libertina mulier, libertinæ cõditionis: non autem libertus homo, liberta mulier, libertæ conditionis. Hæc enim priuatum quendam significant respectum ad patronum patronámve relata, id est, ad eum eámve qui antea dominus, aut quæ domina huius fuit, quum seruus ancilláve esset. vt Libert⁹ Cæsaris, libertus Messalinæ, liberta Claudii, liberta Agrippinæ: non autem libertinus Cæsaris, aut libertina. Ideóque interrogamus, Hic ingenuus est an libertinus? non autem an libertus. & quum responsum est libertinus, interrogamus, Cuius

Libertinus.
Libertus.
Libertini.
Ingenui.

libertus, non autem cuius libertinus. Reſpõdetúrque, Eſt libertus meus, aut tuus, aut illius, aut Catonis, aut nullius. Atque libertus ſine patrono patronáve non eſt. Libertinus eſſe poteſt, quanuis neceſſe eſt eum aliquando habuiſſe: quo factum eſt vt dicamus colliberti collibertǽque, quemadmodũ conſerui conſeruǽque, quòd ii plures ſub vmbra vnius patroni ſint, ſicut illi ſub imperio vnius domini. non autẽ collibertini, aut coingenui. ad nullã enim alteram priuatam perſonã plures horum referri poſſunt, nec alii ab aliis diſtinguũtur. Colliberti à collibertis diuiſi ſunt, vt mei à tuis, & conſerui à conſeruis: quemadmodum conciues mei à conciuibus tuis, qui alterius ciuitatis es: condiſcipuli mei à tuis, cõmilitones mei à tuis, qui ſub alio vel præceptore vel duce es. Libertinis verò atque ingenuis hoc non contingit, quum nõ magis nexus mihi ſit cum ingenuis meæ vrbis, & tibi cum libertinis tuæ vrbis, quàm cum aliis quibuſuis. Ideóque non dicũtur coingenui & collibertini. Et libertus collibertúſque eſſe aliquãdo quis deſinit, libertinus eſſe non deſinit. Denique licet poteramus altero horum nominum eſſe contenti, tamen diſtinguere veteribus placuit priuatum reſpectum à publico. Et ideo libertinitas dicimus, non libertitas. Ex ſeruo tamen, non quòd ad priuatum dominũ refertur, fit ſeruitus, ſed quòd ad publicum. dicimus enim non modo ſeruus tuus, ſeruus meus: ſed etiam ſine reſpectu patroni, vt hic ſeruus, & homo ſeruus, quod in liberto non fit. Cæterum cogitãti mihi vnde factum ſit vt in tanta exẽplorum copia elegantiam hanc accuratiſſime cuſtodientium, tamen tot hominum millia nũquam annotauerint: hoc exiſtimo cauſæ fuiſſe, quòd frequenter inuenirent ſine mẽtione patroni, libertum nominari, quo falli ſopitæ negligentiæ fuit. Si enim nonnunquam reperiebant liberto nõ apponi patronum, tamen reperiebant libertino nunquam apponi: quanquam ſemper adhæret liberto patronus vel nominatim, vel ſubintelligendo, vt in multis fit: quale eſt, Vendidi patrimonium, ſuppletur meum. Collocaſti filiam, ſuppletur tuã. Publicauit opus, ſuppletur ſuũ. Ita hoc loco, quale apud Quintilianum, Licet & nihilominus amicum grauem virum, aut fidelem libertũ lateri filii ſui adiungere. videlicet ſuum. Cicero pro Seſtio quum ait, Quintum fratrem auxilio ſeruorum libertorúmque ereptũ à ferro Clodianorum: non genus ſeruile libertinúmque, nec cuiuſcunque ſeruos libertóſque ſignificat, ſed ſuos ipſius. Quid attinet plura ex iure ciuili exempla repetere, quum etiam ſint diſtincti tituli de libertis & libertinis? Quam differentiã qui ignorat (omnes autẽ

Colliberti.

Libertinitas.

Lib. 1. cap. 2.

leguleii ignorant) plurima & capitalia in ipſo iure ciuili peccata cõmittit. Seruius grammaticus (ſi codex eſt fidelis) pro libertino poſuit libertũ in octauo AEneidos, Feronia mater nympha Cãpaniæ, quam etiã ſuprà diximus. Hæc etiã libertorum dea eſt, in cuius templo raſo capite pileum accipiebant. Adiiciam quod ait Suetonius in vita Claudii in ipſum Claudiũ, Ignarus tẽporibus Appii & deinceps aliquãdiu, libertinos dictos non ipſos qui manumitterentur, ſed ingenuos ex his procreatos.

EPITOME.

Verbalia in us & in io, dum naturã ſeruant, fere idem ſignificant. Vt quæ ab actiuis veniunt, communiter, vt conceptus vel conceptio matris quæ cõcipit, & prolis quæ concipitur: dixi Dum naturam ſeruant: quia ad ſenſum pertinentia ſub us ſignificant ſenſum ipſum aut potentiam ſenſitiuam, ſub io actionem aut paſſionem ſentiendi aut rem ſenſam: vt viſus & viſio. Res autem paſſæ per neutrum genus etiam exprimuntur: vt viſa, inſtituta, &c. Differunt quædã in io & a, vt obſeruatio & obſeruantia, offenſio & offenſa. Item hoc acceſſus & acceſſio, & nonnihil actus & actio, geſtus & geſtio. In io quoque, quid amplius ſæpe ſignificant, vtpote rẽ & corpus: vt ſatio, oratio, poſſeſſio, & ſeſſio declarant. Et quædam in us, pro perſonis: vt conuentus, conſeſſus. Calepinus affert exemplum Ciceronis, in quo vult acceſſionem & deceſſionem pro acceſſu & deceſſu capi, Eorum neque acceſſione vitam meliorem fieri, neque deceſſione peiorem. Sed talis acceſſio, adiectio quædam eſt & incrementum: & deceſſio, ablatio & detrimentum.

Inter Acceſſus & Acceſſio, Actus & Actio, Geſtus & Geſtio, quid interſit. CAP. II.

Acceſſus & Acceſſio differunt. Siquidem acceſſus eſt aditio ſiue appropinquatio. Acceſſio autem, adiectio atque incrementum: quæ differentia rara eſt in conſimilibus nominibus. Satus enim & ſatio idem ſunt, cultus & cultio, motus & motio, actus & actio, niſi quòd dicimus actionem cauſarũ nõ actum, & actum comœdiarum non actionem. Curſus & curſio, abuſus & abuſio. Geſtus quoque & geſtio non parum differunt. Nam geſtus eſt actio quædã & quaſi pronuntiatio corporis. Geſtio verò eſt adminiſtratio & actio, quãuis parum in vſu eſt. Hæc autẽ duo de quibus dicere inſtitueram, ideo differũt, quòd verbũ vnde deſcendũt, dupliciter & regit & ſignificat. vt, Accede ad ignẽ hunc. id eſt adi atque appropinqua. Et hoc calamitatibus meis pondus acceſſit, vel ad calamitates meas. id eſt adiunctum eſt & accreuit. A prima ſignificatione naſcitur acceſſus, cuius contrarium eſt receſſus. A ſecunda acceſſio: vt Cicero, Acceſſionẽ adiũxit ædibus. id eſt adiectionem & incrementũ. Præter vſum tamẽ ſuperiorum, Macrobius in Commentariis naturalibus dixit, Aut enim acceſſio, aut in læuã dextrámve reflexio, aut ſurſum quis, aut deorſum mouetur, aut in orbem rotatur. Et iterũ, Has ſolis portas Phyſici vocauerunt, quia in vtraque obuiante ſolſtitio, vl-

[Margin notes: Actus. Actio. — Geſtus. Geſtio. — Accedo. — Offic. lib. I. Acceſſio.]

terius ſolis inhibetur acceſſio. Acceſſus ipſe dixiſſem potius Ciceronem imitatus, qui tertio de Oratore libro ita ait, Vt luna acceſſu & receſſu ſuo ſolis lumen accipiat. Nam quòd febris acceſſio ſæpe legitur, ego pro incremento accipio, non pro acceſſu: alioqui aliquando legeremus acceſſus febris, ſi idem eſſet, quod nũquam fit. Plinius libro vigeſimotertio, Sed id dandum quidã nõ niſi in acceſſione cenſent, alii nõ niſi in remiſſione: illi vt ſudorẽ coerceant, hi quia tutius putant, minuente ſe morbo. Acceſſionẽ remiſſionémque pro contrariis poſuit. & ſi remiſſio imminutionem ſignificat, profectò acceſſio ſignificat incrementum. Quia dixi nomina in us & in io à ſupinis profecta, ferè eiuſdem ſignificationis eſſe, hoc exceptionis addo, quòd ea quæ poſitionem habent in io, latius ſignificare ſolent, nec actionem modo, ſed rem etiam ac corpus: vt aratio, poſſeſſio, ſeſſio. Cicero in Philippicis, Hæ quõdam arationes Campani & Leontini agri in populi Romani patrimonio * glandiferæ, & fructuoſæ * ſerebantur. id eſt agri ad arãdum idonei. Idem in eiſdem, Quid poſſeſſiones datas, quid ereptas proferam? Idem de Oratore, Tot locis ſeſſiones gymnaſiorum. id eſt tot ſedilia. Ea tamen quæ ſunt in us, pro perſonis accipi ſolent. Conuentus non eſt conuentio, ſed homines qui vnum in locum conuenerunt. Conſeſſus non eſt conſeſſio, ſed homines vno in loco conſidentes.

Cap. 1. | Nomina in io. | Philip. 2. | *grandi fœnore. | *ferebantur. | Conuentus. | Conſeſſus.

EPITOME.

Obſeruo, eſt aut cuſtodio & annoto more ſpeculatoris: vnde fit obſeruatio, talis annotatio: aut veneranter ne quid contra volũtatem faciam omnia ſeruo: vnde obſeruantia, talis veneratio quæ obſeruãdo exhibetur. licet à Leone papa pro obſeruatione dicatur, Scitis ad æternum vobis gaudium profuturum, diuinorum obſeruantiam mandatorum. Quòd inſtitutum minorum, poſſit obſeruatio dici, probat illud Valerii Maximi, Aut Marcello adiectio impenſæ impedimento fuit, quo minus religionibus ſuis tenor ſuáque obſeruatio redderetur.

Obſeruatio & Obſeruantia. CAP. III.

Obſeruatio & obſeruantia ſimili quodam modo, vt acceſſus & acceſſio differunt. Obſeruo nanque duo ſignificat. vnũ eſt, quod cuſtodio aliquid oculis animóque, in modum ſpeculatoris, ne nos ſilentio tacitóque prætereat: vt, Obſerua tranſeuntes, obſerua filium, obſerua Dauum quid agat, quid loquatur, quaſi cuſtodi & adnota. Et hinc fit obſeruatio quaſi adnotatio & animaduerſio. Item Obſeruo non ſpeculantis modo, ſed admirantis venerãtíſque, & idtantum in homines, nõ in res, quoties quem vel virtute, vel dignitate ſuſpicimus & colimus. vnde fit obſeruãtia, quæ eſt veneratio quædã & honoris exhibitio. Quare melius obſeruationem quàm obſeruantiam

Obſeruo. | Obſeruatio. | Obſeruantia.

hi qui nominantur fratres,ſuum inſtitutum nominarent.

EPITOME.

Potus eſt nutrimenti cauſa:potio medicinæ,ſed vſurpatur interdū pro potu.

Potus & Potio. CAP. IIII.

Potus. Potio. POtus & Potio non differūt, niſi ob huiuſmodi cauſam. Potus enim vini,aquæ,ſimiliúmque dicitur. Potio verò à medicis datur ægrotanti,quod Græcè dicitur φαρμακον. Nonnunquam tamē potio pro potus accipitur. Seneca de Tranquillitate, Aliquando vectatio itérque,& mutata regio vigorem dabūt,cōuictúſque & liberalior potio. Cicero in Tuſculanis,Quid quòd ne mente quidē rectè vti poſſumus,multo cibo & potione repleti? Et alibi, Tantum cibi & potionis adhibēdum,vt reficiātur vires,non opprimantur.

EPITOME.

Senes dicuntur,à propriis annis. Veteres,à publico aut priuato tempore anteacto. Antiqui, ab vtriſque: ſod potius ab anteacto tempore. Non ergo dicetur ſenex lex,ſed vetus: dicitur tamen res vetus & quæ diu antè fuit vt Abel, & quæ ad multos durauit annos: vt Iuxtáque veterrima laurus. ſic vetus hoſpitium, & vetulus homo. Antiquus homo qui ſenex,& antiqui patres qui multo ante nos fuerunt:vnde & Abel antiquus dici poteſt,non ſenex. Dicitur res chara,antiqua:vt patribus inſtitutio liberorum.

Senes,Veteres,& Antiqui. CAP. V.

Senes. Veteres. Antiqui. SEnes vocantur quantum ad priuatam ipſorum vitam,quòd vſque ad ſenilem ætatem vixerunt. Veteres quantum ad publicum tempus, quòd alia ætate vixerunt, etiam ſi ad ſeniū non peruenerunt. Vnde quidam iuniores,fuerunt ſeniores veteribus. Antiqui vtrique dicuntur,ſed magis veteres quàm ſenes.

EPITOME.

Defectus,eſt quādo quid deeſt vbi adeſſe deberet. Defectio,qua quis derelinquit per rebellionem eum, cui militare deberet. Culpa,noxa & vitiū eius qui facit quod non deberet.

Defectus,Culpa,& Defectio. CAP. VI.

Defectus. Culpa. Defectio. Deficere. DEfectu medicorum multi perierunt: plures tamen culpa eorum. Is nāque defectu medici perit,cui medicus præſto non eſt. Culpa verò medici,qui moriturus non erat, niſi præſto ipſi medicus fuiſſet:quam maiorem partem eſſe arbitror. Hoc ideo dixi,quòd nonnulli pro culpa medicorum, aiunt defectu. Et vitia hominum rerúmque vocāt defectus,quum dicere deberēt vitia,vel culpas,vel mēdas, vt menda libri. Defectio plurimum à defectu diſſentit,quum ſit receſſio aut militum aut ciuitatis à domino vel à ſuperiore. Eſt enim deficere,deſiſtere,& à ductu alterius recedere, & quaſi rebellare. Et defectio quaſi rebellio.quæ exempla paſſim reperiuntur.

EPITOME.

Rumor & Fama ferè idem sunt. Quintilianus tamen discernit. Vnde Mancinellus, Quintiliano quidem authore libro 5, Fama, cōsensus ciuitatis, velut publicū testimonium, vocatur. Rumor verò, sermo sine vllo certo authore dispersus, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas. Hæc ille. Contra quem adduci posset ab authore nostro Liuius, Maro, & alii multi.

Rumor & Fama. CAP. VII.

RVmor & Fama idem sunt, quorum alterum Latinum, alterum è Græco est. Cicero in Philippicis, Improbissimis rumoribus dissipatis. Et non longe post, Hoc triduo, vel quatriduo tristis à Mutina fama manarat. Et statim post, Famam istam fascium dissipauerunt. Significatur autem his duobus nominibus, sermo quidam in populo, sine certo authore, de re aliqua recenti, siue bona, siue mala. Exemplum rumoris de re bona ponamus. Liuius libro secundo, Manat tota vrbe rumor, Fabios ad cælum laudibus ferunt. Frequenter tamen fama etiam pro sermone non rei recentis, sed iam inueteratæ, & pro opinione quadam. vt, Fama est Athenas iam plus annorū viginti milibus fuisse conditas. Et pro laude, & pro celebritate hominis. vt, Fama Camilli, fama Scipionum, Metellorum, Fabiorum. & eorum quoque qui viuūt: vt, Fama mea, fama tua, fama illius, pro quo non recte dixeris rumor.

EPITOME.

Murus, est vrbis aut castrorum lapideus ambitus. Paries, qualiscunque domus priuatæ. Mœnia interdū pro muris: eo quòd munimenta dicuntur. Porta, est in muris: Ianua, in pariete. Videtur à mœnibus munio dictum, mutando œ in u. sicut à Pœna punio, à Pœnus Punicus: & contrà muri dicuntur aliquando mœri.

Murus, Paries, Mœnia, Porta, & Ianua. CAP. VIII.

MVrus & Paries quid differant, superuacuum erat admonere, nisi his temporibus (vt sunt omnia deprauata) murus pro paries à pluribus vsurparetur: quanquam apud Græcos eodem sono pronuntietur vtrunque, distinctum tamen & literis & genere. Murus est vrbis lapideus ambitus, qui Græce dicitur τὸ τεῖχος. Paries verò domorum, Græcè ὁ τοῖχος. Murus est etiam non vrbis, sed vrbis tamen similium, vt munitionum castrorúmque. Mœnia pro muris accipi solent, & pro ædificiis ipsius vrbis. Porta murorum est, munitionúmque, atque castrorum: Ianua, parietis ac domorum.

EPITOME.

Gesta, sunt in publica administratione rerum magnarum. Acta, etiam priuatarum & familiarium. pro quibus actus reperitur, Vt apud Sallustiū in Catilina, De actibus Ciceronis quæreretur, &c.

Gesta & Acta. CAP. IX.

GEsta & Acta hoc differunt, quia illa sunt in administratione magistratus,& in rebus maioribus,& ad rempublicam vel ad plurimos spectātibus:vt Gesta Alexandri,gesta Pōpeii, gesta Cæsaris. Acta verò etiam rerum priuatarum, & minorum,ac familiarium. vt Cicero, An in commentariis,& chirographis, ac libellis se vno authore prolatis, ac ne prolatis quidem,sed tantummodo dictis,acta Cæsaris firma erunt: quæ ille in æs incidit, in quo populi iussa perpetuásque leges esse voluit, pro nihilo habebuntur? Equidem sic existimo, nihil tam esse in actis Cæsaris, quàm leges Cæsaris. Quidam illud eiusdem ita legunt in Sallustium,Quòd si de mea vita atque actibus huic cōuitiatori respondero, inuidia gloriam consequetur. Reor scribendum esse actis.Quòd si scribi potest actibus (vt est apud Lucanum, Licet ingenteis abruperit actus) minus miror cur actus apostolorum magis,quàm acta dicamus.Idem tamē sunt actus & actiones.

Philipp.1.

Actus.

Actiones.

EPITOME.

Natalis aut Natale,& pluraliter natalia,significant diē quo quis natus est.Sed natales,claritatem nascentium:quasi stemmata & gradus.vt Claris & altis natalibus ortus,&c.

Natalia,Natalis,Natalitius,Natales. CAP. X.

NAtalia significant quod Natalis, qui est díes Natalitius,vtrunque conuersum in substantiuum ab adiectiuo, hic & hæc natalis & hoc natale : vt, Natalis horæ tempus,apud Quintilianum in Gladiatore. Natales verò magis conditionem sanguinis & familiæ.vt,Generosi natales,obscuri natales. vt Idē Quintilianus in eadem declamatione,Cuius vt interiecto mari non fortunam quisquam nosse,non natales,nō patrem poterat. Plinius ad * Messium, Nonnunquā candidatus aut natales cōpetitoris,aut annos,aut etiam mores arguebat.Hic pro ignobilitate accipitur,illic pro nobilitate.

Natales.

Lib.3.
*Mesium.

EPITOME.

Præcepta & Præceptiones idem sunt. Sed instituta, sunt mores qui per institutiones traduntur. Institutiones,libri & præceptiones quibus instituimur.

Præcepta & Præceptiones pro eisdem accipi: Instituta & Institutiones differre. CAP. XI.

PRæcepta & Præceptiones indifferenter vtimur pro disciplina: Instituta & Institutiones per differētiam. Instituta enim sunt mores,consilio & ratione sumpti. Nam mores bonos & malos dicimus: & in morem,id est similitudinem, vt in morem leonis,in morem stagni, placidǽque paludis, inquit Virgi-

Instituta.
Mos.
In morem.

lius. Institutum autem bonus mos: vt, Faciam meo instituto. Licet institutum nonnunquam significet incœptum propositum, ab instituo quod est incipio. Instituta verò (vt institueram dicere) boni mores sunt, consilio & ratione sumpti. Quintilianus, Nam is quanquam triennium nutricibus dederit, tamen ab illis quoque iam formandam quamoptimis institutis mētem infantium iudicat. Cur autē ad literas non pertineat ætas, quæ ad mores iam pertinet? eandem rem appellans instituta & mores. Apud Valerium Maximum titulus est, De institutis antiquis, quasi de moribus antiquis. Institutiones, sunt præceptiones, quibus instituuntur & docētur homines, vt libri ab eodem Quintiliano ac Lactantio, multísque aliis authoribus inscripti de Institutione oratoria: siue ab alio nomine atque materia. Lib.1.cap.2. de Chrysippo Institutiones.

EPITOME.

Aduocatus, est omnis qui alteri adest in causa, officii gratia, etiam si nihil dicat. Patronus, qui agit causam accusati non accusantis, aut qui defendit, aut qui libertum habet. Cliens interdum litigator dicitur. est autem aduocati.

Aduocatus & Patronus. CAP. XII.

ADuocatus & Patronus sic differūt, quòd illud generalius est nomen quàm hoc, vt non tantum significet eum qui alterius causam agit. Siquidem quicunque adest alteri in causa, officii gratia, Aduocatus appellatur, etiam si nihil dicat neque agat, sed qui tātum paratus sit defendere: vt Terētius in Eunucho, Tu abi, atque ostium obsera intus, ego dum hinc transcurro ad forum, Volo ego adesse hîc aduocatos nobis in turba hac. Et Cicero, quum in aliis multis locis, tum pro Cecinna, Qui ad possidendum prædium cōtulit se cum aduocatis, quorū præsidio ab aduersarii iniuria tutus esset, qui & ipse venit cum aduocatis suis, sed armatis ad arcēdum Cecinnam à prælio. Patronus autem propriè est, qui agit causam, sed accusati, non accusantis. Quintilianus, Proponitur enim vno modo, variè dissoluitur, quū accusatori satis sit plerunque verum esse id quod obiecerit. Patronus neget, defendat, transferat, excuset, deprecetur, molliat, minuat, auertat, despiciat, derideat. Quare indirecta ferè, atque (vt sic dixerim) clamosa est actio. Hinc mille flexus & artes desyderantur. Tum accusator præmeditata pleraque domo affert: Patronus etiam inopinatis frequenter occurrit. Accusator dat testem: Patronus ex re ipsa refellit. Ex quo colligitur * accusatorē nunquam patronum esse. Verum quoniam non omnis lis circa accusationem & defensionem criminum versatur, vt in mutuis, depositis, locato & conducto, similibúsque, in ea re tam actor quàm defensor solet appellari patronus. Quippe quum vterque Act.4.sce.6. Patronus. Lib.5.cap.13. Accusator. *accusatoris.

non alterius oppugnandæ, ſed ſuæ defendendæ partis gratia dicat. vt idem, Nec immerito quidem, quanquam in dicendo mediocres, hac tamen altercandi præſtantia meruerũt nomen patronorũ. Patronus etiam dicitur reſpectu liberti. Et neſcio an hic ab illo, an ille ab hoc nominatus ſit, vtrũque tamẽ à patre venit. Vterque enim ſimile quiddã patris habet, & vt dominus manumiſſione ſerui liberat eũ miſera cõditione, ita aduocatus hominem obnoxiũ poteſtate iudicũ, & periculo litis, opera ſua liberat. Propter quod cliẽtem vocamus ipſum litigatorẽ, cuius cauſam agimus: & eũ qui ſectator eſt & ſub tutela alterius, & penè famulus, quales ſunt liberti in patronos. Et patrocinari, tam verbo q̃ facto imbecilliorem protegere, à quo fit patrocinium.

Lib. 6. cap. 5.

Libertus.

Cliens.

Patrocinari.

EPITOME.

Facies, eſt quaſi factura & effigies corporis cuiuſcũque vt hominis, terræ, maris. Vultus animi, à volendo dictus. Eſt tamen vbi vtroque vti liceat.

Facies & Vultus. CAP. XIII.

FAcies magis ad corpus: Vultus magis ad animum refertur atque voluntatem, vnde deſcendit. Nam volo ſupinum habebat vultum. inde dicimus, Irato & mœſto vultu potius, quàm facie: & contrà, Lata aut lõga facie, non vultu. à quo cõpoſitum eſt ſuperficies, non ſanè diſcrepans à ſuo ſimplici: vt Facies maris, facies terræ, quaſi ſuperficies: & facies hominis, quaſi primum illud quod intuemur in homine. Eſt tamen aliquando vbi vtroque vti liceat: vt, Fœdata facie, & fœdato vultu: ſciſſa facie, & ſciſſo vultu: conuerſa facie, & conuerſo vultu: quæ exempla ſunt plurima.

Superficies.

EPITOME.

Ordo, eſt digeſtio, & rerum in ſuo loco collocatio. Series autem, rerum quædam continuata progreſſio, à ſerendo dicta.

Series & Ordo. CAP. XIIII.

SEries ab ordine in ſignificatione differt. Nam Ordo eſt digeſtio, & in ſuo loco cuiuſque rei collocatio, veluti in acie fit, vbi pedites, vbi alæ equitum, vbi leuiter armati, vbi ſagittarii, vbi fundibularii, vbi cæteri ex vtilitate rei diſtribuuntur: & in argumentatione, vbi ponenda ſunt firmiſſima argumenta, vbi infirmiora, vbi mediocria. Vnde in ciuitatibus, & Romæ præſertim ordines ſunt: Ordo conſularis, prætorius, ſenatorius, equeſtris, adeò vt Ordo quoque pro ipſis hominibus accipiatur illius conditionis. Cicero, In hoc ordine, pro in ſenatu, aut pro equitibus Romanis frequentiſſime dixit. Idem quodam loco ait, Qui apud omnes ordines eſſet gratioſus. id eſt, apud omnium ordinum homines. Series, eſt rerum quædam con-

Series.

tinuata progreſſio. vt, In ſerie orationis, id eſt in cõtinuato contextu. Quintilianus, Quod non niſi in contextu orationis ſerieque contingit. Virgilius,

-ductæque ab origine gentis
Fortia facta patrum, ſeries longiſſima rerum.
Statius, Longa retro ſeries.

EPITOME.

Decus, eſt honorificentia ex bene geſtis orta. Dedecus autem, cõtrarium. Vnde decoro & dedecoro, penultima breui. Decor, eſt decens pulchritudo ex decẽtia proueniens. Decorum, eſt ipſum honeſtum ac decens, quod Græci τὸ πρέπον vocát: éſtq; tam in verbis quàm in rebus. vnde decoro verbum, media longa.

Decus, Decor, & Dedecus. CAP. XV.

DEcus eſt illa (vt ſic dixerim) honorificentia ex bene geſtis rebus. vnde Décora militiæ, laudes, honores, honeſtamẽta militi in bello comparata: cuius contrarium eſt dedecus, propriè ignominia quædam, aut ignominiæ genus, & infamis turpitudo. Vnde dedécoro. Cicero inquit de quodam, Magiſtratum ipſum dedecorabat. id eſt turpificabat, & contumelia atque ignominia afficiebat. Transfertur etiam ad animum. quippe decus pro honeſto, dedecus pro inhoneſto accipitur. vt Idẽ, Sequetur decus, atque honeſtum. Quintilianus, Satis dedécoris atque flagitii caſtra ceperunt. Decor eſt quaſi pulchritudo quædam ex decentia rerum perſonarúmque, in locis, temporibus, ſiue in agendo, ſiue in loquendo. Transfertur quoque ad virtutes: appellatúrque decôrum, non tam ipſum honeſtum, quàm quod hominibus & cõmuni opinioni honeſtum videtur, & pulchrum, & probabile. Vnde verbum decôro media lõga. Nam décoro media breui, à decus venit.

Decor. Decorum.

EPITOME.

Iocus, eſt ferè in verbo. Ludus, in facto. Sed non vbique ſic accipiuntur. quia cõfunduntur ſæpe, ſicut iocari & ludere. Ludere autem, eſt interdum verſiculis ſcribere, vt in opuſculis & rebus leuibus. Alludere, eſt ad aliud latenter referre ſententiã. Ludus præterea, periculum & ſpem ſibi proponit: ſed luſus & luſio merã voluptatẽ. Eſt ad hoc, ſchola ac gymnaſium: vnde ludi magiſter dictus, & ludus armorum, & ludi gladiatorii, quos potius pluraliter quàm ludum dicemus. ſicut ſemper ludos Apollinares, Circenſes, ſæculares, & ſimiles dicimus, ſpectacula publica, quæ olim in deorum fiebant honorem.

Iocus & Ludus. CAP. XVI.

IOcus & ludus quid ſignificẽt tum ex Cicerone de Oratore, tum ex Quintiliano de ridiculis, colligi poteſt. vt ſit iocus in verbo, ludus in facto. Sed vtrunque tamen patitur exceptionẽ. vt Iuuenalis, Quoties voluit fortuna iocari. videlicet non de verbo intellexit, ſed de facto. Ouidius, Satyr.1.

Hos ignara iocos tribuit natura puellis,
Materia ludunt huberiore viri.
Mille fac esse iocos,turpe est nescire puellam
Ludere:ludendo sæpe paratur amor.

Iocos pro ludo & ipse posuit. Ioca quoque pro iocos nõnunquã legimus. Cicero ad Atticum libro 14, Itaque ioca tua plena facetiarum.Ediuerso ludus pro iocus.Horatius,

Primo serm. Satyr.1.

Præterea,ne sic,vt qui iocularia,ridens
Percurram:quanquam ridentem dicere verum
Quid vetat? vt pueris olim dant crustula blandi
Doctores,elementa velint vt discere prima.
Sed tamen amoto quæramus seria ludo.

Ludo. Hinc ludere pro iocari frequenter inuenitur. Cicero de natura deorum, Quum verò deos nihil agere, nihil curare confirmat, membrísque humanis esse præditos, sed eorum membrorum nullum vsum habere, ludere videtur. Plinius ad Valerianum, (Libro 5.) Quum alii diuinum me, alii rapinis meis, meæ auaritiæ occursum,per ludum acceptum dictitãt. Plinius idem ad Fabium iustum, (Libro 1.) Ludere me putas, serio peto. Ludere dixit pro iocari, & se non ioco agere, sed serio. Quæ duo contraria esse Quintilianus (Lib.6.cap.4.) author est,inquiens, Iocum verò accipimus, quod est contrariũ serio. (Serium.) Idem in eodem loco inquit, Ludere nunquam velimus. quod non tam pro eo quod est iocari, puto dixisse, quàm pro eo quod est scurriliter & leuiter loqui, vel deludere alterum,siue eludere. Nam composita à ludo ad verbum quoque & orationẽ pertinent, non modo ad actionem. vt in eodem opere Cicero, (Academic. Quæst.lib.4.) Sed & vos ab illo irridemini,& ipsi vicissim illum eluditis.Ludere etiam dicitur versibus scribere, sed non nisi in opusculis ferè, qualia sunt epigrammata.& hæc opuscula dicuntur lusus.& hoc (Lusus.) ita sentire summos authores annotaui. Alludere est,quum aliud (Alludere.) dicimus,& ad aliud sententiam latenter referimus. vt Virgilius, Actiáque Iliacis celebramus littora ludis. Dum enim narrat ludos AEneæ,alludit ad Augusti victoriam,qua contra Antonium in his locis potitus est.Ludus item differt à lusu,siue lusione. Ludus enim tum periculum,tum spem sibi propositam habet.Lusus nihil præter meram voluptatem.Itaque qui pila,qui trocho, (Ludus. Lusus. Lusio.) qui tesseris, qui etiam quocunque genere talorum delectationis gratia ludunt, lusum potius quàm ludum exercent. Cicero,Ex multis lusionibus nobis senibus talos relinquant & tesseras. De voluptate videlicet senili locutus est, non de spe lucri, cuius spei causa plerique ludunt. Ideóque ludum talarium dicimus, non

lusum: & ludum aleæ, qui etiam lege prohibetur. Quidam & hũc lusum vocant, vt Suetonius libro quarto, Ac ne ex lusu quidem aleæ compendium spernens. Dicimus etiam ludum, scholam ipsam, vbi & periculum & spes est, & certe labor atque vapulatio. vt, Dionysius tyrannus regno eiectus, factus est ludi magister. Et Camillus ludi magistrum discipulos hostibus prodentem, eisdem pueris cædendum in vrbem vsque præbuit. Est igitur ludus literarius, tum aliarum quarundam artium, tum schola grammaticæ, quam triuialem scientiam dicimus, quòd in triuiis & compitis docetur. Hoc ideo admonui, quòd quidam imperiti triuialem scientiam appellant grammaticam, rhetoricam, & dialecticam: quadriuiales alias quatuor liberalium artiũ. Ludus igitur (sicut dicebamus) est aliarum quoque artiũ, sicut musicæ, vt apud Terentium de fidicina quæ quotidie discebat in ludo. De grãmaticæ schola (vt mea fert opinio) magis quàm rhetoricæ intelligit Cicero de Oratore, quũ inquit, Hoc in ludo non præcipitur: faciles enim causæ ad pueros deferũtur. Et statim post, Hæc est in ludo causarum ferè formula. Nam, vt inquit Quintilianus, Rhetores suas partes omiserunt, & grammatici alienas occupauerunt. Siquidem grammatici Latini, rhetoricam etiam docent. quod indicant ipsius quoque Ciceronis verba, quũ pueros non iuuenes nominat. Est & ludus armorũ, qui idem (vt sentio) gladiatorius dicitur, vbi discunt gladiatores. vt apud Quintilianum, Quòd me diu piratæ in carcere retentum, quia redemptorem illis diuitem promiseram patrem, in ludũ vendiderunt, tanquam decepti. Et iterũ, Et inter * debita noxæ mancipia contemptissimus tyro gladiator, vt nouissime perderem calamitatis meæ innocentiam, discebam quotidie scelus. Ludos tamen gladiatorios frequentius quàm ludum dicimus, quoties vnum plurávе paria gladiatorum ad spectaculum pugnatura producuntur. Quæ res munus gladiatorium appellatur, quia populo tanquam munus donatur. Et qui donat, munerarius: & qui familiã gladiatorũ habet, gladiatoréśque domi in disciplina, & (vt dixi) in ludo exercet, ac postea vendit, lanista. Vocantur autẽ ludi gladiatorii, sicut Ludi Apollinares, Ludi Circenses, Ludi sæculares. Nam spectacula publica vtique in honorem deorum, ludos antiqui vocabant: vt non absurdum sit solennitatem in natali die sanctorũ, præsertim cum apparatu illo & pompa, ludos vocari. Nam quo alio nomine vocemus illam spectaculi exhibitionẽ, qualis fit in multis Italiæ ciuitatibus, & (vt audio) in multis aliis prouinciis? Hæc de ludo, & de ludis hactenus. De lusu quoque

Liuius 5. ab vrbe condita.
Ludus literarius.
Triuialis sciẽtia.
In Gladiatore.
Ibidem.
*dedita.
Gladiatoriũ munus.
Munerarius.
Lanista.
Lusus.

Lib.1.cap.4. aliquod afferatur exemplum Quintiliani, Nec me offenderit lusus in pueris: est & hoc signum alacritatis. Et iterum paulò pòst, Sunt etiam nonnulli acuendis puerorum ingeniis non inutiles lusus.

EPITOME.

Libertas, in loquẽdo accipitur in bonum: licentia ferè in malum. Similiter libere & licenter agere differunt. Scholastici autem, commeatum abeundi aut veniam ludendi petere debent, non licentiam, dum quouis proficisci volunt aut ludere.

Libertas & Licentia. CAP. XVII.

LIbertas in loquendo accipitur in bonum, quum quis non timide (quod seruile est) sed ingenue & libere, hoc est, vt liberum hominem decet, loquitur. Licentia verò in malum, quando hac libertate abutitur vsque ad temeritatem & procacitatem. vnde Quintilianus, Quæ in aliis libertas est (inquit) in aliis licentia vocatur. In agendo quoque simili modo. vt, Libere fecit, libere egit. id est digna libero homine. Cicero sæpe de libere dictis ac factis loquitur, & de licẽtia Claudiorum queritur. Quintilianus, Porrò qui confessum defendit, non absolutionem sceleris petit, sed licentiam. Terentius, Deteriores omnes sumus licentia. Est autem huius nominis significatio, impunita quædam facultas agendi quicquid velis. de facto loquor: nam de verbo iam dixi, quod dubitationem nõ habet. Ideo hoc dico, quòd videtur vocari posse in dubium de facto. Siquidẽ Sallustius in Iugurthino ita ait, Romam legatos ire iubet, agendarum rerum & quocunque modo componendi licentiam illis permittit. Quod nescio an in malum accipi debeat, quasi & male & cum damno atque dedecore regis possint componere. Quale est Quintiliani, An existimas hanc legatis peccandi dari licentiam, vt quæcũque scelera in eo officio commiserint, cum his omnibus hac vna lege decidant? An etiam in bonum, vt solent dicere iurisconsulti, Data est mihi licẽtia eundi redeundíque. qualiter etiam plerique ecclesiasticorum scriptorum locuti sunt.

In apibus pauperis.
Licentia.

EPITOME.

Indulgentia, est obsequens permissio & concessio, atque (vt Quintilianus dicit) mollis educatio. Venia autem, remissio culpæ: sed quasi pro indulgẽtia & gratia seu beneficio accipitur. Potius autem dicemus, Facio tibi potestatem eundi, quàm do licentiam. Pœnitere, est interdum pudere & parum videri.

Indulgentia & Venia. CAP. XVIII.

INdulgentiam vulgo nũc accipimus pro venia. vt, Indulgentiam Deus tibi tribuat, vel Deus tibi indulgeat. quod quis neget dici nõ Latiné? Indulgere enim est cõcedere, & (vt sic dicã) obsequenter, delicatéque tribuere. Cuius rei admoneri certe debuerant trito illo versu, nescio cuius, sed certe inter

Indulgere.

authores minutos latinissimi, & quo mille annis nemo carmen scripsit elegantius,

Indulgere gulæ noli, quæ ventris amica est.

Nunquid in gulam nequaquam misericordes iubemur esse antequam peccauit? an ne committamus vt illa peccet? Quintilianus, Mollis educatio, quam indulgentiam vocamus, neruos omnes & mentis & corporis frangit. Non ergo indulgentia pro venia accipienda est. Est enim venia, remissio culpæ. vt Idem, Peccaui, veniam peto: & errare hominis est, & ignoscere patris. Melius qui econtrario veniam pro indulgētia accipiunt. vt Virgilius primo AEneidos, Lib.1.cap.3. Venia. In Gladiat.

Orantes veniam, & templum clamore petebant.

Et Cicero pro Archia, Dabitis mihi hanc veniam. id est, indulgebitis, concedetísque mihi hoc, si fortè peccauero. Nā apud hunc vix vnquam indulgentia reperitur. Terentius, Da pater veniam, sine te exorem. Hæc duo pro vtroque posuit. id est, da veniam, & sine vt hoc, etiam si improbum sit, abs te impetrem. Et cum venia tua dixero, hoc est, siquid erro, tamen cum pace tua, & (vt isti loquuntur) cum licentia tua dixero. Frequenter legimus, Facio tibi potestatem eundi & redeūdi. quem in modum mallem ego dicere, quàm Do tibi licentiam. Porrò dare potestatem, est plus quàm facere potestatem. Est enim dare potestatem, rem alterius arbitrio committere. Ex hoc veniam dare, admoneor, vt dicam de pœnitere, quod nonnunquam pro pudere siue tædere accipitur. vt Liuius lib.1, Nec me eorum sententiæ esse pœnitet. Cicero de Senectute, Num igitur si ad centesimum vixisset annum, senectutis eum suæ pœniteret? Virgilius, Nec te pœniteat calamo triuisse labellum. quod qui exponunt pro parum videatur, mihi non probantur. Dare veniam. Facere potestatem. Dare potestatem. Pœnitet.

EPITOME.

Ambitio, in animo est. Ambitus, in actu: quem comitatur id vitium quæ Simonia dicitur. sed ea potius in spiritualibus est. Quicquid autem ambitus facit, ambitio facere cogit.

Ambitio & Ambitus. CAP. XIX.

AMbitio in animo est, ambitus in actu. Nā qui præter modū cupit aut honores aut laudem, ambitione peccat. Qui verò dilargitur pecuniā suam, aut populo muneribus ludísque blanditur, aut cæteris artibus, quæ legitimæ non sunt, ad publicos honores tendit, ambitū cōmittit. Cui similis est quam hodie Simoniam vocant, à Simone Mago: nisi quòd hanc tantū in rebus sacris volunt esse. Ambitus ab ambio venit, siue quòd

is qui non suævirtuti confidit,non rectè graditur,sed per circuitum : siue quòd Romani qui honores peterent, singulos circuibant,prehensantes rogantésque,vt se in suffragiis adiuuarent:siue quòd qui pro adipiscendis honoribus soliciti sunt, quum rogant, exordio quodam longiore & verborum circuitu vtuntur. Hæc omnia,quæ ambitus facit,ambitio facere compellit: à qua ambitiosi dicuntur,non ab ambitu.Nonnunquam ambitus pro affectu ambitionis accipitur apud Quintilianũ, siue pro spe quadam fauoris,& quasi captatione misericordiæ . vt, Si iuuenis innocentissimus, Iudices,vti vellet ambitu tristissimæ calamitatis, poterat allegare vobis amissam cum oculis cogitationum omnium temeritatem.Ab hoc etiã ambitiosus dicitur,vt apud eundem libro sexto, Non sum ambitiosus in malis, nec lachrymarum augere causas volo, vtinámque esset ratio minuendi. Ouidius de Ponto libro tertio,

In Pariete palmato.

Ambitiosus.

In procemio.

Sed tamen hoc factis adiunge prioribus vnum,
Pro nostris vt sis ambitiosa malis.

EPITOME.

Vicus,est regio vrbis,aut oppidi,aut etiam in agro frequẽtes villæ & domus.quæ tamen in suburbio sunt,suburbana dicuntur.Castellum,est diminutiuum castri.Estq; castrum,vicus,aut eius pars,dũmodo muris cingitur,quasi perpetua sint castra. accipitur nunc ferè pro arce:sed arx est in oppidis, castrum etiam in pagis: & castellum pro minore castro aut oppidulo vulgo accipitur. Castra autem sunt vbi milites tentoria fixerũt.Oppidum,de qualibet vrbe dici potest,præterquam de Roma, quæ tantum vrbs.Vicinia,est multitudo vicinorum,aut locus . Vicinitas,ipsa propinquitas.

Vicus & Suburbana. CAP. XX.

VIcus,pars vrbis.Diuisa est enim vrbs in vicos,quasi in mẽbra minora, sicut Suburra,Carinæ, Exquiliæ,vici Romæ (vt opinor)erant. Nã regiones circa xx fuerant,hodiéq; tantum tredecim seruant nomina.Vici autem & olim & nũc vltra mille . Extra vrbem verò frequentes villæ ac frequentes domus instar vici vrbani,vicus vocantur,si modo * suburbana nõ sint.Tunc nanque suburbana dicuntur plurali quidem numero, nam singulari significatur prædium in suburbanis. vt suburbanum meum,& suburbana mea,si plura sunt. Quale est in similibus.vt,Fui in Cumano,in Tusculano:id est in fundo meo Cumano, & prædio meo Tusculano . Eramus in Formiano tuo,& in Pompeiano Varronis:id est in villa tua,& Varronis.Cæterum (vt ad rẽ redeamus)hic vicus paganus ferè muris caret.Nã si haberet muros,castelli nomẽ acciperet,quòd à castrũ descẽdit,quo significatur locus muris munitus,&(vt Seruius ait) vrbs. In plurali verò notũ est appellari locũ,in quo milites tẽtoria fixerunt.

Vicus.
*suburbanæ
Suburbana.
Suburbanum.

Castellum.
Castrum.
Castra.

Quanquam varius mos eſt caſtrametandi. Veteres ſolebant illa foſſa, vallóq; circundare, & aliis pro natura loci munitionibus. Oppidũ, omnis vrbs eſt præter Romã, quæ peculiari nomine vrbs vocari cœpta, fecit, vt cæteræ vrbes oppida vocarentur, quia ipſa oppidum amplius nõ eſt. Vnde dicatur vrbs, & oppidum tum alii dixere, tum parum attinet de etymogia diſputare, quæ plerunque fallax eſt, & in primis (niſi fideli fundamẽto nitatur) friuola. Vicinia autem non tam homines, qui eundem incolunt vicum ſignificat, quàm qui prope domum tuam habitant. Vicinitas autem non homines, ſed propinquitatem, propriè quidem vicinorum, abuſiuè verò etiam cæterarum rerum. Nonnunquam continens pro contento: vt Laudanda, vel potius amanda vicinitas.

Quintil. lib. 8. cap. 2.
Oppidum.
Vrbs.
Etymologia.
Vicinia.
Vicinitas.

EPITOME.

Commentaria ſeu commentarii, ſunt libri capita rerum complectentes, aut rem compendio ſe explanantes. Accipitur etiam commentarius pro homine. Commentum verò, eſt ipſa compendioſa excogitatio & fictio.

Commentarium. CAP. XXI.

COmmẽtarii nomen quid ſignificet, tertio declamationum libro Seneca declarat, quum dicit, Sine commentario nunquam dixit, ſed commentario contentus erat, in quo nudæ res ponuntur. Et Cicero in Bruto, Non eſt oratio, ſed capita rerũ, & orationis commẽtarium paulo plenius. Et Quintilianus, Plerunque autem multa agentibus accidit, vt maxime neceſſaria, & vtique initia ſcribãt: cætera quæ domo afferunt, cogitatione cõplectantur, ſubitis ex tempore occurrãt. quod feciſſe M. Tullium commentariis ipſius apparet. Sed feruntur & aliorum quoque, & inuenti fortè, vt eos dicturus quiſque compoſuerat, & in libros digeſti, vt cauſarum, quæ ſunt actæ à Seruio Sulpitio, cuius tres orationes extant. Sed hi de quibus loquor commentarii, ita ſunt exacti, vt ab ipſo mihi in memoriam poſteritatis videantur eſſe compoſiti. Per hæc Quintiliani verba colligitur, non modo id quod dicebam, ſimúlque in plurali hoc nomen eſſe generis maſculini, quum in ſingulari ſit neutri, de quo mox etiam dicam: verumetiam commentarios idem eſſe quod libros, quod Cicero confirmat: tum tertio libro de Finibus dicens, Tuipſe quum tantum librorum habeas, quos hîc tandem requiris commentarios? quoſdam inquam Ariſtotelicos. tum ſecundo de Oratore, Tres patris Bruti de iure ciuili libellos tribus legẽdos dedit, ex libro primo fortè euenit, &c. Ac ſtatim poſt, Vbi ſunt hi fundi Brute, quos tibi pater publicis commentariis conſignatos reliquit? quòd niſi puberẽ te iam haberet, quartum librum compoſuiſſet, & ſe in balneis locutum cum filio ſcriptum reliquiſſet.

Lib. 1. cap. 7.

Ecce eandem rem tribus vocabulis Cicero declarauit, libellis, libris, cōmentariis. Quare ita sentio, omnes commentarios libros esse, sed non continuò libros commentarios. Nāque vbi res sunt latè, diffuséque explicatæ, & non quàm breuissimè poterant tractatæ, libri tantum sunt, non commentarii. Vnde Cæsaris Commentarii, in quibus ad exequendam historiam aliis videtur subiecisse materiam: qui si fuerint singuli, commentarium, vel commētarius, vel liber dicetur. Liuius lib. 48, Quæri iussit ab eo, quē de his rebus commentarium à patre accepisset. Quum respondisset accepisse se, nihil prius, nec potius visū esse, quàm regis ipsius de singulis responsa accipere, librum poposcerunt. Si plures primus & secundus commentarius, nō primum & secundum commentarium, vt Hirtius siue Oppius, qui accessionem adiecit Cæsaris commentariis, ait, Proximus altérve commentarius, nunquam cōmentarium. Ita mihi in magnis authoribus videor annotasse. Quidam tamen aliter faciunt, vtique in alia significatione, quæ est (vt sentio) expositio & interpretatio authorum, vtroq; genere promiscuè vtētes. vt Aulus Gellius, Est adeò Probi grammatici commentarius satis curiose factus. Et iterum, Nonnulli grammatici qui commentaria in Virgilium composuerunt. Iterum quoque, Noster Scaurus in primo commētariorum, quos in Gorgiam Platonis composuit, scriptū reliquit. Boetius, Quod in his commētariis diligentius expediuimus, qui à nobis in eiusdem Ciceronis Topica scripti sunt. Et iterum, Quo autem modo de his dialecticis locis disputetur, in his commentariis quos in Aristotelis Topica, à nobis translata conscripsimus, expeditū est. Quidam etiam talia huiusmodi opera commentumvocauerūt, vt Nigidius, Donatus, Priscianus, aliíque nōnulli. Seruius commentarium, commentariósque pro homine accipere videtur, quum inquit in 7. AEneid. Dicit quidam commentarius connexa legendum. Et in Georgicorum primo, Superfluo mouent quæstionem commentarii.

Liber.

Commētum.

EPITOME.

Cœnaculum, est proprie locus cœnandi in parte superiore domus. accipitur tamen pro quocunque loco altiore pauperibus locari solito. Cœnatio verò, locus est ad cœnandum in imo situs: vt sunt triclinia & atria.

Cœnaculum & Cœnatio. CAP. XXII.

COEnaculum, locus ad cœnādum in loco superiori: Cœnatio, locus ad cœnandum, sed in imo potius. Iuuenalis,

Et algentem rapiat cœnatio solem. Veruntamen cœnaculum non tam pro loco cœnandi, quàm pro parte domus superiore accipitur, quæ frequenter hospitibus ad habitandum lo-

cari ſolet,qui totam domum conducere nō poſſunt,& parte inferiore,ſiue illa taberna,ſiue officina ſit,non habent opus. Cuius rei proferrem exempla,niſi abundè Varro ſufficeret, dicens, Vbi cœnabant, cœnaculum vocitabant. Poſtquam in ſuperiore parte cœnitare cœperunt, ſuperioris domus vniuerſa cœnacula dicta, poſtquam vbi cœnabant,plura facere cœperunt.

EPITOME.

Epulæ,ſunt cibi vulgares,&,vt dicimus,quotidiani in vſum noſtrum comparati. Epulum,ſolennis cibus,publicis conuiuiis aut parētalibus aptus. Dapes autem ſunt, aut cibi deorum,aut noſtri in ſacrificiis eorum.

Epulæ,Epulum,& Dapes. CAP. XXII.

EPulæ, ſunt cibi in miniſterio hominum, & in noſtrū vſum comparati. Epulum,ſolenniores quædam epulæ, & propriè publicum conuiuium in propatulo numeroſis ciuibus exhibitum,ſiue in dedicationem templi alicuius,ſiue in honorē deorum,vel in magnificentiæ oſtentationem, ſiue in funere magni alicuius viri.Cui ſimile eſt quod hoc tempore fit,quum publicè paſcimus pauperes, vt in mortibus propinquorum. Quod idem eſt penè quod parentare, ſi Hieronymo credimus, qui ita tertio libro in Ieremiam inquit, Moris autem eſt lugentibus ferre cibos,& præparare conuiuiū,quæ Græci περίδειπνα vocāt,& à noſtris vulgo appellātur parētalia,eo quòd à parētib9 iuſta celebrentur.Dapes volūt eſſe vel deorū,vel noſtras in ſacrificiis deorum. Parentalia. Dapes.

EPITOME.

Semētis,proprie eſt ſatio ſeu ſeminatio.Meſſis autē,ipſa meſſio,aut ſeges iā matura.Accipitur tamen ſemētis etiā pro ſemine,& tēpore ſerendi. Vnde Mācinellus,Sementis pro ſatione & pro ſemine libro primo Faſtorum apud Ouidium legitur. Ait enim,

Villice da requiem terræ ſemente perracta,
Da requiem terram qui coluere viris. Et paulo inferius,
Vos date perpetuos teneris ſementibus auctus,
Ne noua per gelidas terra ſit vſta niues.

Columella verò lib.2.cap.10,ſementem pro ipſo ſerendi tempore poſuit.ait enim ſic de lente,Sationes eius duas ſeruamus,alteram maturam per mediam ſemētem, ſeriorem alteram menſe Februario.

Sementis & Meſſis. CAP. XXIII.

SEmentis eſt ſatio,ſiue(vt ſic dicam)ſeminatio. Liuius,Campani ſementem facere poſſent.Miror quare quum in aliis locis apud Hieronymum plurimis, tum in Geneſeos principio,ſementis pro ſemine poſitum eſt.Meſſis tum ipſa meſſio eſt, tum ſeges iam matura. Cicero de Oratore, Qualem ſementem feceris,ita meres.

EPITOME.

Seges eſt propriè earum frugum vnde panis fit, ſed nondum demeſſa,vſurpatur

autem pro humo ipſa. Fruges verò quicquid ex fructu terræ in alimoniam vertimus. Vnde vina & poma inter fruges, non inter ſegetes numerantur, vt patet in Liuio qui Gallos dulcedine frugum, maxime vini, dicit captos, & arborem frugiferam vulgo dicimus. Eſt tamen ſeges etiam aliarum rerum, vt lini, auenæ, canabis.

Seges & Fruges. CAP. XXV.

SEges eſt eorum ſeminum, ex quibus conficitur panis, nondum demeſſa. Nonnunquam contētum pro cōtinente vſurpantes, ipſam humum ad accipienda ſemina ſubactam, ſegetem vocamus. vt Virgilius,

Illa ſeges demum votis reſpondet auari
Agricolæ, bis quæ ſolem, bis frigora ſentit.

Fruges verò quicquid ex fructu terræ in alimoniam vertimus. Liuius, Eam gētem tradit fama, dulcedine frugum, maxime vini, noua tum voluptate captam Alpes tranſiſſe. Idem, Non arbore frugifera, nō ſatis in ſpem relictis. Plinius titulum dedit de arboribus frugiferis.

EPITOME.

Malleolus, eſt pars ſarmenti formam mallei habens, & plantationi apta. Sarmentum autem, totum quod ex vite reſecatur aut eradicatur. quod arefactum, tam ſarmentum quàm malleolus vocari ſolet. Differunt ergo vt pars & totū: ſed ad combuſtionem reſeruata materies nunc malleolus, nunc ſarmentū appellata reperitur.

Malleolus & Sarmentum. CAP. XXVI.

MAlleolus à ſarmēto ſic diſtat, vt pars à toto. Eſt enim malleolus (vt placet Columellæ) in modum mallei roſtra habens, aptus plantationi. Quando autem arefacta ſarmenta ſunt, cū malleolis igni reſeruata, indifferenter vocantur. Nam & Hannibalem legimus ſarmēta cornibus boum alligaſſe, eáq; incendiſſe, vt hoſtes falleret. Et nōnullis ciuibus Romanis, quòd domos haberent plenas malleolorum, ad Capitolii, vel Vrbis incendia fraudi fuit.

EPITOME.

Herba dici ſolet, quæ terræ adhæret & hyeme demoritur. Frutex, inter herbā & arborem media, perennis quidem eſt, ſed ad iuſtam menſuram arboris non aſſurgit, aut nōdum aſſurrexit. nā ſoboles quoque arborum & plātula, frutex dici ſolet.

Arbor & Frutex. CAP. XXVII.

ARbor à frutice ita differt, vt frutex ab herba. Eſt enim frutex, qui ad iuſtam magnitudinem arboris non aſſurgit, & ſtatura ſimilis eſt multis herbis, ſed non demoritur, neque areſcit vt herba, ſed perennis eſt. Inter frutices eſt ſoboles quoque illa arborum & plantula. Ab hac fruticari verbum, quaſi fruticem renaſci ex arbore. Marcus Tullius ad Atticū, Exciſa eſt enim arbor, non euulſa. Itaque quàm fruticetur vides. Nam illud quod ſæpe legimus, fruticari pilum, tranſlatum eſt.

Fruticari.

EPITOME.

Acini, baccæ, poma, & nuces, arborum ſunt fructus quibus veſcimur. Sed acini mi-

nutiores densius nascentes. Baccæ, etiam minutiores, sed dispersius & rarius nascentes. Poma verò, maiores sunt arborum fructus, & corticem mollem habentes, vt mala, & pyra, & pruna. Nuces verò, quæcunque principalem fructum seu nucleum, testa aut cortice duriori concludunt. Vnde castaneæ, amygdalæ, iuglandes &c. nuces sunt. Pruna verò, cerasa seu cerasia, siue persica, & similia, licet nucleū testa concludant, poma. Glans autem, & quicunque alius fructus syluester, in numerum prædictorum non venit. Sunt autem baccæ etiam gemmæ: dictæ quòd baccarum instar sint. At Bacchæ, Bacchi sacerdotes.

Acinus, Bacca, Pomum, & Nux. CAP. XXVIII.

ACinos inter & baccas hoc interesse puto, quòd acini inter fructus minutiores arborum fruticúmve densius nascuntur: baccæ verò dispersius & rarius. Inter acinos enim numerantur grana vuæ, grana hæderæ, grana sambuci, grana ebuli, grana mali punici. addo etiam morum, & quicquid his est simile. Inter baccas verò, fructus lauri, fructus oliuæ, corni, loti, quam fabam Syriacam vocant, myrti, lentisci, similiúmq;. Supra hæc autem, poma dicuntur duntaxat quibus vescimur. Cerasum verò, vel (vt Seruio placet) cerasium, & prunum, & mespilum, poma, non acini neque baccæ nominantur. Glans in numerū istorum non venit: syluestris enim & pastio porcorum est. Castanea in nuces refertur. vnde Virgilius, Castaneásq; nuces. sicut pinus, corylus, siue à loco auellana, amygdalus, iuglans, & siqua sunt his similia, nec poma dicuntur, sed nuces. Nōnunquam acini & baccæ indifferenter ponuntur. vt Virgilius,

Sanguineis ebuli baccis minióque rubentem.

EPITOME.

Crepitus, sonitus est violentus ex impulsu resultans. vnde fit increpare, quod est cum vocis eruptione & sonitu immani, id est feroci & immodico reprehendere. Specialiter autem crepitus est, qui natibus editur sonitus. Strepitus verò, fit ex corporum contactu, ex collisione rerum, & multarum vocum confusione sed modica. propriè autem est ambulantium pedum manuúmq; aliquid pertractantium sonus. vnde ad Fortunæ pompam transfertur, quòd diuitum comitatus strepitū emittit. Fremitus autem, est vehemens huiusmodi sonitus vel fluctuum maris & populi obmurmurantis, aut etiam hominis excandescentis & quasi vocem præ iracundia immutātis. At stridor, est acrior & quasi sibilans collisio, vt dentiū concussorū.

Crepitus, Strepitus, Fremitus, & Stridor. CAP. XXIX.

CRepitus, sonitus est violētus ex impulsu resultans. Vnde increpare, est cū eruptione vocis, & immani sonitu reprehendere. Cymbala tympanáq; crepitāt. Vnde fit crepitaculum. Tubæ quoq; & cornua, similiáque crepāt siue crepitant. Crepitus quoque specialivocabulo quid significet, malo me tacēte minus notū esse, quàm me dicente nimis. Strepitus fit ex corporum tactu, siue collisione rerū, & multarū vocum in vnū confusione, si modo non sit immodicus. tunc enim dicitur fremitus, vt ex alto mari sonus fluctuum: & in populo murmur vocatur etiam fremitus: quin & indignantis, & excandescētis, & quasi humanā Increpare.

vocem præ iracundia immutantis vox orati óq; fremitus dicitur. Stridor est acrior,& quasi sibilans collisio. Strepitus tamen propriè pedum ambulantium, manuúmque aliquid pertractãtium sonus est. Appellatur etiam fastus & pompa diuitiarũ, quasi à strepitu comitantium: vt apud M. Fabium, Hic quum me euocasset subitò, trepidum, totóque fortunæ suæ strepitu circunstetisset.

EPITOME.

Officium, est virtutis actio, pro loco, pro tempore, & pro rerum dignitate, quasi id munus ad quod exhibendum quicquam effectum aut institutum est. vnde magistratuum & honestorum opificum, etiam vocamus officium. quinetiã beneficia atque obsequia debite facta, officia vocamus.

Officium & Officia. CAP. XXX.

OFficium, est virtutis actio, quod Græci καθῆκον vocant, vel vt latius explicem, pro loco, pro tempore, pro rerum dignitate, similibúsque. Inde illud est quod dicitur à multis, In familia bene instituta omnes in officio sunt. idest omnes agunt quod debent. Et Missi sunt legatis obuiam ciues officii gratia. & Circunstabãt Senatores Cæsarem sedentem in aurea sella officii gratia . id est honoris gratia, quem legatis, Cæsarive exhibere debemus. Nihil enim tam nos decet quàm merenti, vel honorem exhibere, vel opem ferre. Quo factum est etiam, vt officia significent beneficia, siue obsequia . vnde illud Ciceronis, Odiosum sanè genus hominum officia exprobrantium, quæ meminisse debet is in quem collata sunt, non commemorare qui contulit. Et illud Quintiliani, Duxit me similis ætas, euicerunt officia, cæpit fides, amantem odisse non potui. Magistratus quoque officium dicitur, siue quia honoris causa factus est, siue opis populo ferendæ, siue quia ius suum cuique, & quod cuique debetur, reddat. Cæteræ autẽ artes, quæ modo honestæ sint, suam rationem officium vocãt. vt, Officium grammatici est, officium medici, officium architecti.

De Amicitia.

In Gladiat.

EPITOME.

Histrio, est qui personatus in scæna, voce, & corporis gestu fabulas agit. Mimus, qui vel intra vel extra scænam, gesticulationes quasdam exercet: imitatúrque mores hominum ac naturas, præsertim obscœne. & tam homines quàm poemata mimos vocamus, ἀπὸ τοῦ μιμέομαι, quod est imitor.

Histrio & Mimus. CAP. XXXI.

HIstrio, qui personatus in scæna tragœdias agit, comœdiásque voce & corporis gestu. Mimus, qui vel intra, vel extra scænam gesticulationes quasdam exercet, imitatúrq; mores hominum, ac naturas præsertim obscœnè. Nam mimorum scriptores, res obscœnas, vt amores, tractant . Primum è Tusco quodam homine tractum nomen esse Titus Liuius ac Valerius

Maximus authores ſunt. Alterũ è Græco venit ἀπὸ τοῦ μιμέομαι. Mimi tam homines, quàm poemata vocantur.

EPITOME.

Actor dicitur, qui agit cauſam vt orator: aut geſtum vultus & corporis, vt comœdus, tragœdus, ac mimus omnis. Actio enim, eſt tam ipſa pronuntiatio quàm oratio quæ habetur, & quàm oratio ſcripta. Actus autem, ſunt fabularũ quæ aguntur, partes. Author verò, communis generis, ſine verbi origine (nã neque ab augeo Latino, neque ab αὐξάνω verbo Græco deducitur) dicitur quaſi factor & rei geſtor ac conditor. vt qui bellum gerit aut pacem facit, aut aliud opus, eius author dicitur: ſicut & is cuius nomine & authoritate alii rem gerunt, hoc eſt homo in quo eſt ius, poteſtas, ac dignitas. Quinetiam pupillorum authores dicuntur, qui eorum res adminiſtrant. Præterea duces militum, authores vocabantur. Vnde authorare quaſi obligare & ſubiicere. Et inde authoramentum, quod eſt quaſi obligatio nexúſque, vel quaſi ſtipendium quoddam ac pretium laboris. Auctio verò, eſt venditio in publico ac loco celebri. Vnde auctionari, ſic publicè quaſi ſub haſta vẽdere, ſupellectilia præſertim. Hæc ex Valla. Addit Mancinellus ex Calderino, dicens, Referam hîc quod Domitius in epiſtolã Sapphus poetriæ ſcripſit. Aſſerit enim quòd authorare eſt eligere in militiam: miléſq; authoratus ab imperatore, ei operam præſtat, receptus ſcilicet in iura militaria & in imperatoris fidem. Inde exauthorare, diminuere eſt. Et authoramentum, ſignificat illam adſcriptionem ſimpliciter, non autẽ ſtipendium. Authorat ergo imperator militem, quum eum adſcribit. Nam quicquid deinceps agit miles authoratus, ad imperatorem refertur, cui victoriã parat. Hæc & plura ille. Seneca præterea epiſtola prima lib. 18. ſic ait, Multum autem à fortuna petendum eſt. Deinde ſperandæ opes, authoramenta ſunt ſeruitutum. Vbi quidem metaphoricῶs locutus eſt. Hæc Mancinellus. Mancinellus.

Actor & Author. CAP. XXXII.

ACtor & Author ita differunt, quòd actor dicitur orator qui agit cauſam, quíque geſtum vultus & corporis agit. Vnde tum ipſa pronũtiatio, tum oratio quæ habetur, tum oratio ſcripta, actio eſt appellata. Itẽ Comœdus & Tragœdus, id eſt Actio. hiſtrio qui agit geſtus in ſcena, & quod huic generi ſimillimum eſt, qui agit Attellanas: & Mimus omnis, actor vocari poteſt: & Actor. partes comœdiæ, actus dicuntur. Nã Comicus, Tragicúſq;, poeta Actus. ipſe eſt comœdiarum tragœdiarúmque conditor. Author autem eſt (vt ſic dicã) factor. Nam factor in vſu non eſt, niſi in qui- Factor. buſdam è Græco tranſlatis. Et illud quotidianũ, Credo in vnum Deum patrem omnipotentem factorem cæli & terræ, Græcè eſt ποιητὴν, hoc eſt poetam. At nos poetas cæteróſque operum cõditores, authores vocamus, & illum qui fecit aliquod opus, qui egit Author. bellum, egit pacem, authorem operis, authorem belli, authorem pacis dicimus, nũquam actorem. Quidam originem eius è Græco repetunt αὐξάνω, ſed à Latino quoque facilius formari poteſt, niſi quòd nullum Latinum in or à ſupino deſcendens, eſt communis generis vt author. Nam quum eſt ab augeo (ſi modo vnquam reperitur) auctor & auctrix facit, vt Seruio placet in Vir-

gilium ſcribenti.Idem ſuper Donati artem ita ait,Quæritur,author vtrum per ſe,an de verbo oriatur.Sed ſciendum eſt quòd à ſe naſcitur. Nam illud quod eſt augeo, non nos ſecucat, quòd inde veniat. Aliud enim eſt augere,aliud authorem eſſe. Ego verò à Seruio non omnino diſſentio, quum huius vocis nõ videatur mihi origo eſſe, nec augeo,nec αὐξάνω. & inauditum eſt, ſignificationis illius hic & hæc author eſſe. Nam nunquam aliud (quantum ego ſentio)ſignificat quàm duo. Vnum quod dixi,& alterum quod eſt huic ſimile, hominem in quo eſt vis, poteſtas, & dignitas. Vnde authoritas dicta eſt: vt apud Liuiũ dicitur,Decreuerunt enim,vt quum populus regem iuſſiſſet,id ſic ratum eſſet,ſi patres authores fierent.Hoc eſt,authoritatem (vt aiunt)ſuã & decretum interponerent, ratum haberent, atque ratificarent, ſiue comprobarent. Et alibi,Maiores noſtri nullã ne priuatam quidem rem agere fœminas ſine authore voluerunt, in manu eſſe parentum,fratrum,virorúmque. Et authores pupilli vocantur, in quorum adminiſtratione infirma ætas, réſque eius ſunt. Ideóq; filios regum pupillos ſub authoribus fuiſſe legimus.Vnde Paulus iuriſconſultus,Etiam ſi nõ interrogatus tutor,author fiat,valet authoritas eius, quum ſe probare dicit id quod agitur. hoc eſt enim authorem fieri. Et Pomponius, Etſi pluribus datis tutoribus vnius authoritas ſufficiat,tãetſi tutor authoretur.Quare authores ſententiæ alicuius aut conſilii vocãtur hi,quorũ ſententiam conſiliúmque ſecuti ſumus.Et duces militum,authores vocabantur. Vnde authorare.Liuius lib.46, Signo dato ſuo impreſſas tabellas miſit,&vero pignore velut authoratum ſibi proditorem ratus eſt.id eſt obligatum & ſubiectum.Et Valerius Maximus lib.4,Authorato ſociis officio. Suetonius lib.3,De legendo vel authorando milite,ac legionum & auxiliorum diſcretione. Ex quo fit authoramentum,vel quaſi obligatio, nexúſq;,vel quaſi ſtipendium quoddam, & quaſi pretium cuiuſdam militiæ ac pugnæ actioniſque.vt Quintilianus,Nec difficilem ſanè, ſub illo præſertim authoramẽto,habuiſſet miſſionem:ſed noluit gladiator viuere. Suetonius, Munus gladiatoriũ dedit, rudiariiſque quibuſdam reuocatis authoramento cẽtenûm millium. Cicero, Quorum ipſa merces authoramentum ſeruitutis eſt. Seneca libro ſeptimo epiſtolarum, Nullum ſine authoramento malum eſt.Auaritia pecuniam promittit,luxuria varias voluptates, ambitio purpuram & plauſum,& ex hoc potentiam,& quicquid potentia poteſt,mercede te vitia ſolicitant.Denique author nihil habere commune cum augeo, neque cum αὐξάνω, auctio probat,

Authoritas.

Authorare.

Authoramentum.

In Gladiat.

Auctio.

quæ venditio quædam eſt in publico ac celebri loco.Et hinc auctionari, publicè & ferè ſub haſta vendere, non ea quæ ad eſum ſpectant,ſed ea quæ ad ſupellectilem,atque ad alios vſus,nec ferè niſi quæ penes alium in vſu fuerunt. Differt igitur actus ab auctu,quia diuerſam originem ſortita ſunt.Auctus enim eſt incrementum ab augeo deſcendens, vt hauſtus ab haurio. Auctionari. Actus.

EPITOME.

Pupillus eſt ætate minor,& ſub tutore carens patre,aut ab eo emancipatus,quaſi paruus pupus,id eſt puer. Orphanus,carens patre,& etiam, vt Calepinus ſentit,matre,& ideo paterno præſidio multū indigens.ὀρφανία tamen dicitur priuatio patris.

Pupillus & Orphanus. CAP. XXXIII.

PVpillus,eſt qui caret quidem patre, ſed tantiſper dum eſt in ætate,cui adhibetur tutor. Orphanus,qui caret patre præſidióque paterno , & qui ſummopere deſyderat illius opem, quum ſine eo male habeat. Græcum tamen nomen eſt,non ſanè à veteribus vſitatum.

EPITOME.

Triclinium,eſt conclaue diſcubitorium,à tribus inclinatoriis ſeu lectis dictū.Conclaue autem,omnis locus ſecretior concluſus,veluti quod comptoriū vocant. Aulam,noſtri atrium vocant,vulgo La ſale.vetuſti aulam pro olla vſurpabant:aut potius nunc ollam,mutata au in o,pro aula dicimus.vnde eſt Plauti Aulularia. Aula tamen,à Græcis pro tota regia ponitur, non ſolum pro ea parte quam ſalam, hoc eſt atrium vocant.

Triclinium & Conclaue. CAP. XXXIIII.

TRiclinium à tribus toris,menſiſve appellatum eſt.Ibi enim comedebant,præcipue in conuiuium accepti,quum res ipſa poſtularet tres toros menſáſve extrui . Qui autem huic miniſterio præerat , Architriclinum vocant . Quintilianus quidem triclinium vocat, quod Cicero conclaue . Nam de eodem conuiuii loco,vbi Simonides artem memoriæ traditur inueniſſe,ille ſic ait,Vix eo limen egreſſo,triclinium illud ſupra conuiuas corruit . Hic ſic , Hoc interim ſpatio conclaue illud dicitur concidiſſe. Eſt igitur triclinium,conclaue diſcubitorium. Nam conclaue generalius eſt. quod eſt etiam pars quædam in penatibus remotior, in qua vel viri colloqui, vel mulieres confabulari ſolent . Aulam autem,quod Græcum eſt,noſtri ſemper transferunt atrium.Nam aulam pro olla, Plauto vetuſtiſſimiſq; dicendum relinquamus. Architriclinus Lib. II. cap. 2. De Orat. li. 2. Aula. Atrium.

EPITOME.

Penus, omnia quæ domi recondita ad victum priuatum pertinēt,continet:quorum repoſitorium,penarium dicitur. Commeatus verò,omnia quæ ad publicū victum ſpectāt, ſed præcipue annonam,& quicquid annonæ vicem habet . Annona

autem, si tantum frumentaria est, oportet macellum etiam vbi frumentum venditur apud Ciceronem significare. Meminerimus autem quòd reperiatur hic penus, & hæc penus, & hoc penus penoris, & hoc penu indeclinabile. Macellū autem, propriè significat locum vbi obsonia venduntur.

Penus & Commeatus. CAP. XXXV.

Penarium.

PEnu ea omnia contineri dicuntur, quæ ad victum pertinent, sed priuatum, si modo domi reposita ac recōdita sunt. Nam locum vbi ista reponuntur, Varrone teste, penarium appellamus. Quæ verò ad victum publicum spectant (sicut alio loco diximus) commeatus vocatur, sed ex paucioribus constat, vt sumus diligētiores pro re priuata, quàm pro publica. Ferè nihil aliud continet commeatus, quàm annonam, & quicquid annonæ vicem habere potest. Quanquam (vt iterum dixi) priuatorum etiam commeatus est, nec annona tantum frumentaria, Cicerone dicente libro secundo de diuinatione, Aut si Epicuri de voluptate liber rosus esset, putarem annonam in macello cariorem fore. Nescio tamen an macellum non tantum pro loco vbi caro venditur, accipiatur, sed vbi & annona.

Annona.

Macellum.

EPITOME.

Ceruix, posterior pars colli est. Iugulus, anterior. Collum, totum illud inter caput & humeros. Et quia in ceruice sunt nerui qui superbis rigescunt: ideo duræ ceruicis hominem, rebellē ac superbum vocamus. Et quia in iugulo sunt venæ, quibus læsis, vita exhalatur: ideo iugulare, & iugulum petere, interficere & mortem inferre dicimus.

Ceruix, Iugulus, & Collum. CAP. XXXVI.

CEruix, est posterior colli pars, vnde origo est omnibus neruis. Iugulus anterior, vnde vox halitúsque procedit. Collum omnes partes in solidum complectitur. Et quoniam nerui, qui corpus erectum rigidúmque faciunt, in ceruice sunt collocati, dicimus hominem duræ ceruicis, quasi indomabilem more ferocium boum: vel qui ceruice erecta & rigida est, contumaciam quandam & rigorem mentis præ se fert, tāquam nemini caput inclinare velit, tali nomine vocatur quasi duri capitis, duræque mētis. Ceruices etiam dicimus pro ceruice: imò singulari numero neminem ante Hortēsium dixisse, Quintilianus est author. Similiter quoniam in iugulo mortifera statim plaga est præ cæteris membris, eadémque pars corporis vulneri obnoxia, ad quam mucro inter ipsa arma facile subit, à veteribus dicebatur petere iugulum, ferire iugulum, pro eo quod est petere mortem, inferre mortem. Quintilianus, Initurúsque forensium certaminum pugnam, iam in schola victoriam spectet, & iugulum petere, & ferire vitalia, aut tueri sciat. Cicero in Verrinis, Sua confessione inducatur, ac iuguletur necesse est.

Lib. 8. cap. 3. de ornatu.

Petere siue ferire iugulum.

EPITOME.

Sinus,in complexu est brachiorum,gremium verò in complexu femorũ.vtrunque autem ad aliud transfertur. Non ergo tenet nutrix infantem stantem super sinum,sed super gremium.nec admouet lactentem ad gremium,sed ad sinum. Est etiam sinus,oculorum.Est præterea sinum priori longa,vas,de quo in Bucolicis, Sinum lactis, & hæc tibi liba Priape quotannis Expectare sat est.

Sinus & Gremium. CAP. XXXVII.

SInus est intra pectoris brachiorúmq; complexum . vnde sinus vestium,quales erant tunicæ Romanorũ,& modo quorundam religiosorum supra cincturã laxitas illa vestis, quæ cingulum operit.Litora quoq; curua,& quasi brachiis mare amplectentia,sinus vocamus. Gremiũ est inter complexum femorum,feminúmve,quo in complexu mulieres concipere solẽt.Et per trãslationem gremium terræ appellamus, quum semen suscipit,conceptúmque retinet : quasi viuentem fœtum postea paritura. Quare quum lactantur infantes,ad sinum admouentur: pueri verò iam facti,à sedentibus matribus,vtique quũ illis blandiũtur,ad gremiũ accipi solẽt.vt Virgilius de Cupidine sub imagine pueri Ascanii, Hæret,& interdũ gremio fouet inscia Dido. Quinetiam matres nutricésve quum super genua collocant infantem,aut extremis vestibus repositum,& ad vterũ vsque sublatum gestant,in gremio magis quàm in sinu tenere, aut gestare dicuntur.vt idem de eodem, Gremium.

-& fotum gremio dea tollit in altos Idaliæ lucos.

EPITOME.

Socius socio dicitur,quia inter se pares sunt. Comes comiti,nũquã,aut perquam rarò dicitur . nam comes,minor est duce, eo scilicet cui comitatum præbet, saltem sub ea ratione qua comes,quanuis alio qui maior esse possit.Commilitones autem, pares sunt sub duce militantes.Reperitur autem comes,pro socio. Sed attendendũ etiam , dum per metaphoram loquimur, vt comitem dicamus rem subsequentem & minorem,vt intemperantiam ebrietatis,non ediuerso. In rebus tamen persona carẽtibus,potius magistrum aut magistram,patrem aut matrem,materiem aut materiam,caput aut frontem dicimus:quàm ducem,quod personis conuenit.Est præterea comes in quibuscunque rebus.Socius ferè in arduis & seriis ac fortunæ subiectis. Sodalis autem,ferè in voluptuosis & ad conuictum pertinentibus priore longa. Vnde religiosi qui vulgo fratres dicũtur sodales non inepte vocentur.Cæterum comis,homo benignus est & facilis,qui aliis non grauate inseruit.

Socius,Comes,& Sodalis. CAP. XXXVIII.

SOcius socio dicitur,comes comiti rarò dicitur. Nanque socius est par, comes verò minor : quippe qui sequitur,& ducem habet. vt Cicero,Non comitem se (inquit) sed ducem præbuit.Et alibi, Neque enim princeps tunc ad salutem esse potuissem,si esse alii comites noluissent.Ideóq; duces in bello quoties milites alloquuntur, conciliandæ beneuolentiæ gratia,non

ferè appellant comites,ſed ſocios,communicantes quodammodo ipſorum dignitatem cum illis, vt ediuerſo quum eoſdem commilitones vocant,communicantes eorum conditionem ac

Commilito. ſortem cum ipſis.Neque enim dux commilito eſt militum,ſed milites inter ſe commilitones: vt apud Virgilium AEneas comites ſuos conſolans,ait, O ſocii.Et author ipſe ſua perſona loquēs de Achimenide,inquit,Comes infœlicis Vlyſſi. Et iterum,

Vno graditur comitatus Achate.

Neque recte dixeris de Vlyſſe & AEnea, hunc eſſe comitē Achatæ,illum Achimenidis. Idem tamen ait,

Arma deóſque parant comites. Et iterum,

Sacra deóſque tibi commendat Troia penates:

Hos cape fatorum comites. Nunquid dii erant comites Troianorum atque AEneæ,an duces? certè dii penates comites erant confeſſione tum AEneæ, tum ipſorum quoque deorum. Nam libro primo AEneas ait,

-raptos qui ex hoſte penates

Claſſe veho mecum. Et in tertio dii aiunt,

Nos te Dardania incenſa,tuáque arma ſecuti:

Nos tumidum ſub te permenſi claſſibus æquor.

Sub te,id eſt te duce.& te ſecuti ſumus,id eſt tui comites fuimus. Idem quoque de Græcis dicendum eſt, & de eorum deis. Idem etiam de Sibylla & de AEnea, quanquam modo hic, modo illa dux erat aut comes.tamen quia ſequebatur AEneæ voluntatem Sibylla,& quaſi miniſtrā ſe præbebat,comes erat.Quia verò ducebat præmonſtrans iter & declarans ea quæ ignorabat, dux eadem dicitur. tametſi aliquando comitem pro ſocio dicimus. vt Cicero in rhetoricis de illo viatore,qui quum ante lucem ſurrexiſſet,Comitem(inquit)ſuum inclamauit ſemel & ſæpius.quum de eodē antea dixiſſet,In itinere quidē proficiſcentem ad mercatum quendam,& ſecum aliquantum nummorum ferentem eſt comitatus.id eſt inſecutus. Quare peccauit,tū Priſcianus ad Iulianum ſcribens,Tibi ergo hoc opus deuoueo omnis eloquētiæ præſul, vt quantamcunque mihi Deus annuerit ſuſcepti laboris gloriam, te comite, quaſi ſole quodam dilucidius creſcat. Quid magis abſurdum,quàm quem dicas tuum ſolem,eūdem appellare comitem tuum hoc ipſo quòd ſol eſt?tum ille(parco nomini ſacroſancti viri)qui dixit,Ebrietas eſt comes libidinis & intemperantiæ,ſuperbia comes eſt odii,diuitiæ ſunt comites ſuperbiæ. Nam potius dicendum erat, Libido & intemperantia comes eſt ebrietatis. Sequitur enim libido & intēperātia,ebrietas antecedit.

Odium comes ſuperbiæ eſt,ſuperbia comes diuitiarum.Cicero, Eſt gloria comes virtutis. Gloria enim ſequitur honeſtatem, ſicut vmbra corpus. In eodem opere nuper à quodam perdocto viro,illud,Iracundiam laudant,comitem fortitudinis eſſe dicũt: emendatum ſic erat,Comitem fortitudinem,vt ſciremus verum eſſe quod ait Quintilianus,Dum librariorum inſcitiam inſectari volunt,ſuam confitentur.Idem Cicero alio loco,Cupiditas dicendi,pacis eſt comes otiíque ſocia.Siquidem pacem ſequitur dicendi cupiditas. Quid ergo ſi hæc comes eſt, illa dux erit? dicemúſque, Pax eſt dux cupiditatis dicẽdi, & ebrietas eſt dux libidinis & intemperantiæ?Non eſt hic ſermo quidem vſitatus,ſed potius per alia verba, quorum tria nunc in mentem veniunt, Magiſter magiſtráve,pater materve,materies materiáve.vt,Ebrietas magiſtra eſt libidinis & intemperantiæ: ſuperbia eſt mater odii: diuitiæ ſunt materia ſuperbiæ.quibus tribus ferè indifferenter vti poſſumus.In perſonis verò magis cõuenit dux, aut in his rebus, quæ perſonis ſunt ſimiles, qualis eſt fortuna quæ dea fingitur. Cicero non ſemel dixit, fortunam non ducem, ſed comitem fuiſſe quibuſdam imperatoribus.Eſt præterea (vt eò redeam vnde egreſſus ſum) alia differentia inter comitem & ſocium: quòd comes eſt qui vtcunque ſequitur alterius ductum:ſocius plerunque in negotiis, ſeriíſque rebus,& fortunæ arbitrio ſubiectis. vt Cæſar in Commẽtariis, Itaque Androſthenes Prætor Theſſaliæ, quum ſe victoriæ Pompeii comitem eſſe mallet, quàm ſocium Cæſaris in rebus aduerſis, omnem ex agris multitudinem ſeruorum ac liberorum in oppidum cogit.Verùm huiuſmodi differentia aptior eſt inter ſocium & ſodalem.Eſt enim propriè ſodalis in rebus leuioribus ac ſæpe voluptuoſis.Quintilianus,Quo tandem patereris animo,ſi delicatus adoleſcens,præſertim ſplendidis opibus,vel ex ætate mores, vel ex fortuna traxiſſem,& tempeſtiua conuiuia, & peruigiles * iocos aduocata ſodalium turba,ſolutus atque affluens agerem? M.Tullius,Epulabar modicè cum ſodalibus. Sodalitates enim me Quæſtore ſunt inſtitutæ. Idem alibi, Ego Plancium Laterenſem, & ipſum gratioſum dico,& habuiſſe in petitione multos cupidos ſui gratioſos, quos tu ſi ſodales vocas, officioſam amicitiam nomine inquinas vitioſo. Caius autem, Sodales (inquit) ſunt, qui eiuſdem ſunt collegii, quos Græci συσίτους & ἑταίρους vocant.A quo non ſanè diſcordat apud Marcum Tullium Antonius,qui Norbanum Quæſtorem ſuum appellat ſodalẽ. Comis,eſt benignus homo & facilis,qui aliis non grauatè inſeruit.

Magiſter. Pater. Mater. Materia. Dux. Comes. Socius. Bel.Ciu.lib.1. In Gladiat. *ludos Comis.

EPITOME.

Pompa,est solennis quidam apparatus & ostentatio,tã in prosperis,vt in triumphis,quàm in aduersis,vt in funeribus. Spectaculũ verò, est quicquid spectatur,aut ipsa spectatio,aut locus vnde spectatur. Quocirca omnis pompa spectaculum est, sed non omne spectaculum est pompa.

Pompa & Spectaculum. CAP. XXXIX.

POmpa omnis,spectaculum est,sed nõ contrà. Pompa quidem in prosperis est & in aduersis, qualis est in triumpho, & in funere, quasi quidam solennis apparatus & ostẽtatio. Cicero, Sed iam è pompa in veram aciem descendamus. Virgilius, Ad delubra iuuat solenneis ducere pompas. Quintilianus, Quid enim si respõdere iubeas orbitatem,cur in * exequiis totos egerat census,quid sibi velit ille funebriũ longus ordo pomparũ? Spectaculum verò,nunc illud est quod spectatur.vt,Nocte pluit tota,redeunt spectacula mane. Nunc ipsa spectatio. vt, O acerbum spectaculum. Nũc locus vnde spectatur. vt,Sedebat in spectaculis,& De spectaculis excitatus est.

In ægro red.

*exequias

EPITOME.

Senectus & senecta, & interdum senium est senilis ætas: dicitúrq; interdum adiectiuè senecta ætas. Iuuenta etiam est iuuenilis ætas, sed iuuentus licet pro iuuenta accipiatur, frequentius significat iuuenum multitudinem seu cœtum. Vnde Seruius dicit,quòd iuuentus est multitudo iuuenum,sicut pubes pubescentiũ. Iuuenta verò,iuuenilis ætas.At Iuuenta, dea ipsa. Author autem noster dicit iuuentutem,etiã frequentiam iuuenum : innuens iuuenilem quoque ætatem significare, sicut ibi,Ad deum qui lætificat iuuentutem meam.

Senecta & Senectus,Iuuenta & Iuuentus. CAP. XL.

SEnecta,est senilis ætas:Iuuenta autem iuuenilis, & (vt quibusdam placet)dea ipsa melioris ætatis & iuuẽtutis.At Senectus idem est quod senecta.Iuuentus verò etiam frequentia iuuenum,non solum ætas. Seniũ quoq; pro senectute accipitur.

Senium.

EPITOME.

Abstinentia,iustitia est qua ab alienis nos abstinemus. Continentia verò,temperantia & modestia qua nos ab illicitis & voluptuosis continemus.Cõfunduntur autem interdum:quia qui ab alienis abstinet,appetitum suum sæpe continet & cohibet.Vnde generalior est continentia. Hanc autem differentiam ostendunt partes componentes. Abstineo enim componitur ab abs & teneo. contineo à con & teneo.Continemus ergo quod intra nos est,ne effluat:& abstinemus ab eo quod extra nos, ne ad nos perueniat.

Continentia & Abstinentia. CAP. XLI.

COntinentia ab Abstinentia ita differt,quòd abstinẽtia iustitia est: Continentia verò illa,quæ inter virtutes quarta numeratur,quæ eadem dicitur temperãtia & modestia.Est enim hæc,quũ à voluptatibus nos continemus. Abstinentia,quũ abstinemus ab alienis,nulli vim inferẽtes,nihil cuipiã eripientes.

Cicero, Si in vna voluptate continuerit, in alia se effuderit. Rursus, Quod beneficium est, quòd te abstinueris à nefario scelere? Nonnunquam tamen indifferenter, vt apud Valerium Maximũ titulus est de abstinentia & continentia, vbi exempla istarũ virtutum promiscua sunt. Vt tamen sentio, continẽtiæ dare poteris nomen abstinẽtiæ, potius quàm ediuerso. Illud enim specialius videtur, hoc generalius: quemadmodũ temperantia putatur sub iustitia esse, vel ab ea non posse separari. Illa verò sine hac frequẽter est. Quare recte continentia vocatur abstinentia.

EPITOME.

Pecus pecudis ac pecoris, animal est quod sub imperio est hominum, & pabulo terræ pascitur: vt bos (qui taurum & vaccam, & castratos significat) equus, caballus, asinus. Non autẽ onager qui est asinus agrestis: nec lalisio, onagri pullus. Item mulus, hinnulus, camelus, bubalus, ceruus: quorum congregatio armentum dicitur proprie: licet Virgilius pecoris custodem, armentarium dixerit. Nam armenta, quidam ab arando, quasi aramenta, deducunt: quidam ab armis, eo quòd maiores sint armẽtis armi. Nam gregem ouium, caprarum, porcorum, similiúmque (minorum quidẽ animalium) dicimus. licet gregem etiam de armentis, saltem cum epitheto, dicere liceat: pro quo interdum pecus pecoris reperitur, quinetiam pro sola oue. Præter pecora, sunt feræ, id est animalia syluestria: & cicures, id est ex syluestribus mansuefacta. Nam cicurare, mansuefacere est: & cicur, mansuefactum. Sunt autem qui pecus dicant, quicquid humana effigie caret: sed pecudem fere pro oue legimus. Sũt qui feras velint proprie dũtaxat eas dici, quæ ferociunt: improprie autem omnes quadrupedes, præter pecudes.

Pecus pecudis, & Pecus pecoris. CAP. XLII.

PEcus pecudis, & Pecus pecoris, propè nihil differunt. Significatur enim hoc nomine animal, quod sub imperio hominũ ex pabulo terræ pascitur, vt bos (qui taurum vaccámq; cõprehendit, præter suũ propriũ significatũ) equus, caballúsve, qui asinariam potius operã exercet: asinus, non autem onager, nec lalisio. Mulus qui proprie generatus est ex asino & equa. Nã hinnulus dicitur, qui patre equo, matre asina genitus est, quem quidam burdonem nominant. Camelus quoque, nam non tantum pascitur sub magistro, verum in quibusdam locis inter armenta. Et eius significatio non modo ad marem fœminámque pertinet, vt passer & aquila, sed cum genere fœminino nonnunquam iungi inuenitur, vt camelos fœtas. quale est bos, vt apud Virgilium, Ille meas errare boues, vt cernis. Quod ideo minus mirum est, quòd lupus etiam apud Varronem & Ennium, & Fabiũ Pictorem in genere fœminino reperitur, siue hic lupus lupã quoque significet. Huic simile est bubalus. Cæterũ & ipsi cameli, & cætera quæ enumeraui, armenta faciunt, licet quidam velint tantũ esse boum, quasi ab arando aramenta dicta, deinde sublata tertia litera, armenta. Præterea ouis, quæ marem fœminámque

Bos. Hinnulus. Camelus. Lupus. Armenta. Ouis.

Capra. Porcus. Greges.

ſignificat. Capra cum qua caper,ſiue hircus.Porcus cũ quo porca intelligitur. Vnde fiunt greges,vt Grex ouium,grex caprarũ, grex porcorum.Ouidius Metamorphoſeos quarto,
Mille greges illi,totidémque armenta per herbas
Paſcebant. Virgilius tertio Georgicorum,
Hoc ſatis armentis: ſuperat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges,hirtáſque capellas.
Idem tamen de ceruis primo AEneidos dixit,
-hos tota armenta ſequuntur A tergo.
Vt minus mirandum ſit,ſi de bobus gregem dixerit ibi,
Aut aliquam in magno ſequitur grege:tamen ad diſtinctionem adiecit Magno,ſicut Horatius adiecit Mugientium in Epodis,
Aut in reducta valle mugientium
Proſpectat errantes greges.
Quaſi grex ſit generalius nomen,armentum verò ſpecialius: & illud ſine appoſito de pecoribus minutis intelligatur,cum appoſito poſſit etiam ad maiora transferri. vt Cicero in Philippicis,

Philipp.3.

Fudit apothecas,cecîdit greges armentorum.Hæc omnia pecudes & pecora dixeris,quorum exempla tot ſunt,quoties hoc vocabulum reperimus. Veruntamen pecus pecoris nonnunquam reperitur pro multitudine pecorum ſiue pecudum,ſed gregaliũ potius,quàm armentalium.vt Virgilius,
Dic mihi Damœta,cuium pecus? an Melibœi?
Infœlix ô ſemper ouis pecus. Et alibi,
Caprigenúmque pecus nullo cuſtode per herbam,
Ouidius Metamorphoſeos libro decimotertio,
Hoc pecus omne meum eſt,multæ quoque vallibus errant,
Multas ſylua tegit,multæ ſtabulantur in antris.
Nec (ſi fortè roges) poſſim tibi dicere,quot ſunt.
Pauperis eſt numerare pecus. de laudibus harum
Nil mihi credideris,præſens potes ipſa videre,
Vt vix ſuſtineant diſtentum cruribus huber.
Sunt fœtura minor tepidis in ouilibus agni:
Sunt quoque par aliis ætas in ouilibus hœdi.
Cur dixit Multæ & Harum, quum nullum genus antea nominaſſet? niſi quòd intellexit oues & capras, quas poſtea nominat. Cicero in Verrem, Nominat iſte ſeruum,quem magiſtrum pecoris eſſe diceret.Virgilius tamen Georgicorum tertio ait,
Paſcitur,ítque pecus longa in deſerta ſine vllis
Hoſpitiis,tantum campi iacet:omnia ſecum
Armentarius Afer agit. Armentariũ pecoris dixit.Nonnũquam

pecus pecoris significat ouem, nec solum vulgo vbi hæc animalia pecora dicuntur, verumetiam apud graues authores, quorum est Plinius, qui libro octauo inquit, Est & in Hispania, sed maxime Corsica, non maxime absimile pecori, genus Musimonum, caprino villo quàm pecoris velleri propius. Quorum è genere & ouibus, natos prisci Vmbros vocauerunt. Infirmissimum pecori caput. Et nō longe post, Suis fœtus sacrificio die quinto purus est, pecoris die octauo, bouis tricesimo. Quintilianus, Cur in vsum vestium sæpe pecori lanæ detrahūtur? Præter pecudes autem, cæteræ quadrupedes, feræ sunt. licet proprie videantur feræ dici, quæ feritatem habent, vt leones, vrsi, pardi, lupi, vulpes. Harū quæcūque mansuefactæ sunt, cicures vocantur, qualis canis, qui nec pecus, nec fera est, licet sit natura ipsa non tantum fera, sed etiam ferus: qualis elephas, siue (quod vsitatius est) elephantus ad bella domitus, alioqui fera natura, de quo nomine idem quod de camelo fortasse dici potest, quòd & communis generis sit, & armentum faciat. Quidam suem domesticum tantum cicurem vocant. Ego potius aprum dixerim, qui ex fero cicur est factus. Nec aprum modo, sed etiam onagrum, ceruū, capreolum, damam, capream, leonem quoque: denique quicquid cicurari potest. Cicurare enim (vt Varro ait) est mansuefacere. Quod enim à fero discretum est, id dicitur cicur. & ideo dictum, Cicur ingeniū obtineo. id est mansuetum. Inde natum à cico cicur videtur. Cicum dicebant membranā tenuem, quæ est in malo punico discrimen. Hæc Varronis verba confirmat Cicero, vbi ait, Nam aliæ sunt feræ, aliæ cicures, aliæ natantes, aliæ volucres.

Cap. 49. Cap. 51. Cicures. Elephas. Aper. Cicurare. Cicum.

EPITOME.

Collis, est paruus mons, seu montis non ardua pars. Iugum, est ipsa arduitas montis sub vertice tamen paulum procliuis & prona sicut in collo hominis. Cliuus autem, mollis & planus est in monte aut colle situs. Promontorium, est mons in mare prominens.

Collis, Iugum, Cliuus, & Promontorium. CAP. XLIII.

Collis est (vt ita dicam) monticulus siue per se, & à monte separatus, siue pars mōtis. Iugum (vt etiam ita dicam) ipsa arduitas montis, & procliuis ac prona supinitas, cui similis est in colle Cliuus: tamen mollis magis & clemens, vt cliuus Capitolinus, cliuus qui ducit ad Ianiculum, cliuus montis Auentini, quos omnes scimus esse in vrbe Roma colles. Vnde quidam vocant eam vrbem septicollem. Et antiquitus fiebant festa quædam Septimontalia. Liuius, Itaque quū per Cassilinum euadere non posset, petendúmque montes, & iugū Caligulæ superandū. Et alibi, Quantū in altitudinē egrediebantur, magis magísque

ſylueſtria,& pleraque inuia loca excipiebāt. Vt verò iugis appropinquabant (quod rarum in aliis locis eſſet) adeò omnia cōtecta nebula, vt haud ſecus quàm nocturno itinere impedirētur. Promontorium locus eſt in * mari prominens, vt Plinius libro 26, Promontoria aperiuntur mari, & rerum natura agitur in planū. Liuius libro 33, Aut aperientibus claſſem promontoriis. Idē 46, Adiunctáque inſula Eubœa, & excurrente in altum, velut promontorio, Attica terra ſita ab tergo.

*mare.

EPITOME.

Officina, eſt vbi opera ipſa fiunt. Taberna, vbi opera cæteráque merces venditantur. Illa enim ab efficiendo dicitur. hæc, à tabulis in quibus res vænales exponūtur. Sunt autem quibuſdam tabernis & opificibus propria nomina: vt cauponæ & cauponi, argentariæ & argentario, quem campſorem ſeu bancarium vulgus vocat. Sed qui Græce τραπεζίτης & κολλυβιστής dicitur, à nobis nummularius, ſeu mēſarius dici poteſt. nam collybiſtes, id eſt nummularius, trapezas, id eſt menſas habet.

Officina & Taberna. CAP. XLIIII.

OFficina, eſt vbi opera fiunt. Taberna, vbi opera ipſa, cæteráque merces venditātur. Officina eſt ſtatuarii, fuſoris, flatoris, cælatoris, excuſoris, vitrearii, pictoris, ſutoris, fabri, qui multiplex eſt, lignarius, & hic non vnius generis: ferrarius, nec hic ſimplex: lapidarius, qui & ipſe in multas diuiditur ſpecies. Taberna vocatur vinaria, lanaria, olearia, & mille huiuſmodi, vnde opifices & tabernarii vocantur. Cicero pro Lucio Flacco, Opifices & tabernarios, atque omnem illam fæcem ciuitatum quid eſt negotii concitare? Nec negauerim aliquando vnū eundémque locum officinam & tabernam eſſe, vt ſutrina, in qua calcei & fiunt & venduntur. Quædam igitur artificia (quanquam ſola artificia ſunt opificū) cætera quæſtus & operæ dicūtur. Sed quædam huiuſmodi ſemper habent ſuū nomen, vt hæc ipſa ſutrina ſutoris, & lignarii proprie fabrica, aurificis aurificina, cauponis caupona: tamē & eam quæ vinū venditat, cauponam vocamus. Quidam malunt dicere cauponam pro loco. Argentarii argentaria, quod nomen quidam pro artificio, & argentarium pro artifice (qui idem eſt aurifex) accipiunt. atque ita eſt in Ieremia. Titus autem Liuius, Cicero, Quintilianus, cæteráque omnis antiquitas pro his accipit, qui campſores vulgo dicuntur, non illos dico minutos, qui nummularii & menſarii à nobis, κολλυβισταὶ à Græcis dicuntur, qui iidem trapezitæ vocari poſſent. Nam collybiſtæ, trapezas habent. Sed Plautus in Curgulione trapezitam & argentarium pro eodem accipit.

Opifices.

Artificia.

Caupona.

Argentarius.

EPITOME.

Auis, eſt quæcunque pennis prædita, oua parit. Volucris, omnis quæ volat, vt etiā apes, veſpæ, muſcæ, culices, &c. Vnde Maroni volitans dicitur Georgicorum tertio,

Plurimus alburnum volitans. Quo in genere potius est vespertilio quàm auium:& tamen Valla videtur inter aues numerare.

Auis & Volucris. CAP. XLV.

AVis est quæ oua parit, pennísque est prædita, præter vnum vespertilionem, qui vtroque caret, quatuor enim pedes habet, & semimus est. Volucris est quæcũque volat, nec auis solum, sed illæ bestiolæ quoque minutiores, vt apes, vespa, culex, tabanus, locusta, musca, cicada. Siquidem Quintilianus, apes, volucres vocat. Et Plinius non semel hoc signat. vnde & Cupido volucer dicitur. Declam.13.

EPITOME.

Indoles, est inolita atque ingenita generositas, ac virtus in quacũque ætate. Sed in puero est quasi futuræ virtutis indicium, in aliis etiam præsentis.

Indoles. CAP. XLVI.

INdoles est non solum in pueris & adolescẽtibus significatio futuræ virtutis, vt apud Quintilianum, In primis annis laudaretur indoles. Cicero, Vt enim adolescentibus bona indole præditis sapientes senes delectãtur. Et Valerius titulum de indole fecit, non tantum puerorum adolescentiúmque exempla repetens: sed etiam in viris, & quidem præsentis virtutis, vt idem Cicero de Officiis, In quibus est virtutis indoles, commouẽtur. Idem pro Cælio, Siquis Iudices hoc robore animi, atque hac indole virtutis, & continentiæ fuit. Liuius de Lauinia iam matre, & post mortem AEneæ res administrante inquit, Tanta in ea virtutis indoles fuit. Lucanus,

Indole si dignum Latia, si sanguine prisco
Robur inest animis.

Indole quasi generositate quadã virtutis atque animi. Liuius ad malam quoque partem & ad muta atque inanimata transfert, loquens de Hannibale: sic, Cum hac indole virtutum & vitiorum triẽnio sub Hasdrubale imperatore meruit. Et alibi, Sicut in frugibus, pecudibúsque non tantum semina ad seruãdam indolem valent, quantum terræ proprietas, cælíque sub quo aluntur: generosius in sua quicquid sede gignitur: insitũ alienæ terræ, in id quod alitur natura vertente se degenerat.

EPITOME.

Concio, est multitudo populi ad audienda quæ in rempublicam sunt, congregata, quæ Græce ἐκκλησία dicitur: aut oratio ipsa. Addit Mancinellus etiam locũm significare. Verba eius sunt, Aulus Gellius libro 8. cap. 7. scribit concionem tria significare: locum, suggestúmque, vnde verba fiunt. Item cœtum populi assistentis. Item orationem ipsam quæ ad populum diceretur. Hæc ille. Errant ergo qui ecclesiam pro templo sumunt. Item qui eius secundam corripiunt, cum Græce η habeat, quod apud nos in e longam vertitur. Mancinellus.

Concio. CAP. XLVII.

Concio est populi multitudo congregata, vel ex magistratus iussu, vel ex publici sacerdotis, vel interdum sua autoritate,& sponte propria ad audiendum oratorem concionantem in bonum publicum: cuius etiam oratio vocatur concio. In priore significato est Graece ἐκκλησία, quam nos pro Latina voce habemus. Multíque ecclesiam nescio quo iure ædes sacras appellant, quum cœtum hominum (vt dixi) significet, nō loca.

Ecclesia.

EPITOME.

Leges, sunt aut principis aut liberi populi. Iura autem generalia sunt. nam & ius gentium,& ius ciuile,& ius naturale dicitur. non tamen quod natura omnia animalia docuit: nam soli homines iure viuunt. Nisi dicamus ius naturale esse quod pectoribus nostris inscriptum est, vt omnia decalogi præcepta præter vnū de sabbathi obseruatione, quod natura docuit omnia animalia, id est omnes homines, sicut dictum est, Prædicate euangeliū omni creaturæ: aut id demū esse ius naturale quod natura docuit omnia animalia, vt educationem prolis,& ad victum acquirendū institutionem:& similia quæ saltē plurima animalium obseruāt, sed in solo homine iuris vim habent. Qui legem fert, orator dicitur, qui multo præstantior est quàm iurecōsultus qui legem interpretatur. neque omnia quæ vim legis habent, leges dicētur, vt à iurisperitis, sed literarum imperitis dici solent.

Aliud Leges esse, aliud Iura. CAP. XLVIII.

Leges Iuráque scripta sæpe inuenimus. ex quo datur intelligi aliud esse leges, aliud iura. Sunt igitur leges, aut principis aut liberi populi. Quæ à rege conduntur, alterius cōsensum non requirunt: quæ ad populum ferūtur, quǽque sine eius iussu ferè ratæ non sunt, quia rogari, id est interrogari de his populus solet, rogationes etiam dicūtur. Iura autē magis generalia sunt. Siquidem & ius gentium est, & ius ciuile. Nam ius naturale dicere, quod natura omnia animalia docuit, ridiculum est. Appetitum coeundi, atque adeò nocēdi imbecilliori animali, spoliādi, occidendi, quis ius esse dixerit? Ideoq; M. Tullius in libro Officiorum de iure naturali silētium egit, inter solos homines ius esse significans, ídque gentium esse vel ciuile. In rhetoricis tamē ius naturale statuit, sed quod in homines tātūmodo cadat. cuius species sex esse voluit: religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obseruantiam, veritatem. Sed hæc hactenus. Ius ciuile dicimus tā leges, quàm plebiscita, senatusconsulta, decreta principū, responsa prudētum: quod vltimum velut interpretatio est superiorū, quod qui profitentur, iurisconsulti nominantur. Qui verò legem fert ad populum, ferè orator est, aut præsidio oratoris indigens, vt appareat quanto præstantior orator est, quàm iurisconsultus, quum hic sit quasi illius scriba: aut ille præceptor, hic

Rogationes.

Iuris naturalis species.

Ius ciuile.

Iuriscōsultus

Orator.

pædagogus: ille dux, hic ducis legatus atque aſſecla. Quid dicam de iuriſperitis, hoc præſertim tempore, qui quum maximo ab illis conſultis interuallo diſtent, ſe literatorum arcem tenere arbitrantur? quorum quanta ſit eruditio, vel hinc colligi coniectura poteſt, quòd quoties Pauli, Vlpiani, aliorúmve teſtimonium aſſumunt, legem nominant, quum longe aliud ſit, legem eſſe, & habere vim legis. quódque deformius eſt, vnam legem in plures leges partiuntur. verbi cauſa, Ad legem Aquiliam, quoties Scæuola, quoties Papinianus aliúſve quis loquitur, etiam ſi bina verba, & quidem à ſuperioribus dependentia, toties nouam legem appellant: non ab aliquo legiſlatore vnam legem, ſed ab infinitis interpretibus legum, infinitas leges eſſe iudicátes. Etiam titulum de verborum ſignificatione, legem, imo leges, appellāt. quo quid abſurdius?

EPITOME.

Aceruus, eſt rerum minutarum, vt frumenti, congeries. Strues, lignorum. Strages, cadauerum proſtratorum. Sarcina, vtenſilium. vnde Sarcinulas colligere, eſt migrare, more militari.

Aceruus, Strues, Strages, & Sarcina. CAP. XLIX.

ACeruus minutarum propriè rerum congeries eſt, vt frumenti & leguminis, vt ſalis. Interdum aliquanto etiam maiorum, vt aceruus ſcutorum, apud Virgilium. & ferè generale ad omnia eſt. Strues autem propriè lignorum. Strages verò cadauerum interfectorum vno in loco, ac propriè iacentiū multitudo, ſiue humanorum, ſiue mutorum. Sarcina, vtēſilium, & eorum quæ ad cultum, ad ornatū, & ad cæterum vſum pertinent (vt ſic dicam) faſcis, quem quis in itinere faciendo comportare poſſit. Siquidem milites quum caſtra mouere volunt, ſarcinulas colligere dicuntur: & qui in aliam domū immigrant, ſarcinas ſuas cōponere. Res enim noſtras domi ciſtis capſiſque cōpoſitas, ſarcinas vocamus: vt apud Quintilianum, Iacent relictæ ſine hærede ſarcinæ.

EPITOME.

Miniſterium, proprie eſt miniſtri opera, ſed pro omni opera vſurpatur. In plurali ſignificat miniſtros: ſicut & ſeruitia ſeruos. Myſterium autem, res eſt myſtica. id eſt arcana, perſonis diuinis duntaxat cognita.

Miniſterium & Myſterium. CAP. L.

MIniſterium, miniſtri opera eſt propriè, ſed pro omni operatione quoque accipitur, vt de rege Latino Virgilius,

-mœſtúſque refugit Fœda miniſteria. Myſteriū verò, Græcum eſt μυστήριον, arcana quædam res, & propriè diuinis viris ſacerdotibúſque tantummodo cognita. Illud prius in numero

plurali solet accipi pro ministris, sicut seruitia pro seruis. Nam seruitiū, aut seruitus ipsa, aut seruitutis actio est, vt Dauus apud Terentium,

Seruitium.

In Andria. Act. 4. sce. 1.

Ego Pamphile hoc tibi pro seruitio debeo,
Conari manibus, pedibus, noctésque & dies
Capitis periculum adire, dum prosim tibi.

In Catilinario.

Afferamus etiam in aliis exempla. Sallustius, Interea seruitia repudiabat, quorum in initio ad eum magnæ copiæ concurrerāt, quia opibus coniurationis fretus, simul alienum suis rationibus existimans videri causam ciuium cum seruis fugitiuis communicasse. Quintilianus sæpe ministeria pro ministris dixit: vt ibi, Non torsit ministeria cæci. Et officia pro officialibus, obsequiáq; exhibentibus. Paulus iuriscōsultus teste Labeone ait, Vrbica ministeria dicimus etiam quæ extra vrbem nobis ministrare consueuerunt. Vlpianus denique cōcubinam, filios naturales alumnos constituit generali appellatione contineri, & siqua alia sunt eiusmodi ministeria. Liuius libro quarto, Frumento nanque ex Hetruria priuata pecunia per hospitum clientúmque ministeria coempto.

Ministeria.

Officia.

EPITOME.

Scurra, risum ab audientibus, etiam sine dignitate personarum, captat. Parasitus omnia ad assentationem, ventris gratia, & facit & dicit.

Scurra & Parasitus. CAP. LI.

SCurra est, qui risum ab audientibus captat non salua dignitate personæ. Parasitus, qui omnia ad voluntatem eius loquitur, in cuius cōtubernio est: omnia assentatur, omnia illius facta, simul ac dicta laudat, nihil repugnat, nihil facere recusat ventrís gratia, in quo summum bonum constituit, quorum magna copia in principum domibus est.

EPITOME.

Bucca, & buccæ, in significando non differunt, nisi vt musa & musæ. oratores tamen frequentius in singulari loquuntur. Est autem bucca, maxillarum ac oris pars quæ vento inflari solet. Gena, mēbrana oculum tegens. Mala, inter genam & buccā rotundum illud in formam mali. Maxilla verò, interior pars oris, molares continēs: quorum occultissimus, genuinus dicitur. Genuino quēquam rodere, est occulte per inuidiā mordere, illique detrahere. quod Horatius dixit Dente Theonino: & Persi[9], Genuinum fregit in illis. scilicet carpendis & rodendis. Non ergo rodimus genuinum, sed genuino hominem inuisum.

Bucca, Gena, Mala, & Cilium. CAP. LII.

BVccam & buccas pro eodem accipimus. Oratores frequentius in singulari: vnde illud vsitatum, Dicam quicquid in buccā venerit. id est in os. sed non in labra, vt vulgus existimat, Quintiliano probāte, qui ait, Ore enim magis, quàm labiis

loquendum est. Sed vulgus errat atque fallitur, quum legit buccam, & duas buccas: in illa accipiens vnum os, in his duo labra. Verũ ego ostendi, os, ipsam concauitatem esse vnde vox prodit, non oram labrorum. Etenim Iuuenalis, quũ ait, Bucca foculum excitat, non de extremitate oris, sed de interiori parte dixit, quæ inflari solet, vẽtúmque cõcipere. Et iterũ de tubicinibus loquẽs, Notæque per oppida buccæ: de illa deformi vtrinque inflatione intellexit tubam inflantium, non de labris, quæ latent quũ tuba canit. Nam & Horatius quoque quũ inquit, Quin illis Iuppiter ambas Iratus buccas inflet: non de labris locutus est, quæ inflari non possunt. Quod Plautus apertius docet in Pœnulo, Nescias vtrũ ei maiores buccæ, an mãmæ fient. Quid autẽ buccæ significẽt, ex Plinio audiamus, simúlque quid malæ, quid genæ, quid cilium. Hæc enim eodẽ loco tractat is, præter quàm quòd alibi dicit buccarum sinus. Et iterum, Buccarum inanitas. ita lib. II. ait, (sequar autẽ ipsius ordinẽ, seriémq; libri,) Quibus fragilia operimenta, iis oculi duri. Omnia talia, & pisces, & insecta, nõ habent genas, nec integũt oculos. Omnibus membrana vitri modo trãslucida obtẽditur. Paulóque post, Sed quadrupedibus in superiore tantum gena, volucribus in inferiore. Ac paulo pòst, Grauiores alitũ inferiore gena cõniuent. At quadrupedes quæ oua pariunt, vt testudines, crocodili, inferiore tantũ, sine vlla nictatione, propter præduros oculos. Extremũ ambitũ genæ superioris, antiqui cilium vocauere, vnde & supercilia. Hoc vulnere aliquo diductũ non coalescit in paucis corporis humani membris. Infra oculos malæ homini tantũ, quas prisci genas vocabãt, XII tabularum interdicto radi à fœminis eas vetante. Pudoris hæc sedes. Ibi maxime ostẽditur rubor. Infra eas, hilaritatem risúmque indicantes buccæ. Et altior homini tãtũ (quẽ noui mores subdolæ irrisioni dicauere) nasus. Non alii animaliũ nares eminẽt. Auibus, piscibus, serpentibus, foramina tantũ ad olfactus, sine naribus. Et hinc cognomina simorũ, silonũ. Septimo mẽse genitis sæpenumero foramina auriũ & nariũ defuere. Labra à quibus * bronchi, Labeones dicti. Ex his Plinii verbis apparet etiã eam in vultu partẽ vocari buccas, quæ vento inflari solet: genam membranã illã, & quasi vestem qua oculus integitur & conniuet, id est aperitur & clauditur, hoc enim est cõniuere. Malam verò, illud inter genã & buccam, quasi rotundũ in speciẽ mali (nã vtrunque horũ vocabulorũ primã lõgam habet: Malus verò mala malum, primã breuem) cuius interior pars quæ oris hiatũ efficit, vbi molares affixi sunt, maxilla dicitur, nomen diminutiuũ non re sed voce.

Os. · Serm. Saty. I. · Cap. 37. · Supercilium. · *Brocci. · Bucca. · Conniuere. · Mala. · Maxilla.

Malam quoque genam dici Plinius idem fatetur. Ideóque dens ille intimus & ipsi genæ affixus, genuinus dicitur: qui quia maxime latet, ea re factũ est iam tritũ vetustate prouerbiũ, Genuino rodere dente: id est, latenter per inuidiã carpere famã alterius, & hoc (vt ille testatur) à posterioribus. Nã veteres tantũ membranam illam oculi, genam appellabãt. quam vetustatẽ à posterioribus quibusdã seruatã reperimus, nec poetis modo, vt draconis genæ pro oculis, continens pro contento, & Seneca in tragœdia de OEdipo loquens, inquit, Et per irati sibi genas parentis. Etiam continens pro contento. Verum oratoribus quoque, vt Quintilianus de cæco loquens, Illa perpetua nocte clausæ genæ nõ custodierunt.

Genuinus dens.

Genuino rodere.

EPITOME.

Pastio, licet propriè significat actum pascendi: tamen frequẽtius accipitur pro alimento pecudũ, pastus pro alimento hominũ. Pabulum, pro alimento pecudum & etiã brutorum potissimũ herbaceo, & quod pascendo absumitur. Esca est omniũ edentium. vnde inescare, per escam capere, more aucupũ. Pasci, proprie bestiarum est. Vesci magis hominũ: sed vesci nunc fere ablatiuum regit: nec idẽ proprie sunt pascor & pasco. Cõtra hoc dicit lima Mancinelli talis, Pasco neutrũ, & pascor deponens, idem significare ipse ostendam, & vtrunque regere accusatiuũ. Ouidius lib. 1. Fast. Pauit ouis pratum. id est comedit. Virgilius lib. 2. AEneidos, Et miseros morsu depascitur artus. id est comest, vorat. Legimus item pascor & pasco sine accusatiuo, in eadem significatione, testis Maro lib. 3. Georg. Pascitur in magna sylua formosa iuuenca. Cætera pascuntur virides armenta per herbas. Saltibus in vacuis pascant, & plena secundũ Flumina. Patet igitur idẽ esse pasco & pascor: & vtrunque regere accusatiuũ, vtrunque etiam sine accusatiuo legi. Quandoque tamen diuersa sunt. nam vt dicimus, Herba pascit illum, Cadauer pascit aues, Tuo corpore pascis volucres, Ego pasco vitulos, &c. ita nõ dicimus, Herba pascitur illum, Cadauer pascitur aues, Tuo corpore pasceris volucres, &c. Lucanus lib. 4, -en nobile corpus Pascit aues. Virgilius libro 3. AEneidos, Et vulsis pascunt radicibus herbæ. Naso in Ibin, Aereas volucres corpore pasce tuo. Virgilius in Bucol. Pierides vitulam lectori pascite vestro. Præterea pascor, nõ solũ regit accusatiuũ, sed ablatiuũ quoq;. Virgilius lib. 4. Georg. Pascuntur verò syluas. Et idem in Bucol. Frondibus hirsutis & carice pastus acuta. Item, Dúmque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ. Et lib. 3. Georg. Frondibus & victu pascuntur simplicis herbæ. Vescor tum ablatiuo tum accusatino iunctum legimus. Tibullus lib. 2, Vera cano, sic vsque sacras innoxia laurus Vescar, & æternũ sit mihi virginitas. Manilius libro 5, Tectíque auro, iam vescimur aurum. Virgilius, Visceribus miserorum, & sanguine vescitur atro. Vescor præterea, nõ solum ad cibos refertur, sed ad alia quoq;, sicut vtor. Hinc Tibullus ait, Laurus vescar. Et poeta, Si vescitur aura. Horatius item libro 2. carminum, Quicunque terræ munere vescimur. Addimus vlterius, Vesci, brutorum etiam, nõ solum hominũ esse. Plinius enim lib. 9. cap. 15. sic ait, Nũc principatus scaro datur, qui solus piscium dicitur ruminare, herbísque vesci, non aliis piscibus. Hæc ille. De quibus hæc sentio: Pasco verbum est actiuum, accusatiuum regens, ídque quatuor modis. Primo significat ad pastum seu pastionẽ custodio & dirigo. quod qui faciũt pastores dicũtur. Sic Maro in Bucol. Tityre dũ redeo, breuis est via, pasce capellas. Item, Et formosus oues ad flumina pauit Adonis. Sic metaphorice in euangelio, Pasce oues meas. Secundo significat nutrire per assumptionẽ sui. Lucanus, -en nobile

corpus Pascit aues. Tertio absumere ad nutritionē aut pastionem sui. vt Ouidius Fast. 1, Pascit ouis pratū. Quarto nutrire aliquid aliquo, idq; in accusatiuo & ablatiuo. Ouidius in Ibin, Aerias volucres corpore pasce tuo. Virgilius Georg. 3, Pasce sero pingui. subaudi, canes. Interdum ablatiuus non exprimitur. vt in Bucolicis, Pierides vitulam lectori pascite vestro. & Iam pascite taurum. Pascor etiam quod Mācinello passiue & deponētaliter accipitur, mihi significat figurate. Primo custodiri ad pastum aut pasci & nutriri, idque absolute. vt Georg. 3, Pascitur in magna sylua formosa iuuenca. Item Cætera pascuntur virides armenta per herbas. Sic & pasco absolute legitur. vt Saltibus in vacuis pascunt, & plena secundum Flumina. Aut cū ablatiuo. vt in Bucol. Frōdibus hirsutis & carice pastus acuta. Item, Dúmque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ. Et Georgicorum quarto, Et victu pascuntur simplicis herbæ. Posset addi ablatiuus agens: vt Boues pascuntur à bubulco. Ille autem modus quo res, quæ absumitur, pascit & nutrit, non transit in passiuum. Licet enim bene dico, Pompeii corpus pascit aues: tamē nō dicam, Corpus pascitur ab auibus: sicut non dico, Herbæ nutriūtur ab ouibus, licet herbæ nutriant oues. Secundo, Pascor, quia cum accusatiuo patiente cōstruitur, deponens videtur. vt Georgicorū 4, Pascuntur verò syluas. AEneid. 2, Miseros depascitur artus. In quibus tamen locutio nō absimilis synecdochæ. Nā per synecdochen dictum est, -sepes Hyblæis apibus florem depasta salicti. id est habens florem depastum. vt, Expleri mentē nequit, &c. Dixi Vesci magis esse hominum, propter vnum exemplum Plinii, quod non puto improprium: quia cum vesci sit vescum & vegetem seu vegetum vescēdo fieri, nō video cur non possit cæteris quoque animantibus cōuenire. Addidi Nūc fere ablatiuum: quia apud priscos similia verba etiam accusatiuo cōstructa sunt: vt sunt hæc, Potior, fungor, fruor, vtor, abutor. Et Vescor ad cibum pertinet, licet per metaphoram interdum: vt vescimur, id est deuoramus aurum: quod & cibo & potui admisceri solet, & potabile fieri. Potest & laurus in cibum verti. Et Horatius dixit, Quicunque terræ munere vescimur. id est frugibus è terra natis. Sed & aura, quasi potu quodam ad refrigerium vescimur.

Pastio, Pastus, Pabulū, Esca, Pasco, Pascor, & Vescor. CAP. LIII

PAstio videtur significare cibum, sed tamē potius ad alimēta pecudum pertinet, quæ pasci dicimus: quanquam suapte natura significat ipsam actionem pascendi, nūc frequentius cibum. Pastus homini competit. Varronis liber de re rustica titulum habet de villaticis pastionibus, videlicet quæ ad bruta pertinent. Cicero Tusculanarum libro quinto, Cum oblectatione solertiæ, qui est vnus suauissimus pastus animorum. Pabulum est pecudum quidem, & tamen aliorū quoque brutorum: quantúmque ego sentio, magis cibus herbaceus, fœniceúsque, ac paleaceus, & stramentitius, similiúmque, quàm ex seminibus. A pasco enim & hoc descendit, sicut pastio. Escam antiqui accipiebāt etiam quod dabatur auibus piscibúsve ad decipiendū, nō solum pro cibariis humanis, aliorúmque animalium. Quo modo autē pasco neutrū, & pascor deponens, idē significēt, Priscianus viderit, qui hoc sibi persuasit. Est enim pascor, comedo & voro, sempérque regit accusatiuū, illud verò sine accusatiuo. vt, Pascentes seruabit Tityrus hœdos. Proprie pascere bestiarū est, sicut vesci

hominum: nisi quòd hoc regit ablatiuum,& aliquando potum quoque complectitur,vt Anacharsis apud Ciceronem,Carne,caseo, lacte vescor. Pro quo significato non recte dicam,Carnem, caseum,lac pascor.Aliud ergo est pascor,aliud vescor.

EPITOME.

Incola,in alieno habitat loco publico.Inquilinus,in alieno priuato,conductitio videlicet. Vnde qui in patria sua conducit,inquilinus est: qui alibi,incola,si in loco. nam si ad locum,accola diceretur,etiam si proprius sit.

Incola,Inquilinus,& Accola. CAP. LIIII.

INcola, qui in alterius regione habitat, & in aliena ciuitate atque republica. Inquilinus,qui in alieno priuato, propriè tamen in cōducto,siue in vrbe,siue ruri.Cicero de Officiis, Peregrini & incolæ officium est,nihil præter suū negotiū agere, nec esse in aliena republica curiosum. Idem in Philippicis,Quæ in villa ista antè discebantur, quæ literis mandabantur, iura populi Romani,monumenta maiorum,omnis sapiētiæ ratio,omnísque doctrina. At verò te inquilino,non domino,personabāt omnia vocibus ebriorū.Hoc est,in quo incola differt ab inquilino.Rursus Incola ita differt ab Accola, quòd incola qui in loco, accola qui ad locū habitat: ideóque quicūque iuxta aquas sunt, accolæ dicuntur,nec refert in suo an in alieno:vt accola Vulturni,accola Padi,accola Rhodani. At qui in montibus domos vrbésque positas habent,incolæ dicūtur:qui iuxta montes,accolæ. Nec immerito legendū est illud in Psalmo 104,Et Iacob incola fuit in terra Cham.non autem accola,quia vox Græca etiam cōsentit παρῴκησεν.licet multis aliis in locis apud Hieronymū quoque hoc vocabulum reperitur sic positum.

Incola. Accola.

EPITOME.

Campus,est locus planus capiens ampliter,vt in vrbe,plateæ & areæ grandes. nā angustiores dicuntur areæ.Ager,est in circuitu vrbis territorium. & id duntaxat in singulari.In vtroque autem numero dicitur qui à nobis in rure colitur.Aruum autem dicitur,quod frumento seritur . loquendo verò singulariter, omnia complector quæ in territorio sunt.

Campus,Area,& Ager. CAP. LV.

CAmpus est planities terræ ampla & grādis,ideóque spatiosæ plateæ areǽve,campi nomen acceperunt. Vnde Romæ campus Martius. Nam locus huiusmodi angustior vocatur area.Ager verò,tum circūiectum ipsi vrbi territoriū,vt ager Campanus,ager Leontinus,ager Faliscus:tum locus in rure quē colimus, siue arando, siue conserendo. Nam is qui seritur frumentis, aruum nominatur . Verum in hoc secundo significato habet pluralem numerum: vt, Omnes agros ciuiū depopulatus est. in priore non habet,dūtaxat dum loquimur de singularum

Aruum.

vrbium territoriis. non enim dices recte sic, Antonius dedit militibus suis agros Campanos & Leontinos. nam hoc pacto non complector nemora, saltus, pascua, desertos montes. sed sic potius, Dedit militibus suis agros Campanum & Leōtinum, id est agrum Campanum & Leōtinum. quo quidem modo complector omnia, quæ in territorio illo sunt. Ager etiā flumina, lacus, cæteráque omnia includit.

EPITOME.

Sylua, est generale nomen: lucus, speciale. Est enim lucus, sylua incædua, manu cōsita religionis gratia, & numini dicata. Saltus, est sylua, inuia pecudibus & feris, ad æstuationem ac hyemationem apta: sic quòd per eam saliant dicta. Nemus, voluptatis causa comparatum, amœnitatis plenum, éstque nomen Græcum.

Sylua, Lucus, Saltus, & Nemus. CAP. LVI.

SYlua, & Lucus, Saltúsque, sic differunt, quòd sylua generalius nomen est: præterea solet esse cædua. Lucus nequaquam cæduus est, quin potius manu consitus religiosúsque, atque vel alicui deo, vel alicuius hominis cineribus consecratus. Ideóque aut circa delubra numinum, aut circa sepulchra virorū positus est. Saltus verò, sylua inuia, nec transeuntibus peruia. in quo pasci atque æstiuare pecudes solent: aut si locus aérque patiatur, hyemare. Nemora autem, voluptatis causa cōparata sunt, & plena amœnitatis.

EPITOME.

Femora à ferendo, vt Phocas vult, dicta sunt partes supremæ crurum exteriores & anteriores: Femina partes illic interiores & molliores, sed posteriores. Quæ sūt interiores, quia intra crura sub membris pudendis, & ita molliores: vnde Apuleius membrum muliebre, eo quòd inter femina ponitur, interfemineum vocat. Sunt itaque femina partibus sessilibus, id est super quas sedemus contigua, & pro illis ponuntur. Vnde Plinius libro 28, Femina, inquit, atteri aduríque equitatu notum est. Et quia sunt posteriores partes, ideo Plinius ea accipit pro partibus in posterioribus cruribus, in apibus dicens libro vndecimo, Prioribus pedibus femina onerant, propter id natura scabra. Significant etiam femina inferiores crurum partes, à flexu dictæ paulum supra pedes. Plautus in Asinaria, Asinos prædicas vetulos, claudos, quibus obtritæ ad femina erant vngulæ. Columella libro septimo, Femina secari & interdum inuri solent. ideóque illud Liuii, Succisis feminibus, poplitibúsque inuenerunt, nō tam de superioribus quàm de inferioribus partibus intelligam. quia interiores illæ partes non facile succidātur, nisi iam mortuis: & prius dixit feminibus, quàm poplitibus, quasi de subter illos positis. Sane de superioribus partibus dicūtur feminalia & femoralia, subligacula, & partium illarū ac pudendarum tegmina, quæ etiam à Valla hîc braccæ vocantur, vt à vulgo: quum tamen aliud sint braccæ, vnde braccata Gallia. Sane femur quia priorem corripit, nō scribetur diphthongo: & qui femina, licet primam producant, à flectendo deducant, sine diphthongo etiam scribunt: alii à fouendo vt nomen fœmina fœminæ deducētes œ scribūt. Coxa secūdū Vallā est supra femur vsque ad vertebrum in quo crura vertuntur, & flexu quodam quiescente superiore corpore agitantur. Celsus libro quarto dicit, Coxis proxima esse genua. Vnde videtur complecti totam partem inter genua & vertebrum, sed præcipue os ipsum.

Femora, Femina, & Coxa. CAP. LVII.

FEmora partem illam exteriorem significant, Femina partem interiorem, molliorémque, quæ se contingunt. vel Femora partem anteriorem, Femina posteriorem. Liuius libro vicesimosecundo, Quosdam & iacentes viuos succisis feminibus, poplitibúsque inuenerunt. A quo conficitur nomē femoralia, siue feminalia (vtroque enim modo scriptum reperio) pro braccis. Tamen nominatiuus femen non reperitur. Coxa, pars supra femora, vertebrúmque ipsum, quoties vitiatum est, aut os illud quod in vertebro voluitur, fractum, coxa vitiata, fractáve dicitur.

EPITOME.

Crimen, est delictum aut ipsa criminatio. Flagitium propriè crimen in libidine, flagris dignum. sed pro aliis etiam leuioribus accipitur.

Crimen & Flagitium. CAP. LVIII.

CRimen, non modo pro delicto, sed pro ipsa etiam criminatione. Cicero in Philippicis, Hæreditatem mihi negasti obuenisse, vtinam hoc tuum verum crimen esset. Flagitium propriè in libidine, quasi flagris dignū crimen, sed pro cæteris quoque peccatis accipitur, nec tantum turpibus, verum his etiam quæ per negligentiam, imprudentiā, obliuionémque cōmittuntur: vt idem in Bruto, Tantámne fuisse obliuionem, inquit, in scripto præsertim, vt ne legens quidem senserit quātum flagitii admisisset? id est erroris.

EPITOME.

Vectigal, est prouentus ac reditus tā ex priuato quàm ex publico: ídque ex omnī prædio. Fœnus autem, ex solo ipso. nam naturalis fructus terræ propriè est. Sed ad vsuram & lucrum sine labore acquisitum transfertur. Vnde fœnum, quasi fœnus terræ, nascitur enim sponte.

Vectigal & Fœnus. CAP. LIX.

VEctigal, non solum ex publico, verūetiam ex priuato capitur. vt in Paradoxis Cicero, Ex meo tenui vectigali capio ego ducenta. Et iterum, Non intelligūt homines quātum vectigal parsimonia est. Paulus, Cæsæ arundinis, vel pali cōpendium, si in eodem fundo vectigal esse consueuit, ad fructuarium pertinet. Ex omni tamen prædio vectigal est. Fœnus verò ex solo ipso. Nam dicitur naturalis fructus terræ, fœnus. Postea autem, ad vsuram translatum, quasi pecunia per se fructum producat, sicut terra.

EPITOME.

Luctus, est dolor qui extrinsecus proditur, aut habitus lugubris.

Luctus. CAP. LX.

LVctus, est dolor, qui exterius proditur vultu ipso, atque aspectu. Sæpe ipse habitus vultus, atque vestis, luctus est. vnde de secūdo bello Punico post cladem illam Cannensem censuerunt patres conscripti, ne fœminæ vltra triginta dies in luctu essent. nō videlicet, ne in dolore (non enim imperare dolori possumus) sed ne in illo lugubri habitu. Et matronæ Iuniū Brutum anno luxere, tanto tempore item Publium Valerium.

EPITOME.

Otium, vacatio est à labore præsertim publico: aut studium literarum, quod vacationem desyderat.

Otium. CAP. LXI.

OTium vacatio à labore, quod notum est. Cuius cōtrarium est negotium. Sed quia hi qui studiis operam dant, necesse est vt non negotiosi sint, factum est vt otium pro literario studio accipiatur. vt Quintilianus, Inquirendo, scribendóque talia, solemur otium nostrum. Non desyderat otium solatium, sed labor: ergo pro labore studii otiū accepit. Cicero, Quid dulcius otio literato? id est studio, & (vt ita loquar) negotioso otio. 5. Tusc.
Tale quid habet apud Græcos σχολή. Schola.

EPITOME.

Amor, est dilectio vehemens in quocunque. Charitas, tantum in homine. Est etiam caritas annonæ, præsertim dum est penuria, quam inepti caristiam vocant. Penuria tamen, omnium rerum carentia & difficultas acquirendi est. Caritas autem, rerū quæ care, id est non vili, emuntur. Sunt qui in priore significato per ch scribant, à Charitibus, id est gratiis. sed Charites primam corripit. charitas autem, seu caritas eandem producit, vnde plus vsus quàm ratio induxit per ch scribere.

Amor & Charitas, Caritas & Penuria. CAP. LXII.

AMor genus est, charitas species. Illud ad omnia pertinens, hoc autem ad homines demum, & quidem pro dignitate ac qualitate personarum. Maxima quidem charitas debetur parentibus, proxima filiis, & deinceps reliquis. Caritatem etiam pro penuria accipimus. Sed frumenti quidem & annonæ caritatem dicimus. Penuriam verò vini, aquæ, pabuli, pecorum, pecuniæ, virorum, cæterarúmque huiusmodi rerum. Vel penuria est (vt sic dicam) carentia omnium rerum. Caritas verò, quæ contraria est vilitati. Ideóque Plinius Iunior ait, accessisse agris suburbanis caritatem. & Quintilianus quum ait, Itaque caritas annonæ, rarum frumētum, cædes ac direptio pecorum. idē est, ac si dixisset, caritas annonæ, penuria frumenti. In pastu cadauerum.

EPITOME.

Seditio,à seorsum sedendo aut eundo dicta est,quum populo secum discordáte res ad manum vocatur.Factio est diuisio ciuium in diuersa studia,vt litera latius declarat,dum scilicet pro se quisque facit.

Seditio & Factio. CAP. LXIII.

SEditio vel à seorsum sedẽdo,vel (vt Ciceroni placet) à seorsum eundo dicta,tunc est,quum populo secum discordante,res ad manum vocatur . Qualem ciuitatis statum Virgilius describit,sic dicens,

Ac veluti magno in populo,quum sæpe coorta est
Seditio,sæuítque animis ignobile vulgus:
Iámque faces & saxa volant,furor arma ministrat.

Similiter dicitur seditio in exercitu,in classe, in schola, & siquid est tale. Factio est diuisio ciuiũ in diuersa studia,quum aliqui se principes & primarios in ciuitate efficere conãtur, inter quos æmulatio est, qui & factiosi dicuntur pro se quisque quammaximam potest ciuium multitudinem (qui clientes vocantur) ad se trahens, sibíque quouis pacto per fas, nefásque cõcilians:quæ pestis intestina cunctas ciuitates duntaxat Italiæ infecit.

EPITOME.

Bellum proprie significat totum tempus quo arma hostiliter exercentur cum iustis hostibus:vnde Liuius refert populum Romanum nullo bello,sed prælijs seu cõflictibus multis victum. Rarius accipitur pro prælio . Sallustius, In eo bello trecenti milites desyderati sunt. Non enim loquitur de toto belli tempore,sed de cõflictu. Prælium, est conflictus ipse armorum. Vnde Virgilius, Fugiẽs media inter prælia belli. Pugna videtur dici à pugnis, sed geritur interdum pugnis, interdum armis, interdũ verbis aut animis.Vnde Virgilius, Placidóne etiã pugnabis amori? In quẽ nemo armis pugnat. Certamen autẽ omnis cõflictus & certatio est quocunque fiat. Festus quem sequitur Dathus,bellũ à belluis deductum putat:quia,vt dicit Ouidius, Cãdida pax homines,trux decet ira feras.Priscianus à bono per antiphrasim,quòd sit minime bonũ.Vnde Maro,Nulla salus bello,pacẽ te poscimus omnes.Alij citra antiphrasim,quia bello bona repetũtur,& ad mores cõducit.Vnde Iuuenal.Nũc patimur lõge pacis mala,sæuior armis Luxuria incubuit,victúmque vlciscitur orbẽ. Alij à bono per diminutionem, à quo sic certe dicitur bellus,a,um,vt sit in neutro substantiuatum,sic dictũ quòd sit bellum:id est,aspectu pulchrum videre acies bene instructas.Non tamen bellas faciũt bella terras,quia squalent abductis arua colonis.

Bellum,Prælium,Pugna,& Certamen. CAP. LXIIII.

BEllum est tum ipsa pugna, tum totum tempus quo in militia sumus,quam illiterati guerram vocãt. Prælium ipsum tantummodo armorum certamen. Nam & pugna certaménque etiam citra arma fit.Interdum etiam fit nudis verbis.

EPITOME.

Copia, est facultas atque potestas.Petitque verbũ facio,apud oratores:apud poetas etiam do, sine quo ferè abundantiam significat etiam in plurali, in quo tamen peculiariter pro militum multitudine accipitur,pro qua,licet rarius,etiã in singulari reperitur. Nunquam autem pro exemplo seu exemplari, apud doctos legitur.

Copia & Copiæ. CAP. LXV.

COpia, facultas, poteſtáſque eſt. vt, Faciam tibi copiam inſpiciendi libros meos: id eſt, dabo tibi facultatem, vel faciam tibi poteſtatem. Vt enim alio loco dixi, ſemper iunctum eſt cum verbo facio, duntaxat apud oratores. Nam poetæ cum aliis verbis, & præcipue cum do. vt Virgilius,

Affari extremum miſeræ data copia matri. Et iterum,
Poſtquam introgreſſi, & coram data copia fandi.

Sine his autem duobus verbis copia plerunque pro abundantia accipitur. Vnde dicta eſt copia orationis, & copia pecuniarum, & copia frumenti. In plurali quoque pro eodem ſignificato. vt, Noui copias tuas, Omnium rerum copias habeo. Peculiariter tamen appellamus militum multitudinem: vt, Copiæ Pompeii, copiæ Cæſaris, copiæ aduerſariorum: pro quo imperiti dicunt, Gentes aduerſariorum, gentes noſtræ. Et in hoc etiam ſignificato nonnunquam in ſingulari: vt Pompeius ad Domitium, Neq; ſolus cum iſta copia tantam multitudinem ſuſtinere poteris. Idem ad eundem, Etiam atque etiam hortor, vt cum omni copia quamprimum ad me venias. Salluſtius, Poſtremò ex omni copia Catilinæ, neque in prælio, neque in fuga quiſquam ciuis ingenuus captus eſt. Virgilius in ſecundo AEneidos, Gentes.

Et quæ ſit me circum copia luſtro.

EPITOME.

Elogium, eſt teſtificatio de aliquo, ſiue honoris, ſiue vituperationis gratia. Interdum teſtificatio etiam ſimplicis ſententiæ.

Elogium. CAP. LXVI.

ELogium, eſt teſtificatio de aliquo, ſiue honoris, ſiue vituperationis cauſa. Vituperationis, vt Quintilianus, Non eſt, Iudices, quod putetis ideo nullum adiectum ad exhæredationem iuuenis elogium, quia de ſcelere conſtaret. Et alibi, Si exhæredatum à ſe filium pater teſtatus fuerit elogio, propterea quòd is meretricem amaret. Multa ſunt huiuſmodi exempla apud iuriſconſultos, ſed vnum ſuffecerit Modeſtini, vbi huius nominis (niſi ab altero adiecta ſit) interpretatio reperitur. Cuius hæc verba ſunt, Deſertorem auditum ad ſuum ducem cum elogio, id eſt cum vituperatione mittat. Honoris cauſa, vt Marcus Tullius, In quod elogium plurimæ conſentiunt gentes, virum eſſe ciuitatis primarium, &c. Et iterum, Quid elogia ſepulchrorũ? Quæ qualia ſint, Suetonius in Claudii vita oſtẽdit, dicens, Nec contentus elogium tumulo eius verſibus à ſe compoſitis inſculpſiſſe, etiam vitæ memoriam proſa oratione compoſuit. Seneca in declama-

In Cæco in limine.

Li.2. de Finib.

1. Inſt.

tionibus, Decessit negotiator, testamēto omnium bonorum reliquit formosam vxorem hæredem, & adiecit elogium, Quia pudicam comperi. Pro simplici autem sententiæ suæ testificatione Cicero, Solonis quidem sapientis elogium est, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum & lachrymis vacare.

EPITOME.

Condictio, est denuntiatio vel actio in personam, quam actor intendit sibi dari oportere. Conditio verò, fortunæ qualitas est ac sors, item optio atque electio: quo modo cum verbo offero aut fero, vel pono fermè ponitur. & ab eo cui placet conditio, ferè respondetur, Accipio conditionem. Item Offero electionem, & Do optionem plurium rerum, dicimus. Offerimus autem conditionem vnius rei.

Condictio & Conditio. CAP. LXVII.

Condictio à condico nascitur. Conditio à cōdo. Illud rarius est, quod ita Iustinianus (si credimus hominem Græcū Romanis iura potuisse præscribere) diffinit, Condicere, est denuntiare prisca lingua. Nunc verò abusiuè dicimus condictionem, actionem in personam, quam actor intendit sibi dari oportere. Nulla enim hoc tempore eo nomine denuntiatio fit. Ergo condictio erit, vel hæc actio, vel illa denuntiatio. Conditio verò multi his temporibus male (vt pleraque) vsurpant, accipiētes pro mentis qualitate. veluti, Hic est homo mansuetæ & bonæ cōditionis: quod antiqui dicebāt, boni & mansueti ingenii. Nos quoque mansueti animi, & mansuetæ mentis. NOS quum dico, de illis dico qui Latinè loquūtur. Nam homo bonæ conditionis, Latinè dicitur, si ad fortunas referatur, non si ad mores. vt, Ille est vir magnæ, paruæ, mediocris conditionis. id est diues pauperve, aut inter hos medius. Ego sum positus in hac conditione. id est fortuna ac sorte. Cicero, O miseram conditionem administrandi consulatus. Huic significato illud penè par est, quum inter plura eligendæ sortis est oblata electio, vt apud Marcū Fabium, Oblata est à iuuenibus tyranno conditio, vt dimitteret alterum ad visendam matrem, ad diem præstitutum reuersurum, ita vt nisi accurrisset ad diem, de eo qui restiterat, pœna sumeretur. Dicimus igitur, Offero cōditionem, vel fero, vel pono conditionem. Nunquam ferè per aliud verbum. Quæ conditio dum placuit, etiam ferè semper dicimus, Accipio conditionem. vt apud Terentium, amatores Chrysidis tulerunt mulieri conditionem, si vellet eis morem gerere, se daturos illi pretium, liberalémque mercedem. Ipsa verò accepit conditionem, hoc est pactioni, promissioníque assensit. Ab illo significato non longè absunt, Offero electionem, do optionem. Hæc tamen solent esse inter plura, illud verò in vno frequentius. vt Offero electionem vtrum velis eli-

Offero, fero, vel pono cōditionem, & accipio.

Offero electionem.

gendi,& do optionem quod velis potiſſimum optandi.deinde tu aut eligere te dicis,aut optare . Offero conditionem Chryſidi,vnam ſcilicet. Do optionē.

EPITOME.

Epitome patet. Mancinellus autem dicit ſic, Frondes,non arborum tantum eſſe legimus.Plini⁹ enim lib.19.cap.6.de Gethyo Aſcaloniarū genere ſic ait,Gethyū penè ſine capite eſt, ceruicis tantum longæ,& ideo totum in fronde.Item cap.quinto eiuſdem lib.19.vbi de raphani generibus tractat, ita ſcribit, Etiamnum vnū ſylueſtre, Græci agrion vocant, Pontici armon,alii leucen,noſtri armoraciam,fronde copioſius quàm corpore. Mancinellus.

Frondes & Folia. CAP. LXVIII.

FRondes arborum ſunt tantum . Folia autem & arborum & herbarum,& florum quoque.

Excubiæ & Vigiliæ. CAP. LXIX.

EXcubiæ diurnæ & nocturnæ . Vigiliæ tantummodo nocturnæ.

EPITOME.

Suffragia,ſunt voces quæ dicebantur ad comitia, vel ſcribebantur in tabella,quibus ſuam quiſque declararet voluntatem de aliquo eligendo in magiſtratū. Tranſſumuntur autem pro auxiliis & fauore:ſicut ſuffragor,pro auxilium fero.& cōtrà, refragor,pro repugno, potiſſimum dictis,ſed & factis.

Suffragia. CAP. LXX.

SVffragia ſunt(vt ſic dicam)voces,quæ dicebantur ad comitia,in tabellàve ſcribebantur, quibus ſuam quiſque declararet voluntatem de aliquo eligendo in magiſtratum : qualis eſt hoc tempore electio ſummi pontificis, & eius quē Cæſarem Auguſtum Chriſtiani non erubeſcunt appellare,à damnatis nominibus tyrannorum,qui nō modo oppreſſere Rempub. vt nemo iam poſſit vocari rex Romanorum , ſed ſub eorum gladio REX verus cæli & terræ occiſus eſt. Et poſtea iſti inſani,& noſtræ religionis immemores,vocant diuum Auguſtum,diuum Claudium,diuum Traianū,quaſi vulgus atque homines poſſint principes referre in deos. Sed hæc omittamus,hoc tantum dicentes, Romanos non agnoſcere regem aliquem. Et quum cæteræ gentes in libertatem ſe aſſeruerint , hoc multo magis nobis licere. Suffragia igitur(vt dicebam)ſunt voces in electionibus.quod ſuffragiū quia cui præſtamus,nimirū eidem gratum facimus: hinc factum eſt,vt ſuffragium pro auxilio ſæpe ponamus,& ſuffragor pro auxilium fero.Refragor,repugno,propriè quidem in dictis, ſed nonnunquam & in factis.

Diuos nō eſſe vocandos imperatores.

Suffragor. Refragor.

EPITOME.

Catuli,ſunt beſtiarum tam mitium quàm immitium. Pulli,pecudū. Fœtus,auium & piſcium.ſed generaliter dicitur fœtus omnium parientium fœtura. Hinnulus autem,ceruorum eſt & capreolorum,caprearum,damarum ac leporum.Catuli, etiam ſerpentum ſunt,ſed propriè canum . per diminutionem autem,catelli dicuntur.

Catulus, Pullus, Hinnulus, & Fœtus. CAP. LXXI.

Catuli ſunt ferarum ſiue immitium, ſiue mitium. Nam & catulos murium legimus. Pulli verò pecudũ. Fœtus auium & piſcium, quanquam & hoc generalius nomen eſt. Vnde fœtificare pro parere, & fœtura pro partu, ad omnia animalia muta pertinet. Ceruorum hinnulos dicimus, capreolorum quoque, caprearum, damarum, leporum, ſimiliúmque. Catulos quoque ſerpentum. vt Virgilius de colubro,

Fœtificare.
Fœtura.

Catulos tectis, atque oua relinquens. Immániúmque piſcium, qui non edunt oua. Propriè tamen catuli ſunt filioli canum. Virgilius, Sic canibus catulos ſimiles. Cicero de diuinatione, Erat autem mortuus catellus eo nomine.

EPITOME.

Lues, genus eſt peſtis. nam lues dicitur, quandocunque febris aliqua aut morbus alius, pecudes aut homines corripit. Peſtis & peſtilentia cito occidit aut cito abit. ſed interdum pro lue accipitur, transfertúrque ad animi vitium.

Lues & Peſtis. CAP. LXXII.

Lves & peſtis hoc differunt, quo genus & ſpecies. Nam quũ in vrbe, aut in agro febris, aliúdve genus morbi ſæuit, ſiue ſolos homines, ſiue ſola pecora, ſiue vtroſque corripiẽs, lues dicitur: interdum etiam ſi arbores ac ſata. Peſtis verò aut cito occidit, aut cito abit ab eo quem inuaſit: quæ eadem dicitur peſtilentia. Nonnunquam tamen pro lue ponitur, atque ad animi vitium ſæpe transfertur.

EPITOME.

Corpus, magis viuentium dicitur, quàm caro. & viuens magis corpulentus, quàm carnoſus. Quinetiam alii carnem à cadendo, alii quòd vita careat dictam volunt. nec recipitur differentia vulgaris inter carnem & carnes.

Corpus & Caro. CAP. LXXIII.

Corpus potius quàm carnem noſtrum viuentium dicimus, & hominem corpulentum potius quàm (vt aliqui loquuntur) carnoſum. Quintilianus in ſexto, Corpulento litigatori, cuius aduerſarius item puer, circa iudices erat ab aduocato latus, Quid faciam? Ego te baiulare non poſſum. Item in primo, Oſſa detegunt, quæ vt eſſe & aſtringi neruis ſuis debent, ſic corpore operiẽda ſunt. Idem in quinto, Neruíſque illis, quibus cauſa continetur, adiiciunt inducti ſuper corporis ſpeciem. Et alibi, Hæret aſtricta nudatis oſſibus cutis, & in fame ſua homine conſũmpto iam membra ſine corpore. Cicero ad Gallum, Ego hîc cogito commorari, quoad me reficiam. Nam & vires & corpus amiſi. Sed ſi morbum depulero, facile (vt ſpero) illa reuocabo. Quod etiam ſignificauit Martialis, quum ait,

Corpulentus.
Carnoſus.
Cap. 2.
In procemio
In ægro red.
Lib. 1.

Viuebant laceri membris ſtillantibus artus,
Inque omni nuſquam corpore corpus erat. Videlicet quòd in corpore illius non erat caro.

EPITOME.

Lamina, denſior eſt maſſa, vt ex ferro, ex plumbo, ſtanno, aut ſimili. Bractea, tenuis & plicabilis, vt aurea, aut argentea, crepitans præ tenuitate. nam craſſior etiam ex auro, lamina dicetur. Cæterum Mancinellus dicit ſic, Prima ſignificatio verior habetur. Aulus Gellius enim libro primo capite tertio ita ſcribit, Sicuti magnum pondus æris, parua lamina auri fit pretioſius. Cæterum lignea quoque lamina dici poteſt. Plinius enim ait, Dolia quaſſa ſarcire, ipſorúmque laminas ſcabendo purgare aut nouas facere. Bractea præterea, ex alia quoq; materia, quàm ex prædictis, dici poterit. Plinius nanque lib.17.cap.8, Vbi terrarum, & cretæ genera explicat, inquit, Columbinam Gallia ſuo nomine eglecopalam appellat: glebis excitatur lapidum modo: ſole & gelatione ita ſoluitur, vt tenuiſſimas bracteas faciat. hæc ex æquo fertilis. Mancinellus.

Lamina & Bractea. CAP. LXXIIII.

LAminam tam ferream, æream, plumbeam, ſtãneam, quàm auream, argẽteam, electream, aurichalceam dicimus. Bractẽã potius ex his poſterioribus. Aut certè bractea tenuis eſt, & ſua ſponte plicabilis. Lamina verò craſſior, ex qua armatura conficitur, & qua incenſa, olim homines torquebantur. nec crepitat vt bractea præ tenuitate. Virgilius in ſexto,

Talis erat ſpecies auri frondentis opaca
Ilice, ſic leni crepitabat bractea vento.

Veruntamen ita tenuis nonnunquã bractea eſt, vt crepitare non poſſit: vt illa ex qua fit auratura & argentatura.

EPITOME.

Mumimenta, ſunt munitiones, à muniendo. Monumenta, admonitiones, à monendo, eo quòd alicuius rei præteritæ admoneant, vt ſepulchra defunctorum, præſertim quum titulos habent.

Munimenta & Monumenta. CAP. LXXV.

MVnimenta ſunt munitiones caſtrorum, cæterarúmq; rerum, quæ contra aduentum hoſtium muniunt, ſiue vallo & foſſa, ſiue alio quouis modo, quo ſint milites (vt dixi) ab hoſtium aduentu muniti. Monumenta, i mutata in u, ſepulchra, ſtatuæ, tituli, libri, cæteráque, quæ nos alicuius rei præteritæ moneant. Nam de futuro (vt quidam volunt) ideo ſepulchra appellari monumenta, quòd nos noſtræ ipſorum mortis admoneant, falſum eſt. in honorem enim mortui illa tantummodo fiunt, nõ in publicã præceptionem. víxque monumenta dixerim, niſi literæ aut alii tituli appareant: quæ ſi deſint, magis ſepulchrum quàm monumentum erit. Liuius lib.48, Vtrobique monumenta oſtenduntur & ſtatuæ. Nam & Literni monumentum, monumentóque ſtatua ſuperimpoſita fuit: quam tempe-

ſtate diſiectam nupervidimus ipſi.Et Romæ extra portam Capenam in Scipionum monumento tres ſtatuæ ſunt, quarum duæ P.& L.Scipionum dicuntur eſſe,tertia poetæ Quinti Ennii.

EPITOME.

Opera operæ, eſt operatio, labor, aut diurnum officium, ſeu interdum operans. Opus,eſt effectus,fructúſque operæ.Sed dum ad laborem corporis,aut animi & artem aut induſtriá reſpicimus: potius opus quàm operam dicimus,etiam pro operatione.Operæpretium,id eſt fructuoſum, quaſi quod pretium affert operæ.

Opera & Opus. CAP. LXXVI.

OPera eſt actio,vt Dabo operam.& in iure ciuili,de operis libertorum. Cicero de Officiis, Non male præcipiunt qui ſeruis vti iubent,vt mercenariis: iuſta præbenda,operam exigendam. id eſt laborem & operationem corporis.ſiue (vt ait Vlpianus) operæ ſunt diurnum officium. Opus eſt finis fructúſque operæ.Vnde opera authorum dicuntur,& opera publica,ipſa publica ædificia. Nonnunquam videtur opus pro opera accipi.vt Virgilius, Mollibus è ſtratis opera ad fabrilia ſurgit. quaſi ad operas. Sed(vt videre videor)quoties non ad laborem corporis, ſed ad laborem animi & artem, induſtriámque reſpicimus, magis opus quàm opera dicendum eſt: vt in opere ruſtico,in opere faciendo,in opere fabrili,in opere textorio. Hanc differentiam ita ponit Seruius, Hoc opus, & hæc opera tunc dicimus, quando negotium ipſum quod geritur ſignificamus. Si autem fœminino genere dixerimus operas, ipſas perſonas quæ aliquid faciunt: ſicut cuſtodia dicitur,quæ cuſtodit. vt, Cernis cuſtodia qualis. Nam vt hi qui cuſtodiuntur, cuſtodia dicantur,vſurpatum eſt.vnde male eſt in vſu,Cuſtodiæ audiuntur.Hæc Seruius. Sed non abſolute diffinit opus & operam. vtrunque autem horum nominum in eodem poſuit loco Terentius,

In II.AEneid. — Custodia. — Opus. — In Heautont.

Quod in opere faciendo operæ conſumis tuæ,
Si ſumas in illis exercendis,plus agas.

Operæ autem pretium ab opera eſt,vt verſus indicat Iuuenalis, (Satyra 6.)

Eſt operæpretium penitus cognoſcere, toto
Quid faciant agiténtque die.

id eſt fructuoſum eſt, & ad rem pertinens, ideo vel quia decens,vel quia vtile, vel glorioſum,vel quia iucundum. Ab hoc nomine Liuius exorſus eſt, dicens,Factúrúſne operæpretium ſim,ſi à primordio Vrbis res populi Romani perſcripſero: nec ſatis ſcio,nec ſi ſciam,dicere auſim.

EPITOME.

Solatium,eſt in re,ſicut & ſolari. Conſolatio,in verbis,ſicut & conſolari. Solamen pro ſolatio vſurpant poetæ,vt etiam Boetius.

Solatium, Consolatio, & Solamen. CAP. LXXVII.

SOlatium & cõsolatio idem sunt, nisi quòd illud re, hoc verbis fit. Quintilianus, Cæcitatis miseræ solatiũ est habere rem videntium. Idem, Itis obuiam cõsolationibus: &(quod omnem modum feritatis excedit)captatis in magna calamitate laudari. Nec mirum, quũ cõsolari sit oratione: Solari verò semper ferè aliter. Nolo afferre plura male vtẽtium exempla, quæ facile quilibet sibi inueniet. Cicero tamen de Amicitia ait, Ipse me consolor, & maxime illo solatio, quòd eo errore careo, quo in amicorum discessu plerique angi solent. Vtrunque recte dictum est. Quid enim nõ recte Cicero dicat? Nã quũ se tanquã alterũ, quasi colloquio à mœrore reuocet, debuit dicere consolatur. Quia verò oratione non vtitur, solatium dicere potuit. Solamen idem quod solatiũ est, sed magis poeticũ. Virgilius, Solaménq; mali de collo fistula pendet. Quo tamen Boetius, & quidam alii vtuntur. Consolari. Solari. Solamen. AEneidos 3.

EPITOME.

Affectus, nunquam apud Ciceronẽ: sed affectio reperitur sæpe. cõtrà, apud Quintilianum. Est autem affectio, animi & corporis ex tempore aliqua de causa mutatio; vel (vt authori placet) pars illa animæ qualitatis quæ è regione rationis est. quicquid enim in anima præter partem illam memoriæ non est, affectus est. & rursus quicquid non affectus, ratio. Ab affectu, venit affecto verbum, quo Cicero quoque vtitur: licet affectatio apud eũdem non legatur, sicut apud Quintilianũ & cæteros.

Affectus, Affectio, & Affectatio. CAP. LXXVIII.

AFfectum nusquam videor reperisse apud M. Tullium, frequentissime affectionẽ. Contrà apud Quintilianũ frequentissime affectũ, rarò affectionẽ: vt illo loco (si modo nõ est mendosus) vbi ait, Cupiditas causa sceleris fuit, quæuis eius ira quantum efficiat in animis hominum, talis affectio. Nescio an sit affectus. Et in alio loco, Illa verò frigida, & puerilis in scholis affectio. Affectionem Cicero modò sic diffinit, Affectio est animi aut corporis ex tempore aliqua de causa commutatio: vt Lætitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, & alia quæ in eodem genere reperiuntur. Modò sic, Affectio est quædam ex tempore, aut negotiorum euentu, aut administratione, aut hominum studio, commutatio rerum: vt non tales, quales antè habitæ sint, aut plerunque haberi soleant, habendæ videantur. In Tusculanis idem author. Et alibi, Voluntatem hominis affecti ad virtutem, atque ipsam virtutẽ, animi appellari affectionem ait, qualis non est affectus, qui Græce dicitur πάθος. quod ipse Cicero interpretatur, perturbationem mallens dicere quàm morbum, quo nomine sæpissime vtitur. At Quintilianus nõ perturbationẽ, sed affectũ nominat. neq; ipse, aut solus, aut primus, sed plerique Lib. 5. cap. 12. 1. de Inuent. 2. de Inuent. 2. Tusc.

ante eum, vt Seneca, Plinius, Rutilius, Columella, Valerius, Liuius, aliíque multi. Ita enim ille ait, Quod Græci πάθος vocant, nos vertentes rectè ac proprie affectum dicimus. Illa igitur (vt ego quidem sentio) affectio Græce πάθος dicitur, quam nostrates philosophi in Latinum vertentes appellant dispositionem. Aliquibus tamen videri posset diffinitio illa Ciceronis, hūc quoque significatum qui est πάθος complecti. Quibus quia ad rem non multum attinet, non sanè repugno. quum præsertim omnes ferè iuriscōsulti, omnésque ecclesiastici scriptores affectionem pro affectu accipiant. Est autem affectus, pars illa animæ qualitatis, quæ è regione rationis est. Quicquid enim in anima præter partem illam memoriæ ratio nō est, affectus est: & rursus, quicquid non est affectus, ratio. Ab hoc fit affecto, quo etiā Cicero ipse sæpe vtitur in libris ad Herennium, Non tam affectanda quàm superiores, sed tamen adhibēda nonnunquam. Apud eūdem nunquam (nisi me incuria fefellerit, aut memoria fallat) legi affectationem, frequenter apud Quintilianum & cæteros. vt ibi, Nihil odiosius affectatione, id est affectu, conatúque æmulandi alterius virtutem, quam assequi nequeas refragante natura: vel nimio affectu, nimióque conatu alterius virtutem æmulandi: ita vt turpe sit, ac deforme, sic auidè æmulari.

Lib.6.cap.3.

Affectus.

EPITOME.

Latebræ, propriè sunt hominū. Latibula, ferarum. sed interdum confunduntur.

Latebræ & Latibula. CAP. LXXIX.

LAtebræ hominū propriè dicuntur: Latibula, ferarum. Quintilianus, Et quanuis odio euersoris nostri euocatus è latebris suis populus subsellia non implet. Cicero, Videant, ne quæratur latebra periurio. id est excusatio periurii. Latibula nonnunquam hominum, Latebræ etiam ferarum. Liuius libro 47, Inter vepres in latebris ferarum noctem vnam delituit.

EPITOME.

Lux pro die, vt tenebræ pro nocte poni solet. Sed prima luce, non primā diem, sed principium diei significamus. sicut nec primis tenebris, primā noctem, sed principium noctis. Consuetius autem ante lucem, quàm ante diem dicas, nisi de certo die loquaris: vt, Ante diem decimum. Non tamen consuetius dicas, Ante tenebras, quàm ante noctem. Luci pro luce, & vesperi pro vespere, & ruri pro rure reperitur, secundum authorem nostrum. Dies pro diurno & certo tempore, masculini ferè est generis. pro tempore acceptum, semper fœminini: vnde diecula, parua tempestas. Dixi Secundum authorem nostrum: quia Seruius vult ad illud quarti AEneid. Aulide iuraui: aduerbia in loco in i, & de loco in e, à tertia declinatione finiri. vt, Fui ruri, & veni rure. Et consimile iudicium videtur de aduerbiis in tempore, vt dicatur vesperi & luci aduerbialiter. Dixi quoque, Ferè masculini esse: quia certum est poetam, etiam in fœminino vti. vt AEneidos quinto,

Postera quum primo stellas oriente fugarat Clara dies.

De Luce & Tenebris, Die ac Nocte. CAP. LXXX.

LVce & Tenebris, pro die ac nocte accipere solemus. Differt tamen Prima luce, à Prima die. Nam ibi intelligitur prima pars diei & quasi diluculum, hîc autē prima dies. Ita primis tenebris, & prima nocte. Ibi de prima parte noctis loquimur, hîc de nocte ipsa. Ideóque ante lucem melius dicimus, quàm ante diem, si diluculum significamus. Nam ante diem, pro ante tempus dici solet. præterquam si de certo die loquamur: vt Ante diem decimum, vel ante sextum Calendarum Nouembrium. id est, sexto die ante Calendas Nouembris. In quo loco præceptū Pauli inserere nō inutile fuerit, qui ait, Ante diem decimum Calendarum, & post diem decimum Calendarum, æquè vtroque sermone vndecima dies significatur. Verū non quemadmodum ante lucem melius, quàm ante diē pro diluculo dicimus, sic ante tenebras, quàm ante noctē pro crepusculo, sed ediuerso potius. Reperitur autem luci pro luce, vt vesperi pro vespere, & ruri pro rure. Cicero in Philippicis, Quis enim audeat luci, & in militari via? Diem pro diurno tempore, itémque pro certo tempore volunt esse masculini generis, notauerúntque Virgilium indifferenter accepisse. Ego tamen & apud hunc, & apud cæteros pro tempore ipso semper annotaui esse fœmininum. vt Ipsa dies facit hominem prudentem: & Multa dies magnam dat hominibus rerum experientiam. Vnde Pædianus vult fieri dieculam, pro paruo tempore. Et apud iurisconsultos bima, trima, quadrima die, pro tempore biennii, triennii, quadriennii: quod iurisperiti non intelligunt. In certo tempore Pædianus idem consentit debere esse generis masculini. Dicemus ergo hesterno die, & crastino: non hesterna die, & crastina. Ad diem non venit, ad diem non affuit: id est die præstituto.

Ante diem.

Diecula.

EPITOME.

Orator, causas veras agit, aut concionatur. Rhetor, docet. Declamator, se exercet, vt postea oret.

Orator, Rhetor, & Declamator. CAP. LXXXI.

ORator, qui causas orat vel in iudiciis, vel in concionibus, qui Græce dicitur ῥήτωρ, id est rhetor. Nos tamen rhetorē professorem rhetoricæ vocamus, non oratorem. Mirórq; cur in hoc tam facili prouulgatóque nomine exponēdo Victorinus errauerit. Declamator est, qui studens apud rhetorem, in conuentu scholasticorum fictam causam orat, id agēs, vt in veris postea causis possit orare. Ipse quoque rhetor, & quicunque alius etiam extra scholam hoc ipso genere vtitur, siue vt alios, si-

ue vt se exerceat, declamator vocatur. Nonunquam tamen more Græco reperimus poni. vt Cicero libro secūdo de natura deorum, Hæc quum Cotta dixisset, tum Velleius, Ego (inquit) incautus, qui cum Academico & eodem rhetore congredi conatus sum. Nam neq; indisertum Academicum pertimuissem, neque sine ista philosophia rhetorem, quanuis eloquentem. Rhetorem dixit vel oratorem, vel rhetoricum.

EPITOME.

Peregrinus est, qui in ciuitate sua non est, aut ex nostra non oriūdus. Hospes, qui in aliena est, aut qui in nostra non sua est: quem forensem, aut extraneum imperiti vocant. súntque hospites, tam qui in priuato alicuius hospitio, quàm qui in publico sunt, quod diuersorium aut tabernam meritoriam vocamus: & tā qui recipiūt, quàm qui recipiuntur. Hospitium autem, pro amicitia familiariter se mutuo recipiendi, quam hospitalitatem vocant, interdum accipitur. Item pro loco recipiendi tam publico quàm priuato, id est pro diuersorio.

Peregrinus & Hospes, Diuersorium & Hospitium. CAP. LXXXII.

PEregrinus & Hospes hoc differunt, quòd peregrinus vocatur, qui in ciuitate sua non est: Hospes, qui in aliena est. Vel Peregrinus, qui ex nostra ciuitate oriūdus non est: Hospes, qui in nostra est. Cicero, Vos soli in hac vrbe hospites estis, vestræ peregrinantur aures. Quintilianus, Attica anus Theophrastum hominem alioqui disertissimū, annotata vnius affectatione verbi, hospitem dixit. Nec alio se id deprehendisse interrogata respondit, quàm quòd nimium Attice loqueretur. Pro hoc imperiti dicunt forenses, aut extranei (loquendum mihi enim barbare est, vt barbariem emendem.) Hospites igitur sunt tam qui in priuato alicuius hospitio sunt, quàm qui in publico, quod diuersorium, vel tabernam meritoriam appellamus: támque qui recipit, quàm qui recipitur. Vnde Ouidius, Non hospes ab hospite tutus. Cicero, Per dexteram istam, quam hospes hospiti porrexisti. Sed ille receptor propriè vocatur, qui priuatim & amicitiæ causa recipit. vt Idem, Fuit mihi cū illo vetus hospitium. id est amicitia, familiariter vel mihi hospitandi apud illum, vel illi apud me. Vnde hospitales homines, qui amore, non pretio hospitium suum communicant. Hospitium, & priuatum & publicum dicitur. Liuius, Tarento Hannibali per dolum prodito, ait hospitia tantummodo Romanorum à militibus fuisse direpta. Certè priuata, non publica. Cicero, Ex hac vita sic decedo tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura diuersorium, non habitandi dedit. Pro eodem posuit diuersorium & hospitium.

Lib. 8. cap. 1.

Hospitales.

EPITOME.

Conciuis (modo recte dicatur) est sub principe ciuitatis cum alio aut aliis ciuis. Conterraneus est cuius eadem terra cum alio aut aliis est patria, quem vulgo compatriotam vocant. Quandocunque enim de eo qui paris conditionis est loquimur, vt qui nobiscum, aut cum alio id quod de eo dicimus est, præsertim sub principe, magistratu, magistro, aut alio præfecto, solemus particulam co aut con præponere, dum pronomen possessiuum addimus: sine qua particula ii qui præsunt, nisi modestiæ aut complacendi causa, loquuntur rité. Quocirca si sum præceptor Iohannis, dicam eum discipulum meum: si cum eo alterius auditor, condiscipulum meũ. Similiter in aliis faciam, dummodo composita cum co aut con in vsu sint: nam sine illis frequentius apud doctos legũtur municeps, æquales, sodales, populares, &, vt nonnulli volunt, ciues. Diuus tamen Hieronymus & Valla ipse conciuem aut conciues sic ferè dicunt: & certè modestius conciuem tuum quàm ciuem tuum dixeris, cuius princeps non sis. At quòd Cicero Romanos ciues suos dixit, id ideo vt quibusdam videtur fecit, quia iam aut consul aut vir consularis eorum erat princeps. Communiceps non dicimus, quia eorum princeps nõ est municeps, quum sint sub maioris ciuitatis principe. AEquales tempus non principem suspiciũt, sodales sunt quasi socii dapum: socii autem pares sunt, populares verò principem quidem habent, sed qui non sit popularis. quæ ratio modica est, quia discipuli præceptorem habent qui non est discipulus, tamen sunt inter se condiscipuli, sicut filii vnius patris cohæredes. Si sine præpositione loquamur & sine possessiuo, tolerabile sit. vt, Audite ciues, discipuli, &c. Et si princeps vtrunque addat, id faciat (vt dixi) modestiæ aut complacendi gratia: vt Alexander Magnus & Iulius Cæsar, milites, commilitones suos. Sic etiam magistratus loqui debent vt contribuni, coædiles &c. collegæ etiam sic appellati sunt & contubernales &c.

Conciuis, Conterraneus. CAP. LXXXIII.

Conciuis qui eiusdem ciuitatis est, Conterraneus qui eiusdẽ terræ, hoc est territorii. Maior est enim terra, quàm vrbs, oppidúmve, cuius habitatores vocantur ciues. Cicero, Eorum qui in hac terra fuerunt, magnámque Græciam, quæ tum florebat, institutis & præceptis suis erudierunt. Plinius tamen Catullũ conterraneum suum vocat, vel quòd ex diœcesi illa, vel quòd ex vrbe sit Veronensi. Vterque enim dictus est Veronensis. Nã illius nepos, & per adoptionem filius, fuit Nouocomensis, & ideo Plinius secundus & ipse dictus est. Quidam librum nuper sic inchoauit, Fauonius ciuis meus optime princeps, & cõsul tuus. Quum dicere debuisset, conciuis meus. Dominus enim ciuitatis, ciuem suum vocat, quia non potest appellare conciuem. Quemadmodum miles socium in militia, non militem suum vocare potest, sed commilitonem. Et discipulus eum, qui vnà eidem præceptori dat operam, non discipulum suum, sed condiscipulum. E diuerso, præceptor non vocat auditores suos, condiscipulos suos, sed discipulos. Et dux in bello, non commilitones, sed milites suos appellabit. Licet Cæsar, & quidam alii appellauerint milites suos commilitones, comparandæ beneuolẽtiæ gratia, vt apud Virgilium AEneas, qui sub eo erant, socios vocat.

Terra.

Commilito.

Hic ergo homo priuatus non debuit quenquam ſuum ciuem appellare,ſed conciuem:nec rurſum aliquem principis cōſulem dicere.Nonnunquam tamen inuenitur ciuis pro conciuis.vt Lælius apud Lucanum,Nec ciuis meus eſt,in quē tua claſſica Cæſar Audiero. Dico tamen municeps meus, pro eo quod eſt conciuis meus,quia communiceps non inuenitur.At quoties non apponimus pronomen, rectius ſine appoſitione loquimur: Audite ciues,ſuccurrite milites,legite diſcipuli,etiam ſi mei fuerint conciues,commilitones, condiſcipuli. Quòd ſiquando per hæc poſteriora ſine pronomine loquor, tamen pronomen ſubintelligendum eſt.vt,Omnes me cōciues amant. Cur tu non das commilitonibus partem? Ille ſemper exagitat cōdiſcipulos quæſtionibus.ſubintelligitur,mei,tuis,ſuos.Dicimus tamen,Vos eſtis ciues noſtri, quaſi reipublicæ noſtræ, non quaſi ſingularium aliquorum ciuium.

Municeps.

EPITOME.

Prætor,conſul,quæſtor, ædilis,cenſor, tribunus,primipilus, & ſimiles,dicuntur qui magiſtratum ſuum gerunt. Senator & triumphator,qui eſt & qui fuit. At prætorius,conſularis,quæſtorius,ædilitius,cenſorius,tribunitius,primipilaris,& triumphalis,qui geſſerunt. ſed priora,ſubſtantiua ſunt: poſteriora,adiectiua. ſicut & ſenatorius,id eſt ſenatorii ordinis,aut de domo ſenatoria.id eſt patricius.Quādo verò præponitur pro,vt proprætor,proconſul,&c. non ſignificant gerentem magiſtratum pro alio,ſed extraordinarium,vt abunde declarat litera. Sed Mancinellus nonnulla addit,dicens,Conſularis,qui conſulatū geſſit dicitur,& conſulatu dignus. In prima ſignificatione teſtis eſt Liuius lib.5.ab Vrbe cōdita,vbi de Gallis ait, Senes triumphales conſulareſque ſimul. Et Cicero de claris oratoribus, de Hortenſio dicens, Nam is poſt conſulatum (credo quod videret ex conſularibus neminem eſſe ſecum comparandum,negligeret autem eos qui conſules non fuiſſent) ſummum illud ſuum ſtudium remiſit, quo à puero fuerat incenſus, &c. In altera verò, teſtis quoque idem Cicero lib.10.epiſtolarum ad Plancum, ita ſcribens,Cōplures in perturbatione Reipublicæ Conſules dicti,quorum nemo conſularis habitus,niſi qui animo extiterit in Rēpub.conſularis. Paulo item inferius inquit,Hæc ſi ages & ſenties,tum eris non modo conſul & conſularis,ſed magnus etiam conſul & conſularis.Et pro Milone ſic ait,Tribunum virtute conſularem.

Mancinellus.

De Prætor, Prætoriuſque, & aliis magiſtratuum nominibus. CAP. LXXXIIII.

PRætor qui præturam, Conſul qui cōſulatum, Quæſtor qui quæſturam, AEdilis qui ædilitatem, Cenſor qui cenſuram, Tribunus qui tribunatum, Primipilus qui primipilatum gerit.Senator qui ſenator eſt,aut fuit,Prætorius qui præturā,Conſularis qui cōſulatū,Quæſtorius qui quæſturā,AEdilitius qui ædilitatem,Cenſorius qui cēſuram, Tribunitius qui tribunatum, Primipilaris qui primipilatum geſſit. Senatorius non dicitur ſenator, ſed (vt dixi) vel ſenatorii ordinis, aut de domo ſenatoria.

Triumphator qui triumphat propriè, ſed etiam qui aliquando triumphauit. Vt victor exercitus, qui vicit: Triũphalis, qui triũphauit. Cæterum illa priora nomina ſunt ſubſtantiua, quia iunguntur cum adiectiuis. Vt, Diligens conſul, bonus tribunus, iuſtus prætor, ſeuerus cẽſor. Hæc poſteriora ſunt adiectiua, eò quia iunguntur cum ſubſtantiuis: vt Homo cõſularis, tribunitia mulier, prætoria familia, cẽſorium edictum. Quòd ſi abſint ſubſtantiua, ſubintelliguntur: vt, Conſulares rogantur primi ſentẽtiam in Senatu, proximi prætorii, deinde tribunitii: intelligimus homines. Quemadmodum in illis, plebei, nobiles, potentes, ingenui, libertini. Proconſul non qui pro alio conſule præeſt prouinciæ, ſed qui cum poteſtate conſulari extra ordinẽ, & ad aliquam prouinciam adminiſtrandam mittitur, præterquam quòd non duodecim faſces eum præcedunt, qui præcedunt conſulem, ſed tantum ſex, vt etiam prætorem & præſidem. Proprætor, non qui pro alio prætore præturam, ſed extraordinariam gerit. Itaque dicitur proquæſtor, & ſiqui ſunt alii huiuſmodi nominum magiſtratus. Proconſul. Proprætor. Proquæſtor.

EPITOME.

Diuerſorum locorum nomina licet ferè aut penitus coincidant, diuerſa tamen facient deriuatiua. Vnde ſunt Rhegini & Rhegienſes, Albani & Albẽſes, & cætera quæ litera declarat. Sed caſtigat Mancinellus nonnihil, dicens, Non Campaniam, terram laboris appellant, ſed Campaniæ partem. neque nunc duntaxat, ſed iam diu priſci ipſi laborias appellarunt. teſtis eſt Plinius libro decimooctauo, de agro Campano: ſic enim ſcribit, In Campania tamen laudatiſſimus campus eſt, montibus ſubiacet nimboſis, totis quidem quadraginta millibus paſſuum planitie. Poſtea ſubiicit, Quantum autem vniuerſas terras campus circumcampanus antecedit, tantum ipſum pars eius, quæ laboriæ vocantur, quem Phlegræon Græci appellant. Finiuntur laboriæ via ab vtroque latere conſulari, quæ à Puteolis, & quæ à Cumis Capuã ducit. Hæc ille. Vbi autem Laurentius ait, Campaniam verò eam regionem, quæ illi finitima eſt Romam verſus. Sciendum eſt duplicem eſſe Campaniam, nouam & veterem. Nam apud Strabonem libro quinto ſic legimus, Picentes autẽ vſque ad Silarim perueniunt fluuium, qui ab hoc agro veterem ſeparat Campaniam. Cui quidem fluuio proprium illud ineſſe traditur, vt in eius aquam demiſſa virgulta ſaxificentur. Mancinellus.

De locorum quorundam nominibus & poſſeſſiuis horum. CAP. LXXXV.

RHegini ex oppido Calabriæ, Rhegienſes ex oppido Galliæ Ciſalpinæ: quorũ oppidorum vtrũque vocatur Rhegium. Albani & Albenſes. ex oppido Alba in Latio, Albani: ex oppido Alba ad lacum Fucinum, Albẽſes, qui à quibuſdam Albani dicuntur. Cumani ex oppido Cumarum in Campania, quam nunc prauè vocant terram laboris. Campaniam verò illam regionem, quæ illi finitima eſt Romam verſus. Comẽſes ex oppido

Como, in eadem Gallia, quam nunc Lombardiam nominant, in qua ipſa Gallia,& finitimum Como eſt Bergomũ, vnde Bergomẽſes. Pergamum, ex qua Pergameni in Aſia: à qua vrbe quia ob penuriam chartæ, ab Attalo rege miſſa eſt membranarũ copia, membranæ Pergamenæ ſunt nominatæ. In Aſia prouincia intelligo: nam in ea quæ eſt tertia pars orbis terrarũ, regio quædam eſt eodem nomine, quam Turchiam nunc vocãt, non autem (vt quidam volunt) Teucriam: quemadmodum in Africa, quæ & ipſa tertia pars orbis dicitur, eſt etiam regio eiuſdem nominis, niſi quòd Afros dicimus homines, non autem Afram regionem. Thebani à Thebis in Græcia, Thebæi à Thebe in AEgypto, ſed & Thebæi ſecundum Græcam formam fit. Nam & Thebani Græce Thebæi dicuntur. non tamen occurrit, vbi in libris gentilium legerim Thebæos.

Pergamenũ.

Turchia.

EPITOME.

Priſca dicũtur quæ ſuperioribus ſeculis: Priſtina, quæ ſuperiorib9 annis aut menſibus fuerunt, certe in noſtra memoria. Verum res nõ ſeneſcentes, licet ſeculis nos præceſſerint, non priſcas, ſed priſtinas dicemus. Videtur enim priſcum dictum quaſi ſit prioris ſeculi: priſtinum quaſi prius ab eodem tentum: vt ſi antiquos viuendo & loquendo imitor, priſco more & viuo & loquor: ſiquem ſemel tenui morem, repeto, priſtino more.

Priſcus & Priſtinus. CAP. LXXXVI.

PRiſca quæ ſuperioribus ſeculis, aut ſuperiore ætate: vt Priſci Latini, priſcus Tarquinius; priſca tempora. Priſtina, quæ ſuperioribus annis, menſibus, diebus, & quæ noſtra memoria fuerũt: vt Priſtina noſtra amicitia, priſtina beneficia noſtra. Neque rectè hîc dicas priſca, neque illic priſtina. At verò ſi de rebus quæ non ſeneſcunt loquaris, priſtinum, non priſcum decebit. vt Pharos & Tyrus nunquam in priſtinum ſtatum redibunt. Maria in freto Meſſanenſi laborant, ne montes (ſi Lucano credimus) repetant priſtina confinia. Atqui tantum temporis eſt, ex quo illuc mare irrupit, vt memoriæ nõ inueniatur proditũ. Padus poſt quingẽtos, & eo amplius annos ſolet reuerti in priſtinũ curſum.

EPITOME.

Proſper, qui dat: Fœlix, qui recipit proſperitatem, propriè dicuntur: ſed nõnunquam confuſa leguntur.

Proſper & Fœlix. CAP. LXXXVII.

PRoſper qui dat, Fœlix qui recipit proſperitatem. Sydus Veneris (ſi credimus mathematicis) proſperum eſt. Natus ſub illo ſydere, fœlix eſt. Dicimus ergo propriè homines quidẽ fœlices: deos autẽ, tẽpora, loca, actiones, fines, ſucceſſus proſperos, & ſiqua ſunt ſimilia. Vtrũque tamen aliquando recipit exceptionẽ. Nam & non ſemel legimus proſperam alicuius valetudinem, vt

Suetonius de Cæſare, Fuiſſe eum proſpera valetudine. id eſt bona & quaſi fœlici. Et de Tyberio, valetudine proſperrima vſum eum eſſe ait. Salluſtius, Sed poſtquam res ciuibus, muris, agris, ſatis aucta, ſatíſque proſpera viſa eſt. Rurſus Virgilius,

Sis fœlix, noſtrúmq; leues quæcunque laborem. Pro eo quod eſt, ſis proſpera & benigna.

EPITOME.

Salûber, eſt quod ſalutem & incolumitatem affert, quaſi ſalutiferum aut ſalutare. Sanum, quod recipit aut continet. ſed confunduntur interdum, vt corpus ſalubre dicatur. Non tamen dices cum Boetio, AEger an ſaluber, ſed an ſanus.

Salûber & Sanus. CAP. LXXXVIII.

SAlûber, ſiue (quod vſitatius eſt) ſalubris dicitur aer, cibus, potus, locus, multáque huiuſmodi: idem ferè quod ſalutifer ſiue ſalutaris. Sanus homo dicitur, cæteráq; animalia. Res ſalubris præbet ſanitatẽ, homo verò recipit. Poteſt & præbere, túncque ſaluber, quaſi ſalutifer dici. Sed in vtroque etiam aliqua reperitur exceptio. Siquidem ſanum aerem, ſanũ cibum, ſanum locum vocamus, quaſi ſalubrem & præbentem ſanitatem. Cõtrà, ſalubris pro ſano. Salluſtius, Genus hominum ſalubri corpore, velox, patiens laborum, pleroſque ſenectus diſſoluit. Liuius, Grauiore tempore anni iam circumacto, defuncta morbis corpora ſalubriora eſſe cœpere. Martialis dũ deſcribit vitam beatã, inquit,

Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, ſalubre corpus,
Prudens ſimplicitas, pares amici.

Hi tres quos produxi loci, idem nomen habent cõiunctum cum corpore. Quare non auſim dicere, vt dixit Boetius in tranſlationibus ſuis, AEger an ſaluber. Nã de æquali eius Caſſiodoro qui Caſſiodorus. apud nonnullos in pretio eſt, nunquam ideo facio mentionem, quia cum regibus ſuis Theodorico & Allarico, quorum ſcriba fuit, Gotthicum ſonat & barbarum.

EPITOME.

Iucundus eſt qui iuuat & delectat in lætis. Gratus, qui commodum facit etiam in aduerſis.

Iucundus & Gratus. CAP. LXXXIX.

IVcundus & Gratus ſic differũt, quòd iucũdus propriè in proſperis, gratus in aduerſis. Iucundum voco, non qui lætus eſt, ſed qui lætitiæ eſt alteri, vt proſper ac ſaluber. Vſqueadeò poteſt quis triſtis, mœſtúſque eſſe, & tamen iucundus: veluti quum hoſtis meus in dolore eſt, tunc mihi iucundus eſt: & egò gaudẽs, ſum illi minime iucũdus. Quare nõ rectè locutus eſt, qui ait, Iucũdos nos faciat ſuæ intereſſe cõmemorationi. ſed ad differentiã.

Cicero ad Sulpitium consolantē de morte filiæ, inquit, Seruius tamen tuus omnibus officiis quæ illi tempori tribui potuerunt, declarauit & quāti ipse me faceret, & quàm suum talem erga me animum tibi gratum autumaret fore. Cuius officia iucundiora si sæpe mihi fuerunt, nūquam tamen gratiora. Idē ad Lucceium, Amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in his literis, quas à te proximè accepi: non ille quidem mihi ignotus, sed tamen gratus & optatus. Dicerem iucundum, nisi id verbum in omne tempus perdidissem. Idem ad Atticum, Fuit mihi sæpe & laudis nostræ gratulatio tua iucunda, & timoris consolatio grata. Idem tamen libro quarto Inuectiuarum, Est mihi iucunda in malis, & grata in dolore, vestra erga me voluntas. Iucunda dixit, quasi lætitiæ plena & voluptuosa, qualis est in prosperis. Grata quasi plena affectus ac fructus. In iucundo enim quædam gratia est delectationis, in grato verò etiam commodi. Quippe aspectus rosarum, liliorum, violarum, florúmque, ac similium, iucundus est. Aspectus plenæ messis, huberum olearum, grauiū fructu vitiū, pinguiúmque pecorum, gratus: & pueritia filiorum, atque infantia iucundior: adolescentia verò, ac iuuentus gratior, vtpote vtilior. Idem de Officiis libro secundo, Quāquam enim quod præsens, tanquam in manum datur, iucundius est: tamen hæc in posterum gratiora, muri, naualia, portus, aquarum ductus, omniáque quæ ad vsum Reipublicæ pertinent. Hieronymus nonnunquam his duobus nominibus cum ea quam ostendi proprietate & distinctione vsus est.

EPITOME.

Plura comparatiuum, de duobus dici potest. Complura absolutum, nō nisi de pluribus quàm de duobus. Plerique, aut pro maxima parte, id est ferè omnes, aut nonnulli dicuntur. Plerunque, id est vt plurimum, aut ferè semper. aliquādo tamen accipitur pro nonnunquam; sed id apud omnes (præterquam apud Seruium) rarius.

Plura, Complura, Plerique, & Plerunque. CAP. XC.

PLura & Complura sic differūt, quòd Plura possunt esse duo: Complura duo esse non possunt. illud comparatiuum est, hoc verò minime: ideóque non regit casum. Plerique, modo authores pro maxima parte accipiunt, modo pro nonnullis. Sallustius, In diuisione orbis terræ plerique in parte tertia Africam posuere, pauci tantummodo Asiam & Europā. Paulo post, Plerosque senectus dissoluit, nisi qui ferro, aut bestiis interiere. Nam morbus haud sæpe quenquam superat. Quintilianus, Videas plerosque ita paratos. id est nonnullos. Plerunque magis à priore significato, quàm à posteriore venit. id est, pro eo quod est ferè semper. Quintilianus in amatore, Excussa sunt plerunque

languentium vitia verberibus.id eſt nonnunquã.Tamen in hũc ſenſum hæc dictio (ſiue nomen,ſiue aduerbium ſit) rarò reperitur.Seruius quidem neſcio an vnquam vtatur aliter.

EPITOME.

Clarus & præclarus figurate accipiuntur pro illuſtri ac ſplendido.Sed præclarus pro bono:Luculentus,pro magno:& Præclare,pro optime,apud Ciceronem vſurpantur.A luculento fit luculente,non luculenter.

Clarus & Præclarus. CAP. XCI.

CLarus & Præclarus figurate accipiuntur pro eo qui tanquã fulgore quodam famæ & gloriæ reſplendet. Vnde clariſſima & præclariſſima geſta dicimus.Sed præclarus nonnunquam pro bono reperitur apud Ciceronem, ſicut apud eundem luculentus pro magnus.vt in Philippicis,Luculẽtum vulnus accepit. Luculentus. In eodem opere ait,O præclarum cuſtodem ouiũ(vt aiunt) lupum. Non claritas in cuſtode deſyderatur, ſed probitas. ergo præclarum pro bono poſuit.Idem in Lælio,Cum illo verò quis neget actum eſſe præclare? Et paulò pòſt, Cum illo quidem (vt ſuprà dixi)actum eſt optime,mecum incommodius. Nõ ſuprà dixerat Actum cum illo optime,ſed præclare.Verum ideo ſic dixit:quia præclare & optime idem roboris & virium in ſignificatione obtinent.Eóque κράτιστον (quod eſt optimũ) & apud Græcos accipi ſolet,& à nobis transferri præclarum.

EPITOME.

Dies proprie feſtus dicitur:Res feſtiua,id eſt iucunda & lepida. Sed res ad feſtum ſpectans,dici poteſt feſta.

Feſtus & Feſtiuus. CAP. XCII.

FEſtus dies,potius quàm feſtiuus:Res feſtiua,potius quàm feſta. Nam feſtus feſta feſtum,ad diem feſtum pertinens. Feſtiuus feſtiua feſtiuum,res iucunda & lepida:vt Oratio feſtiua,dictum feſtiuum: frondem feſtiuam legimus,nõ quæ ad feſtum comparata ſit,ſed quæ iucunda & læta.Nã & feſtam frondem vocamus, quæ feſtis adhibetur . Feſtiuum multi pro feſto accipiunt.

EPITOME.

Vænale dicitur,venditioni expoſitum. Vendibile,quod facile vendi poſſit,etiam ſi nondum expoſitum ſit: indicant enim in bilis aptitudinem.

Vænale & Vendibile. CAP. XCIII.

VAEnale & Vendibile hoc habent differẽtiæ, quòd illud ſignificat rem venditioni expoſitã,hoc rem quæ facile poteſt vẽdi. Hæc domus eſt vænalis,id eſt proſcripta,vel expoſita venditioni. Et hoc de Curione ſignificat Lucanus, quum dicit,Vænali Curio lingua,id eſt pretium,nõ veritatem honeſtatémque ſequens ex ſuæ linguæ facundia.Cicero in Bruto, Horũ

ætati pro pè coniūctus L.Gellius.non tā vendibilis orator,quàm vt nescires quid ei deesset. Et in eodem, Nā populo nō erat satis vendibilis præceps quædā & quū idcirco obscura, quia peracuta, tum rapida,& celeritate cæcata oratio. Et alibi,Nam vt sint illa vendibiliora,hæc huberiora certe sunt.Vendibile dixit pro gratum,& quod animos hominū solicitet,ritu rerum,quæ ad se alliciunt emptorem. Hoc à vendo venit,illud à væneo.

EPITOME.

Sciens ac prudens facit,qui se facere scit & prouidet. Insciens & ignorans,qui se facere nescit. Sed scienter & prudenter facere,est facere cum scientia & prudentia. Contrà,imprudenter,id est stulte & temerarie.At per imprudentiam aut per ignorantiam fit aliquid sine merito ac demerito interdum.nemo ergo scienter aut prudenter peccat:scientes ferè omnes.

De Sciens feci,Prudens feci,& similibus. CAP. XCIIII.

SCiens feci,& prudens feci. Item insciens & imprudēs,atque ignorās feci. hoc est,quòd quum facerem aliquid,sciui me facere illud aut ignoraui.At sciēter feci,idem est quod cum scientia ac doctrina feci,semperque in laude est scienter quid fecisse.Scientem verò quid fecisse tum laudare,tum vituperare solemus,pro rei qualitate.Si ergo scienter facere semper laudabile est,ediuerso inscienter facere semper est vituperabile.Prudenter quoque facere,opus prudentiæ nimirum est: imprudenter verò, stultitiæ.Tamen quid imprudēter facere ignorāterve,raròin vsu est:in cuius locum velut succedit per ignorātiam & per imprudentiam factum,per se neque laudi,neque vitio dandum. Idem enim est per imprudentiam siue per ignorantiam fecisse aliquid boni,vel mali,quod imprudentem,ignorātemque fecisse, quorum neutrum aut præmium meretur,aut pœnam.

EPITOME.

Marinum dicitur,ad mare pertinens,aut in eo natum, seu ipsum incolens. Maritimum mari vicinū,quod mare accolit,aut ad mare est,aut fit. Sed cum trans dicitur marinum,non maritimum.

Marinus,Maritimus,& Transmarinus. CAP. XCV.

MArinum piscem dicimus,& auem marinam,& deū marinum,vel deam,vel nympham marinam.Nominatim quoque vitulum marinum,lupum marinū, turdū marinū, turturem marinum: præterea,colorem marinum,casum marinum,periculum marinum,sonum,fluctum.Aquam marinam non maritimam,nauem marinam,quidam etiam nauem maritimam. Rursus oram maritimam,gentem maritimam,res maritimas,bellum maritimum,non transmaritimū, non marinum. Item hominē,gentem,vrbem,triumphum transmarinū, non trāsmaritimū. Horū omniū hæc differētia est,quòd marinū

vocatur,quod incolit mare,aut ex mari eſt. Maritimum,quod mare accolit,& ad mare eſt,vel ad mare fit. Tranſmarinũ,quod trans mare eſt. Tranſmaritimũ enim foret,quod trans loca maritima eſſet,idem proprie quod mediterraneum.

EPITOME.

Frequens,dicitur quod à multis frequentatur, aut perſona crebra & aſſidua, aut turba copioſa & multa,aut ciues & ſenatores, cæteríque tales numeroſi ac multi in vno loco. Sed homo dicitur frequens, actiue:locus, paſſiue. Celebre autem ſemper paſſiue accipitur pro eo quod celebratur & colitur,ſiue locus, ſiue perſona. Vnde celebritas loco aut perſonæ honoratæ datur ex frequentia honoratorum,nõ quorũcunque. Nam qui à baiulis,ſimilibúſque frequentatur:locus frequens quidem eſt, ſed non celebris:niſi vt meretrix nobilis,& latro inſignis,& improbitas ſingularis, & turpitudo vnica,& cætera eiuſmodi dicuntur.

Frequens & Celebris. CAP. XCVI.

FRequentẽ locum dicimus,quem frequẽtare multi ſolent.vt Vrbs frequẽs, oppidum frequens, platea frequens,vbi multi homines aut habitant, aut diuerſantur. Quando autem de perſona,aut de re animata loquimur,duobus modis dicitur, vel de ſola,ſic,Sit miles frequens ſpectator præliorum. id eſt creber & aſſiduus.Vel de turba,ſic,Frequens populus,frequens ſenatus. id eſt copioſus & multus. Et quidem cum nomine collectiuo in ſingulari,cum cæteris verò in plurali:vt Frequẽtes ciues,frequẽtes ſenatores.hoc eſt multi & numeroſi.Veruntamen quum dico,Sis frequens, innuo actionem:quum dico Frequẽs locus,paſſionem.Ille frequentat,hic frequentatur.Cui ſimile eſt Celebris ſemper paſſiue poſitum, tam ad rem quàm ad perſonam relatũ. Locus celebris,quòd celebratur.Homo celebris,quòd cum honore celebratur & colitur. propter quod in hanc ducor opinionem, vt locus celebris proprie ſit honoratorum frequentia cultus,non ita frequẽs, neque frequentia, quo nomine qualiſcũque hominũ multitudo ſignificatur. quod ex vocabulo hinc ducto probatur quod eſt Celebritas, quæ tum hominũ cœtum honoratorũ declarat,tum dignationẽ ipſam atque honorẽ.Quintilianus,Ante omnia futurus orator,cui in maxima celebritate,& in media reipublicæ luce viuendũ eſt,aſſueſcat iam à tenero nõ reformidare homines, neque illa ſolitaria, & velut vmbratili vita palleſcere. Cicero, Itaq; nos qui in maxima celebritate,atque in oculis quõdã ciuiũ viximus, nũc fugiẽtes conſpectũ ſceleratorũ hominũ,quibus omnia redundant, abdimus nos,& ſæpe ſoli ſumus.Idẽ in alterã ſignificationẽ, Hac celebritate famæ quũ eſſet iã abſentibus notus, Romam venit Mario & Catulo cõſulibus. Quare improprie,licet frequentiſſime,dicitur,Locus celebris,an deſertus, quaſi cõtrariũ ſit celebrẽ eſſe ab illo,deſertum eſſe: vbi

Frequentia.

Celebritas.

Lib.1.cap.2.

enim baiuli, aut aleatores, aut lenones, ſcortáq; eſſe cõſueuerũt, quis eũ locũ proprie dixerit celebrem? non aliter quàm celebrẽ meretricem aut nobilẽ, vt ſæpe legimus: & ſingularem improbitatem, & vnicam turpitudinẽ, vt in bonũ, ita & in malum.

EPITOME.

Ferus eſt more ferarũ immitis: vt AEneidos 2, -ferus omnia Iuppiter Argos Trãſtulit. Ferox immodici animi, & more ferarũ ferociens. vt AEneid. 12. Latinus ad Turnum quem paulo ante leoni cõparauerat poeta, O præſtãs animi iuuenis, quãtum ipſe feroci Virtute exuperas, tanto me impenſius æquum eſt Conſulere.

Ferus & Ferox. CAP. XCVII.

FErus homo, qui animũ ferinũ obtinet, vt leonis, vrſi, pardi, lupi. Ferox, qui peranimoſus eſt ad decertãdum cum altero, & ad vim alteri faciendam, atque ad nocendum.

EPITOME.

Corporeum, dicitur quid exiſtens ex ſubſtantia aut materia. cõtrà incorporeum. vtrunque autẽ iungitur, aut expreſſe, aut ſubintellecte, cũ nomine res aut ſubſtãtia. Corporale verò, exiſtens in materia ſeu ſubſtantia, & ediuerſo incorporale.

Corporeus & Corporalis. CAP. XCVIII.

COrporeum eſt exiſtens ex materia, atque ſubſtantia corporea, & ediuerſo incorporeum: vt Lapis eſt res corporea, virtus incorporea. Corporale verò exiſtẽs in materia, ſubſtãtiáque corporea, & ediuerſo incorporale: vt Domus, fundus, mãcipium, corporalia ſunt, nõ corporea: Legatum, hæreditas, iura, incorporalia ſunt, non incorporea. Nanque hîc de qualitate agimus quæ ineſt ſubſtantiæ, ibi de ipſa ſubſtantia. quas res diligẽtius exequemur in dialecticis noſtris. Et ſanitas, vires, pulchritudo, bona corporalia appellãtur, nõ corporea. Præterea (vt alia ratione hanc differentiã diſtinguamus) corporeus & incorporeus non niſi cum hoc nomine res, aut ſubſtantia iunguntur, aut vbi res ſubintelligitur: vt Lapis eſt res, ſiue ſubſtãtia corporea, nõ autẽ eſt corporẽus. Virtus eſt res incorporea, nõ autẽ virtus incorporea. Omnia autem corporea aut tanguntur, aut videntur: id eſt omnes corporeæ res, non autem ſic res incorporeæ.

EPITOME.

Laſſum, id eſt labore fatigatum, tantum fatigabili competit. Laxum verò, dicitur lentum & molle, non rigidum, nec durum, aut tẽſum, & potius ad inanimata ſpectat. Lapſum à labendo, tam animo quàm corpori attribuitur. Feſſum, dicitur fatigatum ſiue animo ſiue corpore. Defeſſum & defatigatum, quod præ laſſitudine non amplius poteſt.

De Laſſus, Laxus, Lapſus, Feſſus, Defeſſus, Fatigatus, Defatigatus. CAP. XCIX.

LAſſum quod labore fatigatum eſt, tam animo, quàm corpore. ideóque ad ea demum ſpectat, quæ laboris moleſtiam ſentiunt. Laxum verò magis ad inanimata, quæ ſunt lenta,

mollia,flexibilia,nō dura,nō rigida: vt Laxi rudētes,laxi funes, laxæ chordæ. Lapſus à labēdo,quod vel corpore,vel per trāſlationem animo & opinione labitur. Feſſus idem eſt quod fatigatus,ſiue animo,ſiue corpore. Defeſſus,defatigatúſque,qui ita feſſus,atque fatigatus eſt,vt non queat amplius:& ſæpe à labore, atque incœpto quod inſtituerat,deſiſtat.vt in Bruto Cicero,Et ne defatigaretur orauiſſent. Et de Oratore,Profectò nunquam cōquieſcam,neque defatigabor, antequam illorum ancipites vias rationéſque,& pro omnibus,& contra omnia diſputandi,percepero.

EPITOME.

Bonum dicitur quod honeſtum,quod vtile,quod petitū. eſt enim generale nomen.Bonitas autē eſt quaſi benignitas. Vnde clementes,& pii,ac iuſti quoque,boni dicuntur:aut induſtria,aut virtus naturalis,aut iuſtitia,aut æquitas. Quæ omnia litera declarat. ſed vt quiuis intelligat quid ſit dignū eſſe quicum,id eſt cum quo mices in tenebris:ſciet micare eſſe digitis micantibus,id eſt celeriter,nunc erectis,nunc depreſſis,quaſi ſcintillantibus,diuinare quot quicum micas erectos habeat vnà cum tuis:quod in tenebris,niſi cum iuſtiſſimo,non tute facias.

Bonum & Bonitas. CAP. C.

BOnum generale nomen eſt, honeſta pariter atque vtilia cōplectens:vt Bonum animi,bonum corporis,bonum fortunæ.Bonitas verò non (vt multi opinantur) idē vtique quod bonū honeſtum,ſed idem quod benignitas. A primo fit bonus vir,bonus ſeruus,bonus iudex,id eſt iuſtus,& exequens officii ſui debitum:ab hoc bonus pater,bonus dominus, bonus Deus,bonus AEneas,hoc eſt benignus & clemens:quam alteram iuſtitiæ partem eſſe conſtituunt,vocantes eandem beneficentiam. Nam iuſtitiam partiuntur in duas partes,Iuſtitiam,quæ eſt ſeueritas:& Beneficētiam, quam ego voco bonitatem. Ergo qui planè bonus eſſe vult, planéque iuſtus,bis bon⁹ ſit neceſſe eſt. Et hoc quidem ad virtutem pertinet.Eſt autem & alia bonitas,nō ex induſtria,ſed ex natura,tam homini,quàm quibuſdam aliis rebus attributa. Cicero, Quæ & bonitate naturæ multi aſſequuntur, & progreſſione dicendi.id eſt excellentia & dote naturæ.Quintilianus,At in ſolo fœcūdo plus cultor, quàm ipſa per ſe bonitas ſoli efficiet.Non dixit plus bonitas cultoris,quàm bonitas ſoli,quia excellens cultor induſtria fit,non natura. Nonnunquam tamē bonitas pro iuſtitia,ſiue pro honeſto accipitur.Cicero de Officiis tertio,Quum enim bonitatem alicuius fidémque laudāt,dignū eſſe dicunt,quicū in tenebris mices.Quintilianus in duodecimo, Quòd ſi mediocribus etiam patronis conuenit hæc quæ vulgo dicitur bonitas,cur non orator ille,qui nondum fuit, ſed poteſt

Lib.1.cap.19.

esse,tam sit moribus,quàm dicendi virtute perfectus? Nõnunquã etiam bonum accedit ad naturam virtutis & bonitatis. Nã quũ dicimus de æquo & bono, non de rigore iustitiæ,& de summo iure loquimur,sed quasi de bona æquitate.

EPITOME.

Lubricus, dicitur locus in quo propter lubricitatem ac glabritatem insistere aut ingredi nequeas,aut quid in lubrico situm,vt pes & oculus. Transfertur autem à multis pro libidinoso: quòd bene curata cute,& luxu abundantes, lubrici,id est impudici & luxuriosi ferè sunt.

Lubricus. CAP. CI.

LVbricus locus est,in quo nequeas insistere,nec ingredi,quales sunt herbæ perfusæ sanguine,vt apud Virgilium de Niso, & Homerum de Aiace Oilei,aut aliter humectatæ,marmora læuigata,lapidésque,vel humore conspersi,terra glaciata, aqua gelata,pauimenta,cæteráque huiusmodi lubrica dicuntur. Inde per translationem,adolescentiam vocamus lubricã,in qua qui sunt,velut in glacie facile labuntur. Anguilla quoque, congrus,murena,& similia lubrica sunt. Alio tamen modo videtur Cicero dixisse lubricos oculos,& imitatus eum Lactantius in libro de Dei opificio. Ita enim ait ille de natura deorũ, Sed lubricos oculos fecit & mobiles,vt declinarent siquid noceret:& aspectum quo vellent,facile cõuerterent. Dicti sunt oculi lubrici eo modo,quo à quibusdam pes lubricus, pro eo quod est,in lubrico.Ita oculi quasi in lubrico positi sunt,vt vix queant cõsistere. quale est quum dicimus,Spargo humum floribus,pro eo quod est,spargo humi flores:& Sterno lectum pallio,pro eo quod est, sterno pallium lecto.

Spargo.
Sterno.

EPITOME.

AEqualis dicitur æque magnus, atque coætaneus,seu coæuus. AEquabilis,idem quod æque magnus,aut in magnitudine comparabilis.

AEqualis & AEquabilis. CAP. CII.

AEQualis quid sit, notum est, vt in illo, Síntque pares in amore & æquales. Sæpe accipitur pro coætaneo, siue coæuo.vt Virgilius,

Lib.5. AEnei.

AEqualémque ab humo miserans attollit amicum.

Cicero, Ego Q. Maximum,eum qui Tarentum recepit, senem adolescens ita dilexi, vt æqualem. Et iterum, Nec cum æqualibus solum qui pauci admodum restant,sed cum vestra etiam ætate, atque vobiscum. AEquabilis, idem quod æqualis in priore significato.vt idem,Non ius æquabile quid vtilitatis haberet,acceperat. Iterum,Et vox reducitur in sonum quendam æquabilem atque constantem.

EPITOME.

Perfidus,peruerſæ fidei,qui fidem violat. Infidus,cui non eſt fidendum,quia fide caret.illud vt à fide deductum mediam corripit,hoc vt à fido producit.

Perfidus & Infidus. CAP. CIII.

PErfidus,qui fidem violat:Infidus,cui non eſt fidendum.hoc à fido deſcendit,quod habet primam longam,ſiue fido à fidus:illud à fides,quod habet primam breuem.Ideóque hæc duo adiectiua vario accentu efferuntur.

EPITOME.

Moratus,qui moribus bonis eſt præditus.Morigeratus,qui morem geſſit. Morigerari autem ſeu morem gerere,eſt obſequi & inſeruire: ita vt ad voluntatem alterius morem geras.Addi poteſt,moralem dici librum aut doctorem qui de moribus docet:moroſum,difficilem & nimis anxium in moribus ſuis ſeruandis.

Moratus & Morigeratus. CAP. CIIII.

MOratus, qui moribus bonis eſt præditus: Morigeratus, participium ex morigeror,quod eſt morem gero, id eſt obſequor & obedio. Vnde morigerus, obſequens, obediens,& facile morem gerens. Quod Accurſius non intelligens (quid autem intelligat, ſi ignorat, quid ſit morem gerere?) pro gloſſa ſcriptum reliquit, Soluat Apollo:quaſi aut ænigma eſſet, aut Apollo ſoluere ænigmata ſoleret, magis quàm proponere ſoluenda.Et alibi, Primipilus (inquit) nomen Græcum eſt. Accurſii imperitia.

EPITOME.

Proteruus à proterendo videtur ductus,& cedere neſcius, ac repugnans dictis & factis.Procax,quòd præoccupat omnia ſuperbis dictis & factis. Petulans,dictis aut factis laceſſens,& petens vnumquēque. Vnde Proteruitas,leuior quædam eſt contumelia:Procacitas,maior:Petulantia,maxima.

Proteruus, Procax,& Petulans. CAP. CV.

PRoteruus,Procax,& Petulans,multum ſimilitudinis habet, & quaſi aliud alio magis increſcit, tam in factis,quàm in dictis.Tria hæc tum quandam laſciuiam,libidinémque declarant,tum iniuriam.nam & proteruam petulātémque eodem loco de inhoneſta fœmina apud Ciceronē legimus pro Cælio , Si vidua libere,proterua petulanter,diues effuſe,libidinoſa meretricio more viueret. Proteruam minore gradu,quàm petulantem ſignificauit. Petulans pro libidinoſo,laſciuóque accipi,notū eſt. vt, Petulánſque iuuenta.Et Ouidius,

Quinetiam vt poſſem verbis petulantius vti,
Non ſemel ebrietas eſt ſimulata mihi.

Id eſt laſciuius & licentius.Procaces quoq; meretrices legimus. qualis Bacchis Terentiana, cæteræque impudicæ mulieres, quæ pudori ſuo (quæ vna dos fœminarum eſt) ne verbis quidē mordacibus ſimul & turpibus parcunt,à ſeipſis ſuæq; cōditionis fœ- Pudor.

minis capientes principium. Proteruia, leuior quædam cõtumelia: Procacitas, maior: Petulatia, maxima. Cicero in Sallustium, Ne in idem incidam vitium procacitatis, quod huic obiicio. Et iterum, Non enim procacitate linguæ, vitæ sordes eluũtur. Atque iterum, Nam quòd ista inusitata rabie petulanter in vxorẽ, filiámque meam inuasisti. Et iterũ in eadem, Desine bonos petulantissima insectari lingua: desine morbo procacitatis isto vti. Sallustius in Ciceronem, Grauiter, & iniquo animo maledicta tua paterer Marce Tulli, si te scirem iudicio animi magis quàm morbo petulantia ista vti. Et iterũ, Bibulum petulantissimis verbis lædis. Hæc eadem nomina in factis quoque nonnũquam reperiuntur: vt Siquis ambulans per impotentiam mentis, obuium cubito feriat, aut cũ contumelia sibi cedere cogat, hunc proteruum dicimus. Et Virgilius austros procaces vocat. Et ab eodem, -hœdíque petulci Floribus insultent, dictũ est: quòd hœdi soleant iniuriam facere per animositatem quandam transcendendo sepes, & in alia loca penetrando: quæ iniuria, petulantia est.

EPITOME.

Orbus dicitur quicũq; re aliqua chara priuatus est, vt oculis ac liberis, sed proprie liberis. Sed & liberi dicuntur orbi parentibus. inde orbitas, talis priuatio. Cælebs autẽ dicitur, non vt quidam putant, castus: sed sine coniuge, etiam si libidinosus viuat. Inde cælibatus, status sine coniuge. Hieronymus tamẽ & Augustinus & Priscianus à cælo deducunt: nec immerito: quia caste viuere, cæleste est: omnes autem cælibes caste viuere, licet non viuant, debent.

Orbus & Cælebs. CAP. CVI.

ORbus est quicunque aliqua re chara priuatus est. Proprie autem parens amissis liberis, quasi amissa luce oculorum. Vnde illud frequens, Parens liberorum, an orbus? Et hinc orbitas, quæ est illa qualitas patrum post amissos liberos, vt vxoris viduitas post amissum maritum. Quintilianus de patribus in ipsos loquẽs pro vxoribus, ait, Non habet orbitas vestra lachrymas super ardentes rogos: tenetis inconcussam rigidámque faciem. Contrarium huic est quum dicitur orbus, quasi orphanus: vt apud Terentium, Orbæ qui proximi sunt, vxorem ducant. Et hinc orbitas apud Marcũ Tullium libro tertio de Oratore, quasi orphanitas, Deplorauit enim causam atque orbitatem senatus, cuius ordinis à consule, qui quasi parens bonus atque tutor fidelis esse deberet, tanquam ab aliquo nefario prædone diriperetur patrimonium dignitatis. Cælebs, tam qui caruit semper vxore, quàm qui nunc caret: & inde cælibatus.

Quintil. lib. 5. cap. 10.

In geminis lãguentibus.

EPITOME.

Diuturnus & diutinus dicitur per longum tempus durans, aut qui durauit. Sero-

tinus, aut vespertinus: aut nimis tardus, quasi post tempus debitũ. Sicut præcox, ante tempus suum coctum dicitur. At præmaturum, quod præuenit maturitatem. id est, quod facit quasi sit maturum, cum nondum sit. Maturum enim est quod neque serius, neque citius coctũ est: vt persona senilis seu perfectis moribus. inde maturo, maturum facio seu festino. Vnde (vt dixi) sunt qui præmaturum dicant prius quàm sit maturũ: sunt qui præ aliis maturũ dictũ velint. Immaturũ autẽ, quod nondum maturum, & tamen maturi fungitur munere. Verum quod ante tempus maturum est, præcox dicitur. In illo tamen primo AEneidos, Maturate fugam: volunt peritiores non esse idem quod festinate, sed mature agite. quasi dicat, ne sitis nimium præcipites, sed audiatis quæ dicã. Vnde addit, Regíque hæc dicite vestro. Multi præmaturũ putant, ante tempus maturũ: cum sit nondũ maturũ, & quod officio fungitur priusquam sit maturũ. Homo senilis, recte à Seruio censetur maturus æuo. sed perfectis moribus, maturus æui, quasi maturans æuum.

Diuturnus, Diutinus, Præcox, Serotinus, Præmaturus, Maturus. CAP. CVII.

Diuturnus & Diutinus nihil differũt. Vtrunque enim & in bonum & in malum reperitur, & vtrũque à diu, siue diutius venit. Sed vnum eo modo formatur, quo à die diurnus, à nocte nocturnus. Alterũ quomodo à sero serotinus, à mane, siue à Matuta, quæ dea est, matutinus, vtque aliqui vtuntur à vespere vespertinus. De diuturnus plurima exempla sunt. De diutinus apud Ciceronem perpauca. Ad Brutum sic scripsit, Libertatis desyderio, tædióque diutinæ seruitutis. Quintilianus, Nõ sic confundunt obuios grauibus catenis colla stridẽtia, nec diutino squalore concreta facies. Quia dixi serotinus à sero, videor significasse sero pro vespere, non pro eo quod est tarde, siue post tempus. Hæc enim tria sero significat, quæ tamen penè idẽ sunt. Vna & vera significatio est pro vespere, quod est post occasum. Altera quæ hinc nascitur, quæ est post tempus. Quod enim post solis lucem est, id verè potest post tempus dici. Cicero, Quum accusator Milonis identidem interrogans, instaret, quo tempore Clodius esset occisus, vrbane respondit, Sero. non tam horam intelligens, quàm tardius occisum, & post tempus quo debuisset occidi. Tertia significatio est pro tarde, non pro tardius. vt apud Senecam in Hercule furente, Sero.

Sero nos illò referat senectus.
Nemo ad id sero venit, vnde nunquam
Quum semel venit, potuit reuerti.

Serotinus igitur tum à primo significato (vt quibusdam placet) venit, qui dicunt horam serotinam, tempus serotinum, pluuiam serotinam: tum à posterioribus. Appellamus enim vt præcoces vuas, præcoces ficus, præcocia poma, quæ ante legitimum, consuetumque tempus, siue cito maturescũt: ita serotinas vuas, sero-

tinas ficus,ſerotina poma,quæ poſt legitimum tempus,conſuetúmque cæteris pomis,vel tardè matureſcũt.Præcox quoque ingeniũ per tranſlationem dicimus,quod nimis cito maturitatem conſecutũ,nimiſque cito videtur adoleuiſſe. Ideóque ait Quintilianus,Illud ingeniorũ velut præcox genus,non temerè vnquã peruenit ad frugem.id eſt, non ferè vnquam ad perfectionẽ,tanquam ad frugem fructúmque peruenit.Præcox quaſi ante tempus excoctum.Huic ſimile ac diſſimile eſt,Prænaturus,quod eſt antequam ſit maturus, & ante maturitatẽ: vt Segetes præmaturæ, frumenta præmatura,poma præmatura, id eſt nondum matura.Et per tranſlationem,Præmaturus ſum militiæ,præmatura ætas, præmatura legatio, præmatura allocutio, præmatura poſtulatio, id eſt immatura . Quanquã maturũ ipſum in frugibus propriè dicitur,& id vno modo.In perſonis verò figurate,& hoc duobus modis.Vno ſic,Ego ſum maturus audiẽdæ philoſophiæ, tu es maturus rei militari.id eſt,perfectionẽ tẽporis habeo ad hãc rem. Vnde ſenilis ætas vocatur matura,quaſi omnino perfecta, & tempus debitũ aſſecuta. Altero ſic, Ego ſum homò maturus, id eſt perfectus moribus. & in hac ſignificatione non componitur.Inde matureſco,maturus fio. Et maturo maturas,maturum facio,vel perficio atque feſtino.vt Virgilius,Maturate fugam. Cicero ad Herennium , In ætate maturrima dixit, pro in ætate feſtinatiſſima.Et mature aduerbium,pro cito.

(Lib.1.cap.4.) (Maturo.)

EPITOME.

Annuum dicitur,aut quod per totum annum, aut quod ſemel fit peracto anno. Vnde annuus penus à Plauto, qui annum duret, dicitur. Et annua ſacra à Virgilio, quæ peracto anno ſingulis annis ſemel fiãt.Legendũ autem eſt in fine,aniuerſariæ ſunt,ſcilicet febres: quia ordo eſt,Ita febres anniuerſariæ ſunt vt feſta.principale enim ſuppoſitum eſt interdum vicinius verbo:vt ſi dicas,Sicut fœnũ ego arui: quia ordo eſt,Ego arui ſicut fœnum.

Annuus. CAP. CVIII.

ANnuus eodem modo dicimus,quo diurnus. ſpatiũ diurnum,ſpatium annuum,.vnius diei,vniúſve anni. Annuus quoq; quomodo quotidianus. Febris quotidiana eſt, quæ ſingulis diebus venit.Ita apud Virgilium,

-atque annua magnæ Sacra refer Cereri.

Id eſt ſingulis annis.Et duo illi Epicurei philoſophi annua febri quo die nati fuerant,corripiebantur.qua febri & mortui ſunt,atque eodem quidem die. Dictum eſt ergo annuũ,quaſi anniuerſarium.Nam vt feſta,ita febres quibuſdam,quorum etiam Auguſtus fuit,anniuerſariæ ſunt.

EPITOME.

Capitale odium,aut ſuppliciũ,ſeu morbi genus dicitur,quod caput alterius petit.

Capitalis homo,cuius caput petitur.Capitale vitium,propter quod caput petitur.

Capitalis. CAP. CIX.

CApitale odium,quod caput & vitam alterius petit. Cicero, Quũ is Tribunus plebis capitali odio à Q.Pompeio,qui tũ erat Conſul, diſſideret.Item Capitale ſupplicium, capitalis morbus,qui caput alterius petit. Capitalis autem homo,capitale vitium,capitale peccatũ,non quod petat alterius caput,ſed cuius caput, aut propter quod caput committentis peti debeat ad pœnam. vt idem, Capitalis Etheocles,vel potius Euripides.Et alibi, Fieri ait in ciuitate vitia capitalia.

EPITOME.

Meritoria taberna,quæ pro mercede patet.Meritorius puer,ſtupro à mangone pro mercede expoſitus.Puella autem non meritoria,ſed proprio vocabulo meretrix dicitur.Ingenui autẽ dicuntur,qui quia liberi,ſic non proſtituuntur.Mango eſt, qui pueros,puellas,equos,canes,aut ſimilia vænundat.Mereri autem,aut merere,eſt ſtipendia facere,ſeu pro mercede militare.Lucanus, AEre merent paruo.

Meritorius. CAP. CX.

MEritoriam tabernam, diuerſoriũ atque hoſpitiũ mercenarium vocamus, quò cuique introire licet dãti mercedem. Nã merere,mercede operari,laborare,atque alteri inſeruire eſt . Ideóque merere,in militia eſt exerceri,propriè tamen ſpe ſtipendii ac præmii: quod dicitur ſtipendia facere. Hinc meretrices dictæ, ſuã & ipſæ militiã exercẽtes, ac ſtipẽdia ſua faciẽtes.Et inde adiectiuũ meritorius meritoria meritorium:vnde ſcorta maſcula,pueri meritorii vocãtur. nã puellæ nõ vocantur meritoriæ: quippe propriũ ſuũ habentes nomen,quod eſt meretrix. Quidã aiunt hos pueros,dici Catamitos, quod mihi nõ videtur,ſed potius cõcubinos: meritorii nãque vt meretrices, pretio merent.Cicero in Antonium,Ingenui pueri cum meritoriis, ſcorta cum matribuſfamiliâs verſabãtur.ingenuos liberos dixit. Meritorios ergo nõ liberos,quos mãgo,qui ideo homines mercatur vt vendat,cõmodare etiam abutendos pretio ſolet:ſiue illi dominorũ permiſſu,aut ipſi ſuo iure proſtant. Appellamus corpus meritoriũ,tam puerũ meritoriũ,quàm meretricem: orationem quoque meritoriam,quaſi vilem & male coemptam.

Stipendia facere.

Catamiti.

Mango.

EPITOME.

Infenſus,vehementer iratus,quaſi multum offenſus. Infeſtus,vim inferens,& ita multum moleſtus. vnde infeſtare : quo frequentius quàm moleſtare,vtuntur docti.

Infenſus & Infeſtus. CAP. CXI.

INfenſus,vehementer iratus,& odiũ gerens: Infeſtus,vehementer moleſtus,atque in aduerſum vadẽs. Inde infeſtare, incurſibus crebris moleſtia afficere. & ſigna infeſta,quæ in aduerſum tendunt,hoc eſt vexilla in hoſtẽ euntia,vt moleſtiam

Infeſtare.

Molestare. inferant. Molestare autem rarius reperitur, quàm infestare. Modestinus iurisconsultus ait, Ab Aurelio Sempronio fratre meo, neminem molestari volo.

EPITOME.

Præsens dicitur, non solum quod nunc adest, sed quod prius affuit, aut quod aderit. vnde vsus sum, vtor, & vtar præsentibus viribus meis in prælio. Præsens, aliquando impræsentiarum est. Præsens item, subitum, & non dilatum in alterum tẽpus, & quod cito exit in opus suum, quasi præsentaneum. vnde & præstans dicitur, & cito auxilians. In rem autem præsentem, locum, non tempus connotat. Ad tempus verò, aut pro opportunitate, aut vsque ad certum tempus intelligitur. Pro cito auxiliante quasi præsens numen habente, dicit Virgilius in Bucolicis,
Nec tam præsentes alibi cognoscere diuos.

Præsens. CAP. CXII.

PRæsens, non modo quod est huius temporis, sed etiam alterius, vt Cicero, Ego incolumitati ciuium primũ, & postea dignitati: ille præsenti potius dignitati, quàm futuræ consulebat. De mortuo loquitur. ergo non nunc præsenti, sed tunc. Quintilianus de ipso Cicerone iam defuncto loquens ait, Postea verò q̃ triumuirali proscriptione cõsumptus est, passim qui oderant, qui inuidebant, qui æmulabantur, adulatores etiã præsentis potentiæ, non responsurũ inuaserũt. Præsentis potentiæ, quæ tũc erat præsens. Neque in præteritũ modo, verũetiam in futurũ, vt Horatius, Pleraque differat, & præsens in tempus omittat.
Hoc amet, hoc spernat, promissi carminis author.

Lib. 12. de genere dicẽdi.

In præsens. In præsens, id est in suum tempus, vt dixi, & quando tempus dicendæ rei aderit: nisi accipiatur pro impræsentiarũ. vt idem secundo Carminum,

Ode 16.

Lætus in præsens animus, quod vltra est
Oderit curare, & amara lento
Temperet risu: nihil est ab omni
Parte beatum.

Præsens quoque dicitur subitus, & non dilatus in alterum tempus: vt Virgilius,
Præsentémque viris intentant omnia mortem. Iuuenalis,
Pœna tamen præsens, & præsens vltio. Vnde præsentissimũ periculum, & præsentissima medicina, remediũ præsentissimũ, venenũ præsentissimũ, quod etiã præsentaneum vocatur. Præsentissimum, quia statim aut sanat, aut occidit. Et quoniã ea quæ præsentem vim effectúmque exhibent, præstantiora, ac potentiora cæteris videntur, ideo in hũc quoque sensum accipi solet: vt præsens animus dicitur, præstans atque excellens. Et præsens remediũ, præsénsque virtus, id est potẽs, & in primis efficax. In rẽ præsentem, non tempus, sed locũ significat. vt Cicero Officiorũ libro primo, Vt si constitueris cuipiã te in rem præsentẽ esse ven-

Præsentaneus.

In rem præsentem.

turum. id eſt ad locum de quo controuerſia eſt. Liuius libro 38, Reſponderi legatis vtriuſque partis placuit, miſſuros ſe in Africam, qui inter populum Carthaginenſem, & regem in re præſenti diſceptarent. Idem libro 48, Eodem anno inter populum Carthaginenſem, & regem Maſiniſſam in re præſenti diſceptatores Romani de agro fuerunt. Valerius Maximus libro ſeptimo, Q. Fabius Labeo arbiter à ſenatu finium conſtituendorum inter Nolanos & Neapolitanos datus, quum in rem præſentem veniſſet, vtroſque ſeparatim monuit. Ad tempus, duobus modis ſumitur. Vno, ad conditionem temporis, neceſſitatem, opportunitatem. Cicero pro Milone, Quàm ad tempus aptæ ſimulationes. Quintilianus, Fingere nimirum ad tempus videbor, & rem nimium manifeſtam impudenter complorare. Altero, ad ſpatium temporis: vt, Silebo ad annum, latebo ad tempus, id eſt vſque ad annum, & vſque ad tempus quoddam, vel in tempus. vt Quintilianus, Optimum emendandi genus, ſi ſcripta in aliquod tempus reponātur, vt ad ea poſt interuallum velut noua atque aliena redeamus. id eſt, vſque ad aliquod tempus. Nam ſæpe ſubintelligitur vſque. vt idem, Neque id veteribus Romanis dedecori fuit. Argumentũ eſt, ſacerdotum nomine & religione durans ad hoc tempus ſaltatio. id eſt vſque ad hoc tempus.

In re præſenti.

Ad tempus.

Lib. 10. cap. 4.
In tempus.

Lib. 1. cap. 11,
Vſque, ſubintellectum.

EPITOME.

Stultus, qui improuidus agit, licet inſipiens plane non ſit. Fatuus, plane inſipiẽs eſt. Stolidus ad naturam pecudum accedens. Stultus ab aliis dicitur, qui alicui rei nimium ſtudet, & ita imprudenter agit. vt qui mercationi rerum inutilium, aut amoribus nimium intendit. Fatuus à fando, vt Faunus & Fatua ab aliis, deducitur: qui plus æquo & inconſyderate fatur. corripit tamen primam: éſtque ſine ſapientia & ſine ſapore. Stolidus, qui ſtupore pecuino corripitur, ita vt tardius intelligat. Simo Terentianus, Vix tandem ſenſi ſtolidus.

Stultus, Fatuus, & Stolidus. CAP. CXIII.

STultus, qui imprudens eſt, & improuidus. multíque non inſipientes homines aliquando ſtultè agunt. Fatuus, planè inſipiens eſt, tractum à ſapore ciborum. Nam quum illi nõ ſapiunt, fatui dicuntur. Ita homo qui non ſapit, fatuus vocatur. Martialis,

Vt ſapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quàm ſæpe petet vina pipérque coquus?

Melior huius vocabuli videtur hæc cauſa, quàm ea quæ quibuſdam placet, fatuos dictos qui furore quodam (quali vxor regis Fauni Fatua nomine, corripi ſolebat) futura prædicunt, vt illa faciebat. Stolidus eſt, qui proxime accedit ad naturam ſenſúmque pecudum.

EPITOME.

Beatus dicitur, bene habens, ea videlicet omnia quæ ad vitæ vſum ornatúmque ſpectant. vnde & alia res, vt vox abundans, & omneis numeros ſuos habens, beata dicitur. Beati quoque ſunt ſuperi, qui iidem fœlices. Sed de hac re latius Mancinellus ex Beroaldo collegit, dicẽs, Beatus proprie qui dici poſſit, à Seneca, & M. Tullio, ab Horatio, ab aliis pluribus docemur. Seneca enim epiſtola prima lib. 6. ita ſcribit, Si vtique vis verborum ambiguitates deducere, hoc nos doce. beatum, non eum eſſe quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit, ſed illum cui bonũ omne in animo eſt, erectũ & excifum, & mirabilia calcãtem: qui neminem videt cum quo ſe cõmutatũ velit: qui hominem ea ſola parte exiſtimat, qua homo eſt: qui natur a magiſtra vtitur, ad illius leges cõponitur, ſic viuit quo modo illa præſcripſit. cui bona ſua nulla vis excutit, qui mala in bonũ conuertit, certus iudicii, inconcuſſus, intrepidus: quem nec aliqua vis mouet, nulla perturbat: quem fortuna quũ in eum quod habuit telum nocentiſſimum vi maxima intorſit, pungit, nõ vulnerat, & hoc raro. nam cætera huius tela quibus genus humanum debellatur, grandinis more diſſultãt, quæ incuſſa tectis ſine vllo habitatoris incommodo crepitat, ac ſoluitur. Apuleius etiam in libro de philoſophia ſic ait, Verum enimuero illum omnibus beatum videri, cui & bona ſuppetunt, & quemadmodum carere vitiis debeat, callet. Et M. Tullius lib. 5. Tuſcul. ita ſcribit, Videamus qui dicendi ſunt beati. equidem hos exiſtimo qui ſint in bonis, nullo adiuncto malo. Horatius verò libro primo epiſtolarum ad Quintium inquit, Néve putes alium ſapiente bonóque beatum.

Beatus. CAP. CXIIII.

BEatus qui rebus omnibus ad vitæ vſum, ornatúmque ſpectantibus abundat. Ideóque locupletes ſanè omnes beatos vocamus. vt apud Iuuenalẽ, Vetulæ veſica beatæ. Et Cicero, Sint florentes, ſint beati. Et alibi, Crotoniatæ quondam quum florerent omnibus copiis, & in Italia quum in primis beati nominarentur. Vnde apud inferos in Elyſiis campis beati vocãtur, & à nobis qui apud ſuperos viuunt: vt penè idem ſint fœlices & beati, fœlicitas & beatitudo. Fœlices inquam omniũ bonorum compotes. Sunt & aliæ res pro ſua quæque natura beatæ fœliceſque: veluti de voce apud Quintilianum, Ornata eſt pronuntiatio, cui ſuffragatur vox facilis, magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, ſecans aera, auribus ſedẽs. Beata dixit pro eo quod eſt plena & perfecta. Et alibi, Nam vocis quantã in nullo cognoui fœlicitas.

Fœlix.

Lib. 11. cap. 3.

Lib. 10. cap. 1.

EPITOME.

Mollities, pro rerum qualitate, laudi aut vitio datur. Nam mollis homo vituperatur. molle ſignum laudatur, quaſi flexibile & viuam effigiem habens. Eſt autem ſignum, fuſa, ſculpta, aut cælata effigies. Tabula, quæ picta eſt.

Mollis homo, Molle opus. CAP. CXV.

MOllis homo dicitur, & molle opus. hoc in laudem, illud in vituperationem. Virgilius,

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi. Idem,

Excudant alii ſpirantia mollius æra,

Credo equidem viuos ducent de marmore vultus.

Quod non sine ratione factum est. Nam qui non fuerit seuerus, fortis, & constans, & in morem rei duræ patiẽs, resisténsque fortunæ vel aduersæ, vel blandæ: hic mollis est, similis ceræ, & tenellis plantis: quum præsertim qui mollicula membra habent, ferè molli sint mente, vt pueri, fœminæque. Contrà autem milites, nautæ, agricolæ, vt corpore, ita animo indurati putantur. hoc igitur modo mollis accipitur in vitiũ. In laudem verò, quòd vt vitio datur durum, vt durus cibus, durum cubile, durũ solum: ita durum ingenium, veluti durus equus ad domãdum, durum ingenium ad docendum, & (vt sic dicam) sculpendum: eadem ratione molle dicetur, quod nõ est durũ, eritque laudabile. Quintilianus de signis loquẽs, inquit: Illius opera duriora, huius molliora. Dicũtur autem signa, opera sculptilia, siue fusilia, siue cætera eiusmodi ad effigiem animalium fabricata: quemadmodũ tabulæ, opera pictorum. Siquidem in tabulis antiqui pingebant, non in parietibus. Hæc talia magis dicentur mollia, quæ fiunt, quàm ingenium quod facit. Signa. Tabulæ.

EPITOME.

Crudus, cibus nõ coctus dicitur. Crudus homo, qui cibum difficulter digestibilem comedit, aut qui nondum digestum habet: item qui ex hoc, truci aspectu est. Præterea crudum dicitur, recens & non maturum.

Crudus. CAP. CXVI.

Crudus vocatur, non qui cibum indigestum habet in stomacho, sed qui ægre, difficiléque digestibilem, & à quo offenditur, vel tanquam nimio, vel tanquam noxio. vt Cicero de Roscio, Qui in cœnam non veniret, quòd esset crudior. Et Quintilianus, crudo oratori declamandum non putat. At cibo indigesto ferè & oramus, & negotia agimus, vel magis quàm digesto. Siquidem digesto & modificato cibo, iterũ refici maluimus, quàm cætera facere. Appellamus autem hominem crudũ, præsertim qui est truci aspectu, quòd eius aspectu oculi nostri offenduntur, vt stomachus cruditate cibi: vel quòd facies crudũ habentis animũ insuauis & fœda est, vt facies crudum stomachum habentis, siue crudũ cibũ in stomacho. Est etiam crudum idem quod recens. Vnde crudus dolor, crudum vulnus. Et recrudescere dolor, & vulnus dicitur, quasi renouari. Et cruda poma dicimus, quæ non sunt matura. vt Cicero, Poma quæ cruda sunt, vi auelluntur: quæ autem cocta & matura, decidunt. Recrudescere

EPITOME IN PROOEMIVM QVINTI libri Elegantiarum.

Quoniam per triennalem occupationẽ atque peregrinationẽ à literis abstractus, filiæ, id est cõpositioni huius operis edendi, dotẽ, id est accessionẽ variarũ eruditio-

num comparare non potuit, neque si potuerit, operæpretium se facturum norit, cum copia sæpe nauseam pariat, & non formosa satis censeatur: qui cum prægrãdis dos exigitur, constituit filiam sex talentis dotatam nuptum dare, id est compositionem hanc sex libris locupletatam, emittere: præsertim cum exire gestiat, ne forte vel absente patre, vel mortuo prostet filia, id est ne direptioni pateat diutina lucubratio. H.d. Cæterum, ne quid lateat, sciemus opus ab authore edi, atque emitti, sed sponte aut per se exire. Persius, Siquid tamen aptius exit. Ordo autem in principio est, Tertius & prope quartus annus agitur iam mihi peregrinanti semper, & volitanti per omnia maria & terras, & experto etiam militiam æstate proxima, & quidem tota. Vnde non legam, totam militiam: sed, tota æstate. Vsus est autem in tempore continuo ablatiuo, iuxta sententiam suam prius visam. Quid putandum est vniuersa fecisse? supple, quantum incommodi attulerit. Ad studia respeximus: quasi commiserantes ac dolentes iacturam, id est amissionem. tractum à iactura nauigantiũ. Dic mihi musa, &c. Sic transtulit Horatius in arte poetica. An faciendũ: id est an plus scribendũ. sunt qui finiendum legant. præsertim viuentibus. Dotem filiæ, id est doctrinam operis huius. Proci, sunt qui coniugẽ petunt. Alios magis incipit amare quàm patrem. alludit ad filias adultas, quæ virum expetunt. Quod dii omen auertant. honesta parenthesis, ex more antiquorum sumpta. Maro AEneidos secundo, Quod dii prius omen in ipsum Conuertant. Virgo præsertim, Virginem dicit, quia alibi nihil ab aliis præsertim viuentibus prælibatũ se assumere fatetur. Sanctitatem vxoris, id est integritatem doctrinæ. Reliqua nota sunt.

LAVRENTII VALLAE IN QVINTVM librum Elegantiarum Præfatio.

TErtius iã mihi, & propè quartus annus agitur peregrinanti semper, & per omnia maria terrásque volitãti, proxima etiã æstate, & quidem tota, militiã experto: quod vtrũ honestiore, an magis necessaria causa fecerim, haud equidẽ scio. Illud tamẽ vel me non affirmante indubitatum cunctis esse non ambigo, quæ maxima atque adeò sola studiorum præsidia sunt, ea mihi omnia defuisse, literatorum consuetudinem, librorum copiam, loci opportunitatem, temporis otium, ipsam postremo animi vacuitatem. Quorum singula quum plurimum incommoditatis afferant, quum desunt, quid tandem putandum est vniuersa fecisse? Tametsi repugnauimus assiduè, & quoad licuit necessitatibus reluctati sumus: intérque nauigandum, peregrinandum, militandum, frequenter ad studia respeximus: ita vt si nihil lucri in literis (quod optabamus) certe (quod proximum est) nihil damni faceremus. quod si non contigit, iacturam hanc multarum rerum notitia, quas vel vidimus vel sumus experti, fortasse pensabimus. Hac enim præcipue via Homerus informãdum esse virum sapientem præcipit, Vlyssis exemplo. Ita nanque Odyssæam inchoat,

Dic mihi musa virum captæ post tempora Troiæ,
Qui mores hominum multorum vidit,& vrbes.

Quanquam quid tergiuersamur?quid blanda,aut inani excusatione nos fallimus? qualescunque redierimus, nihil tamen quo dotem filiæ iam me absente adultæ ampliare queamus, attulimus:& collocandi iam tempus est,satiúsque multo quamprimū nuptui dare,quàm diutius custodiendo,pudicitiæ periculum adire.Mira enim est puellæ,vel procorumvel amatorum multitudo.Ipsa quoque teneri amplius non vult. Et (quod me valde solicitum facit)alios magis incipit amare quàm patrē.Quare non vacat comparare plura, quo splendidius ac magnificētius collocemus.Sex nanque talēta,quæ ante profectionem nostram parta,ac reposita erant,in dotem dabimus:quod quum satis esse debeat,tamē plus est multo, quod posthac temporis accessione adiicere possemus.Et certe similia impedimenta(vt de morte taceā) extimescenda sunt. Ne fortè(quod dii omen auertant)vel absente patre,vel mortuo,filia (vt quæ ea ætate, atque adeò ea mente sit)prostet. Sufficiant igitur huic operi quatuor superiora volumina,quintúmque hoc deverbis,accedēte sexto de notis authorum . Quòd si etiam plura scribēdi facultas tempúsque suppeteret,nescio an faciendum putarem:quum sciam ea quæ vel optima atque pulcherrima sunt, nisi compendii gratia iuuentur, vt pontificales olim cœnæ,longitudinis fastidio laborare: simúlq; huius,de qua loquor,materiæ,neminē (de prudentibus loquor) vniuersum corpus aggredi esse ausum. nam suam sibi vnusquisque particulam ad scribendum delegit, siue ne longiore opere legentibus fastidium moueret(quod enim vocabulum nō suam habet in significando elegantiam?) siue immensitatem,infinitatémque voluminum veritus.Quibus rebus me quoque motum fuisse fateor, cum mea sponte, tum illorum exemplo maxime, ne semper imperfectum,ne semper inclusum habere,ne semper efflagitantibus opus negare videamur,néve quibus obsequi,& à quibus laudum suffragia nancisci cupimus, eisdem iustæ querelæ,iustǽque vituperationis materiam præbeamus.Tum eo quòd insidiatores,& fures re expertus(vt secundo libro dixi)cauere debeo, quos nunc multò plures esse ac fore amici ostendunt: quæ causa Prisciano(vt ipse testatur)fuit, vt festinantius opus illud de arte grammatica ederet. Hac eadem nos causa , & cæteris quas enumerauimus, sumus adacti, non modo vt festinantius libros nostros,verumetiam vt pauciores ederemus . Et illi tantū æmulorum insidiæ nocebant: mihi etiam præter cætera, fautorum

atque amantium studia nocent. Tradatur ergo aliquando viro puella, contenta hac quantulacunque dote. Non enim formosam esse credibile est, quæ maritum, nisi magnitudine dotis conciliante non inuenerit, virgo præsertim. Maritum autem puellæ cœtum literatorum intelligimus, à quo sanctitatem vxoris, pudorémque & custoditum esse cupimus, & custodiri debere testamur. Sed ad promissam verborum disputationem (cuius hoc libro locus est) descendamus.

EPITOME.

Disco, vt sciam & intelligam. Edisco, vt memoriter sciam, quod inepti dicunt, corde tenus scio. Dedisco, id est non ita esse vt didici disco. Sicut dedoceo, contrarium doceo, aut non esse quod ego aut alius docuit, doceo. Instruere autem, pro eo quod est docere, in vsu peritorum non est: sed pro eo quod est disponere ad exercitium aliquod.

DISCO, EDISCO, DEDISCO, DEDOCEO, ET INSTRVO. CAP. I.

Disco & edisco manifeste differunt. Nam discere est, vt intelligas: Ediscere verò, vt memoriter cõplectaris. Ideóque caput apud Quintilianũ quod (Lib.2.cap.7.) inscribitur de ediscendo, ita incipit: Illud ex consuetudine mutandum prorsus existimo in his, de quibus nunc disserimus ætatibus, ne omnia quæ scripserint ediscant, & certa, vt moris est, die dicãt. Dedisco, quod didici obliuiscor. Dedoceo te, ostendo falsum esse quod doctus es, docens quod verum est. vt apud eundem in secundo, (Cap.3.) Et quidem dedocendi grauius ac prius onus, quàm docendi. Illud, quo quidam vtuntur, instruo, quale est, Instruam te in via hac, qua gradieris: nobis apud idoneos authores incompertum est. Dicimus enim, Instruo classem, instruo aciẽ, instruo causam, instruo militem: non autem discipulum, aut mentem alicuius, nisi eo modo, quo instruimus ea quæ dixi.

EPITOME.

Excogitare, est inuenire consilio & cogitatione. propriè res incorporeas. Reperire, casu & fortuna. Inuenire, vtroq; modo, & tã res corporeas quàm incorporeas. Offendere, aut reuertendo quasi in via, vt lapidẽ, præter spem inuenire, aut etiam aliter inuenire. Nancisci, est quasi labore ac conatu inuenire, aut etiã aliter. Reperio autem, quia venit à pario, videtur ex natura studium & laborem poscere. vnde raro vbi à casu inuenire significet, reperitur. Sunt autem qui inuenire dicant rem nouam: quasi in eius cognitionem per studiũ venire. Reperire, prius habitam, quasi iterum parere. à qua differentia, natura vocabulorũ nõ abhorret: sed confunditur.

Excogito, Reperio, Inuenio, Offendo, Nactus sum. CAP. II.

Excogitare, est per cogitationem inuenire: ídque ad res tantum incorporeas pertinet: vt, Excogitauit argumenta, rationes, figuras, causas. Est ergo excogitare & inuenire, consilii:

reperire verò, fortunæ. vnde Ouidius,

Tu non inuenta, reperta es. Sed iam vsus obtinuit, vt idem sit reperio, quod inuenio. Est autem inuenire, vel consilio, vel casu, siue corporea, siue incorporea reperire. Offendo ferè quod reperio: neque solum reuertendo: & ad statum rerum publicarū vel priuatarum pertinet. vt, Offendes Rempub. perturbatam consiliis nepotis mei: verumetiam sine his, vt idē Cicero, Sed tamen neminem tam maleficum offendi, qui illum negaret Antonii dignum senatu. Nactus sum, etiam pro inueni, seu reperi, frequenter accipitur. Vt idē in Paradoxis, Eū tu hominē terreto, siquē eris nactus, istis mortis aut exilii minis. Et de senectute, Vitis quidem quæ natura caduca est, & nisi fulta est, fertur ad terrā, eadem vt se erigat, clauiculis quasi manibus, quicquid est nacta, cōplectitur.

EPITOME.

Desipio, aut desipisco, est male sapio, vbi bene sapui, & à sensu meo destituor. Resipio aut resipisco, sensum ac sapientiam meam recupero.

Desipio, Desipisco, & Resipisco. CAP. III.

DEsipio, siue desipisco, significat vel quòd aliquid à communi sensu, sapientiáque minus habeo, vel quòd à meo sensu destituor. Quod ferè vitium, aut ex ætate venit, aut ex morbo, aut timore, aut amore, aut simili aliquo affectu. Cuius cōtrariū est, resipiscere. & senes quidē iā demētes nunquā resipiscunt: cæteri autē resipiscere, id est, ad piorē mētis statū, vel ad meliorem mentem redire solēt. Terentius, Multo omniū nūc me fortunatissimum puto esse gnate, quum te intelligo resipuisse.

EPITOME.

Prohibere, est vetare ante inceptionem, & re incœpta, ne videlicet quid incipias, aut ne incœptum perficias. Inhibere, tantum de re incœpta, ne eam perficias.

Prohibeo & Inhibeo. CAP. IIII.

PRohibeo, vel generale nomē est, vel ante rē inceptā: Inhibeo autem, re iam incepta. Illud vetat, ne quid facias, vel nequid incipias: hoc ne pergas ire desistásq; ab incepto. Virgilius,

Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ. Idem,
Parcite iam Rutuli, & vos tela inhibete Latini.

EPITOME.

Vtimur rebus, ad aliud per eas obtinendū. Fruimur ipsis propter se ad delectationem quam habemus in ipsis. Sed dicimus nos vti interdū rebus: quibus verò similius est nos frui, propter honestatem. Vtimur autem personis, quando cum eis conuersamur, non solum quādo earum opera vtimur. Fretum esse, est quasi cōfisum, & munitum esse. Vsus autem, pro vtilitate capitur. Fungimur autē officio, quādo ipsum agimus. Defuncti autē sumus officio, aut vita, quū hoc vel hāc depleuimus, nec amplius agimus. Potimur autē re, quā per laborem obtinuimus. Cōtra id autē quòd fruitū dicit in vsu nō esse, & tantū duo supina à fruor ponit, dicit Mācinellus sic, Fruitus, & Caper grāmaticus, & alii vsi sunt. Ait autē Caper, Fruitus sum illa re. Mancinellus.

Veteres vix dixerunt Fruitus ſum illam rem. Gellius autem libro decimoſeptimo cap.2.refert Næuium dixiſſe, Qui non parſit apud ſe, fruitus eſt. Et Cicero libro tertio Tuſcul. fruiturum dixit, vbi ait, Conſyderétque ſe fruiturum &c. Cæterū fruor, etiam fructus ſum facit. Cicero enim in Hortenſio inquit, Vt amœnitate ſummæ fructus eſt. Quod quidem Priſcianus lib.10 aſſerit.

Vtor, Fruor, & Fungor. CAP. V.

VTor & Fruor apertè differunt, ſed non ea ratione, qua quidam volunt, omnia ſua imperitia confundentes, qui aiūt nos vti humanis, frui verò diuinis: imò & diuinis vtimur, & humanis fruimur. Quis enim mihi vſum diuinorum interdicat? quis rurſus vetet me frui rebus meis, labore & induſtria paratis? Aut quis dicat me frui ſacris, quum in illorum verſor vſu atque adminiſtratione? Vel quis neget, quum voluptati operam do, me frui his rebus vnde capio voluptatem? Quòd ſi dicerent debere nos frui rebus diuinis, vti verò humanis (quanquam ne in hoc quidem illis accedo) fortaſſe audirem. De rebus enim nō de verbis diſputarent. Nunc verbum exponunt, non res. Sed hos cum ſua imperitia, & (quod fœdius eſt) cum ſua pertinacia relinquamus. Vti igitur eſt alterius rei gratia, Frui nullius, ſed (vt ſic dicam) propter ſe. In illo iter eſt, in hoc meta. Hoc alterius finis, ad quem illud tendit. qui hoc habet, quieſcit & contētus eſt: qui vtitur, nunquam contentus eſt, ſempérque vlterius tendit. Ideóque reprehenſus eſt Hannibal, qui quum poſſet vti Cannenſi victoria, frui maluit. Vtor armis, vtor domo, vtor libris, vtor ſtudio, diligentia, operáque, vt ex hoc poſtea emolumenti aliquid boniq; conſequar. Fruor bonis meis, fruor tuo aſpectu, tuo colloquio, tuo cantu: hoc eſt delectationem voluptatémq; percipio ex hac re, atque ex huius rei vſu. Nonnunquam eadem re duo pariter, hîc vtitur, ille fruitur: vt ſi alter ad focum ſedeat ſanitatis cauſa, alioqui id non facturus, alter voluptatis: hic non tendit vltra, ſed apud finem ipſum quieſcit: ille non contentus præſenti conditione, ad vlteriora tendit. qualis Hannibal ſi fuiſſet, nec tam præſenti victoria requieſcere, quàm progredi maluiſſet, non eum Adherbal ſcire vincere, ſed victoria neſcire vti, dixiſſet. id eſt qui frui illa, quàm vti maluerat. Dicimus tamen nonnunquam vtimur pro fruimur, verecundiæ cuiuſdam cauſa. vt, Vtor pane triticeo, vtor palmulis, vtor ficis, quaſi viuēdi potius cauſa edamus, quàm edendi cauſa viuamus. Denique frui eſt delectationem capere ex vtendo. Itaque in idem recidunt, idémque efficiunt frui, delectari, voluptatem capere. Quo fit, vt non fuerit cauſa cur recentiores hoc vocabulum frui, vnde venit fruitio, ſolis rebus diuinis dare voluerint. Habet enim hoc verbū duo ſupina, fruitū,

Vti. Frui. Fruitum.

& fretum,quorum primum vix in vſu eſt,niſi apud eos qui verborum nouitatibus & gaudent & gloriantur. Secundum ſignificat confiſum.vt,Fretus fortaſſe familiaritate quæ eſt ei tecum, Fretus.
auſus eſt confiteri. Adiungimus etiam alterum verbum ad perſonam(de vtor dico)ſignificátque conuerſor. vt,Opera tua vtor. Vtor.
Idem Cicero ad Cælium,Fabio viro optimo & homine doctiſſimo,familiariſſimè vtor.Et inde fit vſus:vt,Vſus mihi fuit tecum, Vſus.
id eſt conuerſatio,familiaritas & conſuetudo.Quintilianus,Mulierem cum qua longa conſuetudo ſeu longus illi fuerat vſus. Atque quia ſolemus aliqua re ideo vti , vt ex ea fructũ percipiamus, factum eſt vt dicamus vſum pro vtilitate & fructu, tam in ſingulari quàm in plurali: quorum exemplorum plena ſunt omnia. Fungor autem, idem eſt quod officium munúſque ago: Fungor.
vt,Fungor magiſtratu, fungor prætura, fungor legatione, fungor officio delegato,fungor munere iudicis . Fungor autem vita,quod fungor officio vitæ,& munere adminiſtrãdi gubernandiq; corpus, munere inquã aſſignato nobis ab imperatore Deo. Inde defunctus eſt vita, id eſt finiuit officium vitæ. Virgilius, Defunctus.

O tandem magnis pelagi defuncte periclis.

Titus Liuius, Defũcta morbis corpora ſalubriora eſſe incœpere. Defunctus periculis,quòd finita ſunt pericula:& Defuncta morbis corpora,quòd finiti ſunt morbi corporum. Legimus etiam, Defunctus morte,id eſt vitam finiuit.De potior dixi alio loco.

EPITOME.

Stare,eſt non ire,nec progredi in his duntaxat quæ carent pedibus,aut quæ erecta non ſunt,vt nauis,flumen,currus,ſol,ius,forum,anguis,piſcis,lacertus,& auis in aere ſtant.Stant erecta etiam,dum nondum ceciderunt:vt arbor,ſimulachrum,domus,columna.Stant præterea erecta,& non euntia,quæ tamen ire poſſunt : vt homo,equus,volucris . Sedet autem homo & ſimia,& his ſimilia ſiqua ſunt,propriè. aues autem ſedere,eſt eas in altiori loco eſſe : vt paſſeres ſedent,dum in tecto ſunt, & cornices dum in arbore ſunt &c. nec ſtant propriè,licet crura erecta habeant,ſicut nec homo in equo ſtat,ſed ſedet.Sidere,eſt deſcendere & peſſum ire ad capiendam ſedem,vt aues,& limus,ac fæx deſidunt. Deſido autẽ & ſubſido, à ſido componuntur. Sido item,cum compoſitis,præteritum à ſedeo, in voce quidem,mutuatur,id eſt mutuo accipit.Et ſicut ſido à ſedeo differt,ita ſiſto à ſto. Nam ſiſtere, non eſt ſtare,ſed continere,& facere ſtare . ſicut enim qui ſidit, nondum ſedet, ſed ſedebit:ita qui curſum ſuum ſiſtit,nondum ſtat, ſed ſtabit.Vtrunque autem tam ſiſto quàm ſto,habet ſtatum in ſupino.vnde Iuppiter ſtator,quia ſtare fecit populum Romanum,dictus eſt,nõ quia ipſe ſtat. Siſtere quoque,eſt repræſentare. inde ſtator, nuntius ac tabellarius conſulis. Calepinus tamen defendit non ſatis conſtanter ſtatorem à ſtando dictum.Gellius docet præteritum verbi ſiſto eſſe ſtiti,lib.1.cap.13.

Sto,Sedeo,Sido,Siſto,& Stator. CAP. VI.

STare,eſt non ire, in his duntaxat quæ eunt ſine pedibus,aut quæ erecta non ſunt. vt Nauis ſtat,flumen ſtat, currus ſtat,

ſol ſtat: vnde eſt ſolſtitium & iuſtitium, quia ius ſtat, forúmque clauſum eſt. Anguis etiã & piſcis, & lacertus, & auis in aere ſtant. Quædam ediuerſo dicuntur ſtare, quæ erecta ſunt, quandiu non cadunt. Sed hæc ferè ſunt inanimata. vt Arbor ſtat, ſimulachrum ſtat, domus ſtat, columna ſtat. Quædam verò non dicuntur ſtare, niſi nec eant, & erecta ſint. vt Homo, equus, volucríſque ſtat. Nanque homo quum ſedet, & equus quũ recumbit, & auis quũ cubat, non ſtant, nec tamen eunt. Illud tamen notandum, aliter dici ſedere de hominibus, aliter de auibus. Nam cætera non ſedent, niſi ſimia, & ſiquid eſt ſimile. Ipſum verò ſedere auium, eſt in loco altiori eſſe. vt, Paſſer ſedet in tecto, hirundo ſedet in pertica, cornix ſedet in arbore. Nec rectè dixeris, Stat in arbore, ſed tali potius quodam modo, Cornix ſtat, non cubat. Virgilius,

Alitis in paruæ ſubitam conuerſa figuram,
Quæ quondam in buſtis, aut culminibus deſertis
Nocte ſedens, ſerum canit importuna per vmbras.

Lib.2.cap.4. Quintilianus, Vt ſi quæratur, an ſit credibile ſuper caput Valerii pugnantis ſediſſe coruum, qui os oculóſque hoſtis Galli, roſtro atque alis euerberaret. Denique eodem modo dicitur ſedere auis ſupra rem quampiam, vt homo ſuper equũ, aut iumentum, non dicitur ſtare aut manere, ſed ſedere, quocunque modo, aut quocunque corporis habitu, geſtúque compoſitus ſit. Sidere autem à ſedere multum diſtat. Eſt enim ſidere, deorſum deſcendere, peſſúmque ire. Virgilius,

AEneid.6. Sedibus optatis gemina ſuper arbore ſidunt. Id eſt, ab alto demittũtur. vnde deſido, ſubſido. vt Idem, Subſidere valles. Et iterũ, Subſedit dubius. Nam (vt ego ſentio) à ſedeo præteritũ mutuatur. Inde inſido quoq; inſedi, & reſido reſedi, aſſido aſſedi. Siquidem aſſidere eſt apud aliquem, vt ægrotũ, vt regem ſedere. Quũ enim Salluſtius inquit, Conſul poſtquam aſſedit: magis ab aſſido quàm ab aſſideo præteritũ hoc eſſe, ſignificatio poteſt eſſe documento. Vt autem à ſedeo diſtat ſido, ita à ſto ſiſto. vt, Siſte lachrymas, ſiſte fugam, ſiſte gradum. id eſt fac ſtare gradum, ſtare fugam, ſtare lachrymas. Atque vt illa ſuperiora idem præteritũ habent, vel alterum ab altero mutuũ ſumit: ita hæc duo idem ſupinum, vel ſiſto à ſto, vel ſto à ſiſto accipit, quod eſt ſtatum. Vnde fit ſtator, quod magis à ſiſto quàm à ſto deſcendit. ob ídq; Iupiter ſtator vocatus eſt, qui Romulũ orantem, vt fugam ſuorum ſiſteret audiuit. Quare neſcio cur Hieronymus contra Iouinianũ dixerit, Offendet Iouem ſtatorem, qui libẽter ſederit. quaſi Iupiter ſtator à ſtando dicatur, & non à ſiſtendo. Nimirũ oblitus hi-

Aſſido. (margin, beside "tur. Inde inſido…")

Hieronymus notatur. (margin, beside "ſiſteret audiuit…")

ſtoriæ eſt, vt ſuper Ionam fabulæ, vbi ait, Ex Ioppæ Iudææ portu Andromedam à Perſeo liberatam. In quo eorum manifeſtus eſt error, qui quum legunt quòd Ionas ſurrexit, vt fugeret in Tharſis, & venit Ioppen, opinantur hanc eſſe Andromedæ vrbē, quum ſit in India ciuitas Tharſis, vnde illa fuit, vt ipſe quoque Hieronymus meminit. Ouidius libro primo de arte amandi,

Andromeden Perſeus nigris portauit ab Indis.

Et Sappho ad Phaonem,

Candida ſi non ſum, placuit Cepheia Perſeo
Andromede, patriæ nigra colore ſuæ.

Eadem obliuio eiuſdem fuit, quòd Gallos matris deûm in Oſee ait eſſe ex gente Gallorū, qui à Romanis ob ignominiam illius nationis vindice animo effœminantur, quū à Græcis hoc antea, vt tūc, fuerit factitatum. Siſtere dicimus etiam pro repræſentare, & præſentiam corporis exhibere, dictum ab eo quod non tantū comparere quis debet, niſi & manſerit. vnde de iudicio ſiſti, hoc eſt de ſiſtendo aliquem in iudicio. Cicero ad Atticū, Des operam id quod mihi affirmaſti, vt te ante Calendas Ianuarias, vbicūque erimus, ſiſtas. Et hinc ſtator, nuntius tabellariúſve conſulis. Idem de Officiis lib. 3, Vas factus eſt alter eius ſiſtēdi, vt ſi ille nō reuertiſſet, moriendum eſſet ſibi. Virgilius, Et patrio te limine ſiſtam. Stator.

EPITOME.

Appetimus cum affectu: Expetimus cum ratione.

Appeto & Expeto. CAP. VII.

Appeto cum affectu, Expeto cū ratione. Appeto qualiacunque, Expeto honeſta, planéq; bona. Vnde de rebus expetendis ſcripſere philoſophi, quæ ſcilicet peti debent: non autem de appetendis, ex quo deriuatur appetitus, qui immenſa & immoderata cupiditas dicitur. Quare qui dixit, Omnia bonū quoddam appetere videntur, mallem dixiſſet expetere.

EPITOME.

Vēdico, eſt quaſi approprio (vt ſic dicā) & meū eſſe dico: regítq; ferè datiuū pronominis primitiui. Vindico, eſt vlciſcor, vnde vindicta: aut ab iniuria cōtumeliáve defēdo, aut in libertatē ſeruitutémve aſſero: vnde ſūt qui pro vtroq; vindico dicāt.

Vendico & Vindico. CAP. VIII.

Vendico idem eſt quod (vt ſic dicam) approprio, ac meum eſſe dico. Quintil. Circo vſitatum nomen Pœni ſibi vendicant. Et iterum, Ruſticus petit partem bonorum, orator ſibi totum vendicat. Et ferè hoc verbum poſtulat datiuum, & hunc frequentiſſime ex pronominibus primitiuis. vt, Hunc agrū ego vēdico mihi, tu vēdicas tibi, frater vēdicat ſibi. Vindico, vlciſcor. vnde vindicta, quoties iniuriā contumeliámve illatā punio. Vindicta.

Interdum vindico,id eſt quod ab iniuria,contumeliáve,ſiue iactura faciẽda defendo. Cicero pro M. Marcello, Nobiliſſimámque familiam iam ad paucos redactam penè ab interitu vindicaſti. Idem de Senectute, Et eſt ſenectus natura loquacior, ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare. Vitiis, id eſt vituperationibus, quemadmodum criminibus, pro criminationibus. Dicimus vindicare in libertatem, aut in ſeruitutem, quaſi aſſerere in libertatem, aut in ſeruitutem, non (vt quidam volunt) vẽdicare. vt Liuius libro viceſimotertio, Intermori vehemẽtioribus, quàm quæ pati poſſit, remediis ciuitatẽ ſinere in ipſa vindicta libertatis perituram. Et in ſecundo, Præmium indici pecunia ex ærario, libertas & ciuitas data. Ille primum dicitur vindicta liberatus. Quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant, Vindicio ipſi nomen fuiſſe. Ego neſcio an vendico reperiatur, ſed tantum vindico.

Vitium. Crimen.

EPITOME.

Explodo, eſt manibus eiicio cum ſonitu & irriſione. eſt enim contrarium eius, quod eſt applaudo. Complodo autem, eſt manus inuicem collido, aut ad teſtificationẽ, aut præ gaudio, aut præ admiratione ſubita, aut conſimili de cauſa. Supplodo, eſt pedem in terram incutio. quod in oratore interdum laudatur. Exibilatur illud Ciceronis, id eſt cum ſibilo eiicitur. Componitur enim ab extra, & ſibilo. ſed poſt x, auferri ſolet ſ litera. vt, exulto, pro exſulto. exors, pro exſors &c.

Explodo, Complodo, Supplodo. CAP. IX.

EXplodo non tantum ſignificat eiicio, ſed eiicio manibus & quidem cum ſono pulſantibus: qualiter quẽpiam è domo, è theatro, ex aliquo concilio iniectione manuum atque pulſatione eiicimus. Quod apparet ex aliis à plodo compoſitis, complodo & ſupplodo. Eſt enim complodere, aduerſas manus inuicem collidere: quod fieri pluribus de cauſis ſolet, vel ad teſtificãdum, more fœminarum, dolorem: vel præ gaudio, vel per ſubitam admirationem, vel ſiquæ ſunt aliæ cauſæ. Supplodere, eſt pedem terræ incutere: quod interim ſolet in oratore laudari. Itaque quũ dicit Cicero, Quoniam Pyrrhonis, Ariſtonis, Herilli iampridem exploſa ſententia eſt: appoſitiſſimo vocabulo (vt ſemper) eſt vſus. Non enim dixit eiectam ſententiam eo modo quo cætera eiiciuntur, ſed quaſi pulſatione manuum, tanquam ipſi illi huius ſententiæ authores è cœtu ab ipſo cœtu, iniectis in eos manibus, eiecti ſint: vt apertius alio loco indicat, Hiſtrio ſi paulum ſe moueat extra numerum, aut ſi verſus pronũtiatus eſt vna ſyllaba breuior, aut longior, exibilatur & exploditur.

Complodere. Supplodere.

EPITOME.

Dicere, eſt oratorum eleganter & ex arte loquentium: inde dictio, facũda & oratoria oratio. Sed prout dicere eſt quomodocũq; loqui, venit dictio pro vocabulo.

Dictito autem frequentatiuum est à dico: nascitur tamen à dicto. sed illud accipitur pro eo quod est dico & pronuntio, vt alter accipiat, & stylo manúque notet. Simili ratione à venio, venit ventito, quod est quasi frequenter venio : & aduento, quod est proximum esse veniendo. Victitare quoque non est frequenter viuere, sed vesci. Dicacitas autē, est sermo cū risu aliquo incessēs. Dictū autē, est interdū idē quod est σκῶμμα Græce, id est ridiculum ac facetia cum irrisione amara ei in quē dicitur.

De Dico, & quibusdam compositis ab eo. CAP. X.

Dicere, propriè est oratorū & eleganter, facūdéque loquentium. Quintilianus libro decimo, Nā mihi ne dicere quidem videtur, nisi qui disposite, ornate, copiosé que dicit. Cicero de Officiis, Vt non modo Græcarum literarum rudes, sed etiam docti aliquantum se arbitrentur adeptos, & ad dicēdum, & ad iudicandūm. id est, in oratoria arte, & in philosophia. Omnes ferè codices habent discendum pro dicēdum. Quod exemplum ideo subieci potissimum, vt vulgus emendarem. Vnde dictio vocatur, oratoria & facunda oratio. Nā ab illo generali huius verbi significato fit dictio, quæ est vocabulum, siue verbū. Ex hoc ipso verbo dico, duo frequentatiua oriuntur, dicto & dictito. sed posterius potius frequentatiuum est, & idem est quod frequentibus temporibus, frequentibúsque locis dico & narro. Alterū autem est, quod dico, si id alter scribens excipiat, & manu stylóque notet. vt Cicero ad Atticum quadā epistola testatur, se illam non scripsisse, sed reparandi lateris gratia obambulantem dictasse. Et Quintilianus delicias dictandi appellat, sentiens delicati, nō laboriosi esse dictare, nec accurate dictando scribi. Ita dicta sunt dictito & dicto à dico, vt ventito & aduento à venio, & eadem penè ratione significant. Nam ventitare est frequenter venire: Aduentare verò proximum iam esse veniendo. Victitare autem eodem modo dicitur, significátque non frequenter viuere, sed vesci, & quasi victu vti, siue tali genere victus frequentissime & ferè semper vti. vt, Sarmatæ victitant lacte. Dictum & dicta de omni sermone intelliguntur, sed specialem quoque significationem habent pro dicaci sermone. vnde dicta est dicacitas, quam Quintilianus ita diffinit, Dicacitas sine dubio à dicendo, quod est omni generi commune, ducta est. Propriè tamē significat sermonem cum risu aliquos incessentem. Ideo Demosthenē vrbanum fuisse dicunt, dicacem negant. Dicacitas igitur (vt dicebam) sermo cum risu aliquos incessens. Dictū vocatur, quod Græce σκῶμμα dicitur. quale est Ciceronis, Nisi fortè iure Germanum Cimber occidit. Germani, quos Francos nunc dici Hieronymus ait, & Cimbri, nationes sunt olim inter se dissidentes. Cicero autem de quodam cui nomen erat Cimber, à quo frater occisus est, lo-

[Margin notes: Cap.7. In præf.lib.x. — Dictio. — Dicto. Dictito. — Lib.10.cap.3. — Ventito. Aduento. Victito. — Dictū. Dicta. — Lib.6.cap.de risu. — Dicacitas. — Dictum. — Philip.11.]

quitur, captans risum ex hac ipsa ambiguitate sermonis. Et illud Terentiani Thrasonis in adolescentulum, quod & Gnato vetus dictum credidisse se simulat, id est veterem facetiam, ac vetus ridiculum,

In Eunucho. Tute lepus es, & pulpamentum quæris. Valerius Martialis ad Domitianum,

Consueuere iocos vestri quoque ferre triumphi,
Materiam dictis, nec pudet esse ducem.

Qualia autem sint dicta, quæ in ipsum triumphantem milites iaculari solebant, illud quod Cæsari Dictatori fuit decantatum, erit exemplo,

Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.

Illud subegit, & Cæsarem in quem dicitur, mordet, & aliis apud quos dicitur, risum mouet.

EPITOME.

Adorare, est gestu corporis honorem, etiam sine ore & voce, impendere. Supplicare, licet à plico venit, fit etiam sine plicatione, sed non sine voce. vnde homini tantum competit. Adorare, etiam brutis. Oramus autem, & precamur viuẽtia. Adoramus & salutamus etiam inanimata.

Adorare & Supplicare. CAP. XI.

ADorare ab oro, quod est ore precor, componitur. Supplicare à plico, quòd genu, poplitémque aut ceruicem plicamus, quum à potentiore aliquo magnum quid precamur. Et tamen adorare sine ore, hoc est, sine voce fit, non sine plicatione genuum, ac gestu corporis: Supplicare sine plicatione genuum ac gestu corporis, non sine ore & voce. Hinc est quare supplicare tantum homini datur, adorare etiam mutis. vnde elephas & phœnix, & alia quædam irrationalia solem adorare dicuntur. Nósque rebus mutis, & sensu carentibus non supplicamus, sed adorationis honorem exhibemus, vt regum statuis, signis, vestibus, literis, aliísque similibus. Et præcipue picturis, imaginibúsq;, tum Dei, tum sanctorum, tum ipsius etiam crucis, quam sapientes adorãt, stulti etiam orant. Quod de cruce, idem etiam de sudario dico, cæterísque similibus. idem de reliquiis sanctorum, quorum corpora præsentia adoramus, animas verò absentes oramus. Siquid autem ad hæc muta, quæ videmus, dicimus: salutatione vtimur, non precatione, quale est, Salue sancta crux.

EPITOME.

Assurgere, est quouis modo se ad exhibendum alteri honorẽ erigere. vnde cum datiuo ferè construitur.

Assurgo. CAP. XII.

ASsurgunt sani, vt stēt, aut vt obuiam eant: assurgūt ægroti, vt sedeant, aut vt cubito innitantur. Vtroque modo, in alterius honorem, aut officii, aut beneuolentiæ causa hoc agentes. Ideóq; ferè adiungitur datiuus. vt, Aduenienti magistratui omnes assurgimus etiā morbo affecti, videlicet ob honorē. Et pater quū iacêret in lecto, redeunti à peregrina militia filio, assurrexit, optatissimū illud caput amplexurus. nempe ob charitatem.

EPITOME.

Sustuli, est aut habui seu genui filiū, aut èducaui, aut submoui, aut sursum tuli. Tollere enim, est educare & capere, atque educere. vnde sustuli & tuli, vtrūq; significat.

Tollo. CAP. XIII.

SVstuli filium ex vxore, id est habui filium. Itē Sustuli filium, id est educaui. & ab vtroque fit sublatum. Primum est à tollo, pro capio. secundū à tollo, pro educo. Paulus, Tamen intelligendum est de his legem sentire, qui liberos tollere possunt. Itaque si castratum libertū iureiurando quis adegerit, dicendum est non puniri patronum hac lege. Quintilianus, Cupidus ego liberorum vxorem duxi, filium sustuli, natum educaui, in adolescentiā perduxi. Aliud est igitur hîc sustulisse & educasse. Et alibi, Qui ex duobus legitimis, alterū in adoptionem dederat, alterum abdicauerat, sustulit nothū. id est habuit, quanquā parum proprie significo quod volo. Nam vt fœmina quū mater fit, dicit, peperi filium: ita vir quū fit pater, dicit, sustuli filium. Terentius, Quicquid peperisset, decreuerunt tollere. id est educare. Idem, Meministin' me esse grauidam, & mihi te magnopere interminatum, Si puellam parerem, nolle tolli? Ch. scio quid feceris, Sustulisti. Eodem modo dicimus, Tulit filiū, vt sustulit. Suetonius in Domitiani vita, Deinde vxorem Domitiani, ex qua in secundo consulatu suo filium tulerat, repudiauit. Alia duo significata notiora sunt: quorum alterum est, summouisse. vt Virgilius,

Sustuli.

Tuli.

-iubet & sublata reponi Pocula. Alterū, in altū tulisse. vt Idem, Et sublatum surgit in ensem. Quæ duo declarantur ex illo in Neronem epigrammate,

Quis neget AEneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Hic sustulit matrem, quia occîdit, & de medio abstulit. Ille sustulit patrem, id est supra humeros sumpsit, & ab incendio eripuit.

EPITOME.

Prouocare, tam ad bonum quàm ad malum dicimus. Lacessere potius ad malum: sed nonnunquam etiam ad bonum. Est vtrunque incitare ad concertationē. Prouoco autē, videtur cōpositum à porrò seu procul, & voco: quòd qui hostē irritat, & ad pugnam seu certamen inuitat, eum prouocat, id est de longe vocat. sed dum

in bonam partem accipitur, potest etiam à longe posito quis prouocari, id est incitari ad bonum. Lacesso autem, videtur à lacero deductum: ideóque videtur competere propè stanti, quasi sit lacerando & disrumpendo vestem seu indumenta quenquam ad iniuriam appellando incitare. ideóque cõtra naturalem verbi significationem esset, si in bonam quoque partem accipiatur: nisi quòd amici non minus vestes nostras lacerant dum ad beneficium accipiendum nos inuitãt, quàm inimici dũ iniuriam aut contumeliam inferunt. Neque verò hoc verbum (de Lacesso loquor) desyderatiuum dici potest: aut etiam, vt viso, itionem & actum talem corporis importare. nam lacessimus præsentes: visimus autem, id est visum imus absentes, quos præsentes videmus. Sed ad authorem redeo.

Prouoco & Lacesso. CAP. XIIII.

PRouoco, in malam partem dicitur, & in bonam. De mala notum est. De bona verò, Cicero ad Brutum, Tuis literis amantissimis sum prouocatus. Lacesso plerunque in malum, vt Idem, Sed iustitiæ primum munus est, ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria. Sed nonnunquam in bonum, vt Idem quinto Tusculanarum, Tuis me amantissimis libris lacessisti. Et ad Atticum lib. 3, Quum ipse homo nũquam me lacessisset. id est, nunquam me libris suis prouocasset ad respondendũ. Est autem prouocare & lacessere, tentare ad pugnam, & ad concertationem.

1. Offic.

EPITOME.

Hiare, est sua sponte & externa aliqua vi diffindere se & aperiri. Hiscere, est os humanum aperire. vnde accipitur pro loqui. Ouidius accepit pro dehiscere, quod est etiam aperire sese deorsum ac pessum. Cæterum si hiscere sic differt ab hiare, nõ recte sentiunt qui inchoatiuum aut meditatiuum ab hio sentiunt, vt Alexander. Sed dices hisco, quum regula formet hiasco. Non enim significat incipere hiare, sed pro eo quod est aperio os (vt author sentit) duntaxat humanum. vnde accipitur pro loqui, sed (vt mihi quidem videtur) submissa voce, aut singultibus interrupta. Quinetiam si verũ est quod Seruius dicit ad illud primi AEneidos, -omnes Accipiũt inimicũ imbrẽ, rimísque fatiscunt. id est affatim, quod est abunde, hiscunt. Hiscere etiam aliis, quàm ori humano, congruit, quia etiam nauium fissuris. Vnde si dehiscere, quod est deorsum & pessum hiscere. vt AEneid. 4, Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat, Vel pater omnipotẽs adigat me fulmine ad vmbras &c. competit terræ & rebus sub nobis positis: videtur hiscere, eisdẽ competere posse. Sed author loquitur de consuetudine rectè loquentium, qui hiscere, vt plurimum, homini: hiare, cæteris rebus attribuunt. Dixi, Submissa voce. vnde negationem sæpe efflagitat, aut formidinem innuit. Iuuenalis Satyra 5, Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus, Et ponere foris, si quid tẽtaueris vnquã Hiscere, tãquam habeas tria nomina. Addidi, Aut singultibus interrupta, vt AEneidos 2, -vix pauca furenti Subiicio, & raris turbatus vocibus hisco.

Hio, Hisco, & Dehisco. CAP. XV.

HIare, est aliquid sua sponte, & externa aliqua vi diffindere. vt tellus æstu, & ligna ariditate, aut nimio calore hiãt. Hiscere, est tãtum oris, & quidem humani: & accipitur pro eo quod est loqui, aut os aperire ad loquendũ, sed ferè per negationem: vt, Corã illo nõ auderes hiscere. aut per interrogationem, Quid nũc habes quod hiscere audeas? Ouidius tamẽ poetice dixit,

Hiſcere nempe tibi terra roganda foret. Quum oratores ſoleant potius dicere dehiſcere, id eſt deorſum, peſſumq; ſe aperire.

EPITOME.

Do fidem, id eſt ſanctè promitto. Habeo fidem, id eſt credo ſeu confido. hoc dicit. Sed libet nonnihil annotare. Accipitur igitur dare, vt ex diuerſis locis annotauimus, multifariam, multiſque modis: ſed potiſſimum ſecundum adiuncta. Nam dare literas aut epiſtolam, eſt quaſi mittere, aut dare alicui perferendas ſeu perferendã. Dare epulum, eſt facere conuiuium ſeu viſcerationem. Iuuenalis, Vnde epulum poſſis centum dare Pythagoreis. Dare verba, idem eſt quod imponere. Nam imponere cum datiuo, ſignificat decipere, & facere falſum intelligere. vnde Iuuenalis Satyra quarta, Facile eſt barbato imponere regi. Dare autem verba, ideo ſignificat decipere: quòd qui ea dat, intelligitur non rem, ſed verba dare, quaſi ventis. vnde Statius in Achilleide, Irrita ventoſæ rapiebant verba procellæ. Dare nuptum aut nuptui, eſt dare in matrimonium. Dare auxilium, eſt auxiliari. Virgilius, Da pater auxilium, atque animis illabere noſtris. Dare veniam, eſt ignoſcere, ac dimittere culpam. Dare poteſtatem, eſt eam penitus aſſignare, ita vt danti vix maneat. vnde qui poteſtatem aut facultatem communicant, duntaxat dicuntur non dare, ſed facere poteſtatem. Similiter dare fidem, vt hìc dictum eſt, eſt ſanctè promittere. tractum ab his qui fidem, id eſt fidelitatem coniugalem dant, id eſt compromittunt. Dare teſtem, eſt eum aſſignare. Iuuenalis, Da teſtem Romæ tam ſanctum quàm fuit hoſpes Numinis Idæi. Dare itẽ, per ſe, eſt concedere, aut permittere optanti. vt, Quis dabit vt placida populus nos audiat aure? Quãdo verò dicit Terẽtianus Thraſo, Eſt iſtuc mihi datũ? Profecto, vt grata ſint quæ facio omnia: ſignificat (vt inquit Donatus) à Deo fatóque conceſſum. vt in illo Virgiliano, Non dabitur regnis, eſto, prohibere Latinis. In eam quoque ſententiam videtur poſſe accipi illud in prologo Andriæ, Id ſibi negoti credidit ſolũ dari, Populo vt placerent quas feciſſet fabulas. Dare autem, eſt (inquit Donatus) quod repetas. Dedere, eſt ad perpetuum. Damus & amicis, dedimus tantum hoſtibus. Sed ad ſpecificandam hanc confuſionem ſolemus addere ſecundum datiuum à quo verbum ipſum peculiarem accipiat ſignificationem. Damus enim dono, id eſt in donum. quod repetere nolumus. Damus mutuo res quæ conſumuntur, & reddi non poſſunt, ſed conſimiles æquali numero pondere aut menſura, vt panem, caſeum, vinum, oleum. Damus commodato res, quarum vſum cõmodamus, eaſdẽ recepturi, vt veſtes & inſtrumẽta, ſeu arma mechanica, aut etiã bellica. Quinetiã dare alicui quãuis rẽ vitio, eſt eũdẽ de ea vituperare. Dare honori, honorare. Dare laudi, laudare. Dare voluptati, ad voluptatẽ. Præterea eſt vbi dare, videatur accipi pro dicere, vt in illo Virg. in Buc. Attamẽ iſte deus qui ſit, da Tityre nobis. Verũ alii volũt dictũ, quaſi ſubaudiatur intelligere: vt ſit, da intelligere. ſicut cõtrà, qui intelligere aut intellectũ dare vult, dicit accipe: vt apud eundẽ AEneid. 2, Accipe nũc Danaũ inſidias, & crimine ab vno Diſce omnes. Sed accipere, propriè eſt auribus percipere. vt apud Salluſtiũ, Vrbẽ Romã vt accepimus &c. Poſſet etiã & aliis modis acceptũ dici: ſed his modo cõtenti ſumus. Nã dare ſymbolũ, quod vulgus dicit ſoluere ſcotũ, vt Comic⁹, Symbolũ dedit: & Dare vela vẽtis, pro nauigare. Dare operã, id eſt diligẽtiã adhibere. Dare munus, & dare ſacrificiũ, pro ſacrificare. vt apud Perſiũ, Quin damus id ſuperis, de magna quod dare lance Nõ poſſit, magni Meſſalæ lippa propago? Cõpoſitum ius, fáſque animi &c. & conſimilia: à vulgari ac propria non decedunt ſignificatione. Sed ad authorem tandem redeamus.

Do & Habeo fidem. CAP. XVI.

DO fidem, nõ eſt (vt nunc multi loquũtur) des fidẽ verbis illius, & nõ dedit fidẽ illi ſecũ tãtis verbis loquenti. Hi videntur ſignificare, quòd nõ credatur illius verbis, quod Latine

dicitur,fidẽ habere.loquẽdúmq; sic potius,Habeas fidẽ verbis illius. Nam dare fidem,est aliquid sanctè promittere.vt Terẽtius, Grauidáque facta,dat fidem vxorem sibi Fore hanc. Virgilius, Accipe,dáque fidem. id est,accipe sponsionem factam à me,& tu mihi vicissim da tuam. Quintilianus,Fidem habeas hominibus, quos mentiri alius affirmat. Accius apud Ciceronem,Fregistíne fidem? Neque dedi, neque do infideli cuiquã.fidẽ subaudi.id est, nõ promisi verè ex animo,quia ipse meretur vt vicissim fallatur.

Offic.3.

EPITOME.

Præ se ferre,est dicto,facto,aut gestu,qualitatem animi,aut opinionem de aliqua re indicare. Et sicut dico,Præ se fert,ita præ me fero,præ te fers. Itẽ præfero,& præ me duco. Est etiam præ se, ante se,aut in comparatione sui.

Præ se ferre. CAP. XVII.

Lib.5.cap.13.

PRæ se ferre,est dicto,factóve, & ipsa statim frõte,qualẽ opinionem de aliqua re aut homine habeas confiteri.Quintilianus,Fiduciam igitur præ se ferat orator, sempérq; ita dicat,tanquam de causa optime sentiat. id est, ex ipso aspectu oratoris,ex ipsa voce,ex ipsa tota oratione eluceat fiducia. quemadmodum qui pugnaturi sunt, in vultu & gestu indicant tacitam vel formidinem,vel fiduciam.hoc est,præ se ferunt fiduciam,vel formidinẽ.Cicero,Nã ille qui accipit iniuriã,meminit, & præ se fert.id est,ait se accepisse iniuriã,mentémve se habere persequendæ iniuriæ ostẽdit. Iterũ,At beneficio sum vsus tuo,quod quanquam illud ipsum,quod cõmemoras,præ me semper tuli,malui tamen me tibi debere confiteri,quàm cuiquam minus prudenti non satis gratus videri.Præ se ferre & cõfiteri,pro eodẽ posuit.In eundẽ sensum accipi solet præfero,itẽ præ me duco, præ me gero,ante me duxi. Idem,Et tamen quum ita viuit,neminem præ se ducit hominem . vbi accipitur præ se, ante se,vel in comparatione sui.Et alibi,Præ se vtilitatẽ gerit. Et alibi,Tamen iniuriam à te in me factam , semper ante me duxi.

Præfero.
Præ se ducere,vel gerere.
Ante me duco.

EPITOME.

Rationem alicuius habere,est respectum habere,duntaxat in bonum . Rationem cum aliquo habere,est commercium ac negotium habere.Rationem cõstare,est legitimam rationem ostendi , aut apparere ostendi posse.

Rationem habeo,& Ratio constat. CAP. XVIII.

RAtionem habeo,idem est quod respectum habeo, sed tantummodo in bonum.vt,Habẽda est ratio salutis,ratio honoris,ratio rei familiaris,nõ autem infirmitatis, turpitudinis,incommodorum:vt quosdam annotaui scribentes.&,Tu facis contra rationem valetudinis,id est non habes respectũ valetudinis,sanitatis inquam,non ægritudinis : quæ duo hoc significat

Valetudo.

nomen. Quæ exempla, quia passim inueniuntur, omitto. Cicero ad Marium inquit inusitatius, Pudori tamen meo malui cedere, quàm salutis meæ rationem ducere. Et in secundo Officiorum, Siue ratio constantiæ virtutísque ducitur, aut hæc ars est, aut nulla omnino, per quam eam assequamur. Et hoc fit cum genitiuo. Cum ablatiuo autem præposita præpositione cum, habet aliam significationem. vt Cicero in Catone maiore, Rationē habet cū terra, quæ nunquam recusat imperium. id est negotium & commercium habet cū terra. Quod probatur ex illo in Tusculanis, Quis est omnium, qui modo cum musis, id est cum humanitate & doctrina habeat aliquod commerciū, qui se non hūc mathematicū malit, quàm illū tyrannū? Idē ad Atticū, Nunc verò, quoniam ea quæ putaui præclara, expertus sum quàm essent inania: cum omnibus musis rationem habere cogito. Rationem cōstare (vt breuiter dicam) est æquam legitimámq; rationē aut ostendi, aut apparere ostendi posse. Plinius Iunior, Mihi & tētandi aliquid & quiescendi, illo authore ratio constabit. Et iterū, Mirum est quàm singulis diebus in vrbe ratio constet, aut cōstare videatur pluribus, cunctísque nō constat. Vlpianus, Planè si defendendi gratia aliquid fecerit, rationem ei cōstare oportet. id est, rationem eum iustam aut ostendere, aut facile posse ostendere.

Rationem ducere.

EPITOME.

E republica, id est pro repub. est: non, ex re: tollitur enim x ferè sequēte r. vt è regione, id est ex opposito, vel ex aduerso. è re nostra, id est vtilitate. è dignitate quoque, id est ad dignitatem, vel pro dignitate. & ita in similibus. Ex tempore dicere, id est ex improuiso. E renibus laborare, est morbum in renibus pati. Ex vinculis dicere, est alligatum respondere criminationibus. Ex equo pugnare, est sedentem in equo pugnare.

De E & Ex, diuersísque nominibus & verbis eisdem appositis. CAP. XIX.

E Republica est, id est pro republica est. Quintilianus, Ad hoc nemo dubitabit, quin si nocentes mutari in bonam mentē aliquo modo possint, sicut posse interdum conceditur, saluos esse eos magis è republica sit quàm puniri. E republica dicēdum est, vt in Oratore Cicero testatur, nō ex republica. Tollitur enim x, sicut in omnibus fit ferè quæ ab r incipiūt. vt E regione, id est ex opposito, vel ex aduerso, atq; ecōtrario, nō ex regione: è re mea, è re tua, è re nostra. Liuius lib. 33, Perinde acsi nō postulauerint, quæ è re sua essent, sed suaserint quæ nobis censerēt vtilia esse. Similiter è dignitate, ex vtilitate, ex vsu, pro eo quod esset, pro dignitate, vel ad dignitatem, vtilitatem, vel vsum. Cicero, Ex tua ac reipublicæ dignitate facies. Et alibi, Legem (vt æquum est)

Lib. 12. cap. 1.

E regione.

E re mea.

Ex vsu.

ex vtilitate Reipublicæ consyderate. Terentius, Quod ex vsu fiet. Cæsar in commentariis, Vtrum prælium committi ex vsu sit. Ex tempore dicere, est ex improuiso & impræmeditatũ dicere, nec domi compositam orationem afferre. Hinc vocatur extemporalis oratio. Persius autem ait, Ex tempore viuitur. Ex tẽpore quoque agere. Cicero Officiorum secundo, Quos credimus expedire rem, & consilium ex tempore capere posse. Aliter idem tertio eiusdem operis libro dixit, Vnius generis quæstiones sunt hæ omnes, in quibus ex tempore officium quæritur. ex tempore, quasi ex temporis conditione. E renibus laborabat, idem inquit, hoc est, morbum in renibus patiebatur. Ex vinculis causam dicere, est alligatum respondere criminibus: vt Ex equo pugnare, est in equo sedentem pugnare.

Ex tempore. Extemporalis. E renibus. Ex vinculis. Ex equo.

EPITOME.

AEstimo, est cõsydero & appretior. Existimo, iudico. Sicut cogito, animo voluo. Excogito, inuenio.

AEstimo & Existimo, Cogito & Excogito. CAP. XX.

AEstimo & existimo, à plerisque confunduntur, quum diuersa sint, sicut cogito & excogito. Antè enim est cogitare, deinde excogitare: licet non quicunque cogitat, statim & excogitet. Ita prius rem æstimamus, deinde qualis sit existimamus. AEstimare enim, est cõsyderare: Existimare verò, iudicare. Quintilianus, Consumptis affectibus, non reperiens quo digne modo vultum patris posset exprimere, velauit eius caput, & suo cuiusque animo dedit æstimandum. Cicero de legibus, Sisenna eius amicus, omnes adhuc scriptores, nisi qui fortè nondum ediderunt, de quibus æstimare non possumus, facilè superauit. Et in Verrinis, Expendite hæc atque æstimate. Vnde dictum est æstimare, pro taxare, ab æs æris, & τιμὴ Græce, quod est pretium Latine. Ouidius tertio de Tristibus libro,

Lib. 2. cap. 13.

Quod quicunque leget (siquis leget) æstimet antè,
Compositum quo sit tempore, quóque loco.

EPITOME.

Coniuro & conspiro in malam partem accipiũtur: sed si legitima est ratio, etiam in bonam. sed cõspiratio, aliquando sine alterius fit pernicie: coniuratio, nunquam.

Coniuro & Conspiro. CAP. XXI.

COniurare & conspirare, ferè in malum accipiuntur, quoties in patriam, aut bonum principem coniuratio fit atque conspiratio. Sed si honesta causa id fiat, in bonum etiam accipi debent. Nam & Mutius Scæuola ad Porsenam regem inquit, Trecenti coniurauimus principes iuuentutis Romanæ, vt in te hac via grassaremur. Et Cicero ad Cæsarem pro Ligario, fra-

trum conſpirationem dixit,quaſi vnanimitatem.Verum conſpiratio,vt in hoc ipſo loco, nonnũquam nemini perniciosa eſt,in neminémque graſſatur. Cõiuratio ſemper in alterius perniciem graſſari ſolet.

EPITOME.

Cordi eſſe,eſt delectare & cõplacere. Sed in animo eſſe,eſt velle,aut cõſtituere.

Cordi eſt,& In animo eſt. CAP. XXII.

CORdi eſt,& In animo eſt,differunt. Nanque hoc ſecũdum, notum eſt ſignificare in animo habeo,vel animus eſt mihi,vel volo atque cõſtituo.vt ad Terentiam Cicero,Nam mihi erat in animo,mittere ad Dolabellam. Illud verò,eſt delectat & placet.vt idem,Itaque nõ tam me iſta ſapientiæ,quã modo Fannius cõmemorauit,fama delectat, falſa præſertim,quàm quòd amicitiæ noſtræ memoriam ſpero ſempiternã fore. ídque mihi eò magis eſt cordi, quòd ex omnibus ſæculis, vix tria aut quatuor numerantur paria amicorũ. Quo in genere ſperare videor Scipionis amicitiam & Lælii,notam poſteritati fore.id eſt, eò magis me delectat,& placet. Terentius,Si tibi hæ nuptiæ ſunt cordi.Et alibi,Quia vterque vtrique eſt cordi.id eſt,nuptiæ iucũdæ ſunt tibi,& vterque alterum amat. De Amicitia.

EPITOME.

Inuertere,eſt quaſi in contrarium vertere,& interiora exteriora facere. Interuertere, rem dolo non reſtituendam efficere,quaſi in alienum vſum vertere.Item inuertere accipitur à nonnullis,pro deprauare,quaſi peruertere.

Inuerto & Interuerto. CAP. XXIII.

INuertere,eſt quaſi in cõtrarium vertere, vt interiora veſtis aut pellis, aut aliarum rerum exteriora facere: præpoſteréque verba pronuntiare,vt pro lauo vola.Interuertere,eſt rẽ aut commodatam,aut depoſitam,aut creditam,callide,dolóque ne domino reſtituatur, efficere. vt Cicero in Verrem, Candelabrum,quod rex AEgypti Ioui Capitolino dono tulerat,à Verre, qui illud à rege commodato acceperat,interuerſum eſſe cõqueritur.Marcellus iuriſcõſultus,Si duo (inquit) hæredes rem apud defunctum depoſitam dolo interuerterint. Actione 6.

EPITOME.

Compertum eſt mihi & exploratum eſt, item Comperi & exploraui, idẽ ſunt: id eſt per inueſtigationem ſcio.ſed exploraui,ſæpe accipitur pro inueni:cũ exploro ſit inquiro ſagaciter.vnde exploratores,ſubtiles indagatores & inquiſitores. Item conſtitutum eſt,deliberatum eſt,decretum eſt mihi,& conſtitui ac decreui,idẽ ſunt: hoc eſt cogitando firmatum eſt.ſed deliberaui,non eſt idem quod conſtitui aut decreui,ſed diſquiſiui dubitauíque.Similiter exigo,id eſt iure quodã poſtulo:ſed exegi,& exactum eſt,eſt poſtulando obtinui,& poſtulando obtentũ eſt. Item quæſitũ eſt,id eſt partum & acquiſitum eſt:quum quærere ſit inquirere:eſt tamen etiã quaſi accumulare.Horatius,Quærit,& inuentis miſer abſtinet,& timet vti.

Compertum eſt,& Exploratum eſt. CAP. XXIIII.

COmpertum eſt mihi,& Exploratū eſt mihi,idem eſt quod ſcio per inueſtigationem. ſimiliter cōperi, & exploraui. Conſtitutum eſt mihi, deliberatum eſt mihi,decretum eſt mihi,idem quod apud me cogitando firmatum eſt. ſimiliter cō ſtitui, & decreui. At non ita deliberaui. poſſum nanque delibe-raſſe,& nihil tamen cōſtituiſſe. Quintilianus in ægro redempto, Oderitis licet confeſſionem meam,deliberaui. hoc eſt dubitaui & hæſitaui. Itaque differt an dicamus,Senatus deliberauit:an,ſe-natui deliberatum eſt. id eſt decreuit. Plinius Iunior, Tum ego, ſi fixum iſtud tibi ac deliberatum eſt, ſequar te . Cicero in Verrem, Deliberatum autem eſt,ſi res opinionem meam,quam de vobis habeo,fefellerit, non modo eos perſequi, ad quos maxima culpa corrumpendi iudicii: ſed etiam illos,ad quos conſciētiæ contagio pertinebit . Exploraui tamen pro inueni ferè accipitur, quum exploro idem ſit, quod inquiro ſagaciter, vnde dicuntur exploratores. Idem fit in nonnullis aliis, vt exigo,quod eſt vehementer & iure quodam poſtulo. inde exegi & exactum, pro poſtulando obtinui,& poſtulando obtentum.Tale eſt quæſitum,pro partum,à quæro.

Exploratores
Exigo.

EPITOME.

Fœnero tibi,id eſt pecuniam aut aliud pro fœnore ſeu vſura do.Mutuo tibi,id eſt mutuo do.Fœneror abs te,id eſt mutuo accipio. Id autem proprie. nam interdum confunduntur:vnde Mancinellus,Fœnero & fœneror idem ſignificant.Seneca epiſtolarum ſecundo, Quantum paſcat aut fœneretur. id eſt ad vſuram det. Epiſtola duodecima, Multum ſerit, multum fœnerat,&c. Cicero item in Lælio inquit, Vt enim benefici,liberaléſque ſumus,nō vt exigamus gratiam(neque enim beneficium fœneramur) ſed natura propenſi ad liberalitatem ſumus : ſic amicitiam non ſpe mercedis adducti,ſed quòd omnis eius fructus in ipſo amore ineſt,expetendam petamus.Et Prouerbiorum decimonono,Fœneratur domino qui miſeretur pauperis. Aulus Gellius item libro decimooctauo,cap.duodecimo ſcribit fœneror pro fœnero dictum eſſe,ſicuti aſſentior pro aſſentio, & pigneror pro pignero.Et Feſtus inquit, Fœnero & fœneror dici poteſt.Sciendum tamen eſt Fœnero tibi,& fœneror tibi,vt ſuperius patuit,idem eſſe. Fœneror autem à te,aliud ſignificare: nam idem eſt quod ad vſuram accipio.legimus enim lib.31.Digeſtorum prope finem, Si autē aliquis eorum voluerit vendere partem ſuam (domorum ſupple) vel fœnerari ſuper eam,poteſtatem habeat vendere cohæredi ſuo,& fœnerari ab eo. Inueniuntur autem & plura,eadem terminatione, diuerſa ſignificare,diuerſis quidem caſibus. vt Comitor illum,actiua ſignificatione:comitor ab illo,paſſiua.Præterea mutuo & mutuor idem ſignificant,ſicuti fœneror & fœnero, vt diximus. Seneca enim epiſt.81. inquit, Quanto hilarior eſt qui ſoluit,quàm qui mutuat, &c.id eſt,qui mutuo accipit. Priſcianus etiam libro octauo ſcribit,quòd multa ancipiti terminatione,in vna eadémque ſignificatione protulerunt antiqui,vt Partio & partior,meridio & meridior,mutuo & mutuor. Quod quidem Iſidorus non ignorauit. ait enim lib. 10. capite ſeptimo,ſic,Sed vtrum Latini à Græcis,an Græci à Latinis hæc vocabula mutuaſſent,incertum eſt.

Fœnero, Fœneror: Mutuo, & Mutuor. CAP. XXV.

FOEnero tibi dicitur, ſicut Mutuo tibi. Fœneror abs te, ſicut mutuor abs te. Qui mutuat pecuniam, dat mutuo. Qui fœnerat pecuniam, dat ad vſuram. Qui mutuatur pecuniam, mutuo accipit. Qui fœneratur pecuniam, ad vſuram accipit.

EPITOME.

Gradum facere, non eſt tranſitum facere, ſed quaſi ſcalas & gradum ad aliquam rem facere. vnde & gradum iacere quidam dicunt. & Cicero, aditum iacere & munire, pro eodem dixit.

Gradum facio, & Gradum iacio. CAP. XXVI.

GRadum facere, nõ eſt tranſitũ facere, ſed aliquã rem gradũ & quaſi ſcalam ad alia facere. Ideóque à quibuſdã dicitur, gradũ iacere. vt ſi riuũ tranſire, ſi in arborem feneſtrámve, aut tectum ſcandere velim, ex ſaxo & ſcamno, aliquáve alia re gradum facio. vt apud Quintilianum, Nanque & illud frequens eſt, vt ea, quibus minus confidimus, quum tractata ſunt, omittamus, interim ſponte noſtra velut damnantes, interim ad ea, quæ ſunt potentiora, gradũ ex his feciſſe contenti. Hoc eodem modo Ambroſius in libris Officiorũ vtitur. Cicero cõtra Rullum, Nũc quaſi gradum quendam, atque aditum ad cætera iactum intelligetis. Idem pro Cluentio, Tamẽ vt ad hoc nefarium facinus accederet, aditum ſibi aliis ſceleribus antè muniuit. Aditũ iacere & munire.

EPITOME.

Certum eſt, id eſt manifeſtum eſt, aut decretum & deliberatum eſt. ſed poſterius fere cum infinitiuo, & cum datiuo expreſſo vel ſubintellecto dicimus.

De Certum eſt. CAP. XXVII.

CErtum eſt, nõ modo accipitur pro manifeſtũ eſt, vt Quintilianus, Nempe legẽ eſſe certũ eſt: ſed etiam pro deliberatum & conſtitutũ eſt. In quo ſecundo plerunque adiungitur datiuus cum infinitiuo: vt Certũ eſt mihi ire in Hiſpaniam. Nonnunquam datiuus ſubintelligitur, vt apud Virgilium,

Certum eſt in ſyluis inter ſpelæa ferarum
Malle pati,

EPITOME.

Liceor & Licitor, fere pro eodem accepta, ſignificant pretium deferre, ſeu (vt dicunt) præſentare in auctione, id eſt publica venditione faciẽda. ſic tamen proprie, vt qui licetur, ſemel duntaxat, aut ſine reſpectu aliorum, pretium deferat: qui licitatur, frequenter, & cum reſpectu. Curtius tamen ſine auctione ac reſpectu, licitamini dixit. Polliceri autem ſignificat aliquid vltro promittere, quaſi vt pollicenti quid addicatur. Addicere enim, eſt per licitationem vendere, aut venditum conſignare. vnde addicti, ſunt qui iuſſu prætoris quũ ſoluendo non eſſent, creditoribus vendebantur, ſeu adiudicabantur. Addictus morti, eſt eidẽ deſtinatus. Liceor ergo, actiuã habet ſignificationem. eſt enim deponentale. Sed liceo volunt paſſiuã habere. vnde eſt verſiculus, Non licet aſſe mihi, qui me non aſſe licetur. Id eſt, non æſtimatur à me pretio aſſis, qui non æſtimat me aſſe.

Liceor, Licitor, & Addico. CAP. XXVII.

LIceor videtur carere præterito, tamen quaſi præteritum habeat, format à ſe frequẽtatiuum (ſed eiuſdem tamen ſignificationis) Licitor. vnde ſunt participia licitãs & licitaturus. Vtriuſque igitur verbi ſignificatio eſt, pretium deferre in auctione facienda, hoc eſt, in vẽditione quæ publicè fit. Hinc vnum cõpoſitum fit Polliceor, non multum à primitiua ſignificatione diſſidens. Eſt enim polliceri, vltrò aliquid promittere. Ita qui licẽtur aut licitantur, vltrò pro re emenda pretium, alius alio maius, pollicentur, vt ſibi potius, quàm alteri vænali addicantur. Nam tali modo vendere, addicere eſt. Et inde apud iuriſcõſultos de In diem addictione titulus eſt, quem noſtri iuriſperiti emendant, de In diem adiectione, non verbum modo, ſed ſententiam quoque, atque ius ipſum corrumpentes. Afferamus ergo exempla vtriuſque verbi. Vlpianus, Si res eius vænierit, & exiſtat qui plus liceatur, an in integrum propter lucrum reſtituendus ſit. Et quotidie prætores reſtituunt, vt rurſum admittatur licitatio. Caius, Licitatio vectigalium, quæ calorem licitantis vltra modum ſolitæ conditionis inflauit, ita demũ admittenda eſt, ſi fideiuſſores idoneos, & cautionem is, qui licitatione vicerit, offerre paratus ſit. Ad conducẽdum vectigal inuitus nemo compellitur. Et ideo completo tempore conductionis, licitatores alloquendi ſunt. Licitatores vectigalium ad iterandam conductionem antequam ſuperiori conductioni ſatiſfaciant, admittendi nõ ſunt. Paulus, Si vẽditor ſimulauerit meliorem allatam cõditionem, cum minoris, vel etiam tãtidem alii venderet, vtrique emptori in ſolidum erit obligatus. Sed ſi emptor alium non idoneũ ſubiecit, eíque fundus addictus eſt, nõ video, inquit, quemadmodum priori ſit emptus, quum alia conditio, & vera ſubſecuta ſit. ſed ſi neuter ſubiecit emptorem, maiore autem pretio addictũ eſt prædium, ei qui ſoluendo non eſt, abitum eſt à priori emptione, quia ea melior intelligitur, quam venditor cõprobauit, cui licuit non addicere. Quibus ex verbis intelligitur, quid ſibi velit illud Ciceronis in Officiis libro tertio, Nõ licitatorem venditor, nec qui contra ſe liceatur, emptor opponet. Idem pro Cecinna, Quum eſſet (vt dicere inſtituerã) conſtituta auctio Romæ, mulier mandat, vt fundum ſibi emat: Ebutio negotium datur, adeſt ad tabulam, licetur Ebutius, deterrẽtur emptores, multi partim gratia Cæſeniæ, partim pretio: fundus addicitur Ebutio, pecuniã argentario promittit Ebutius. Quo teſtimonio nũc vir optimus vtitur ſibi emptum eſſe, quaſi verò aut nos ei negemus addictum, aut tũ quiſ-

quam fuerit qui dubitarit, quin emeretur Cæseniæ, quum id plerique scirent, omnes ferè audiissent, quum pecunia Cæseniæ ex illa hæreditate deberetur, eam porrò in prædiis collocari maxime expediret. Essent autem prædia quæ mulieri maxime conuenirent, ea vænirent, liceretur is quem Cæseniæ dare operā nemo miraretur. Quintilianus de pastu cadauerum, Si nobis nihil ex commeatu nostro partiris, nos vicinæ ciuitati vendemus. liceat seruire vbi frumentum est. Non exigua res est: pro vita, pro sepultura, pro innocentia licemur. Idem in ægro redempto, Omnes facultates in pretia collegi, rus, seruulos, penates, & omnia vtiliora properanti festinatione * parentis addixi. Inde addicti apud veteres dicebantur, qui prætoris pronuntiatione ac iussu, quū soluendo non essent, creditoribus vendebantur. De quibus magna apud Liuium fit mentio. Et addictus morti, destinatus dicitur. Cicero Officiorum lib. tertio, Et is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies cōmendandorum suorum causa postulasset, vas factus est alter. Aliquando sine auctione fit licitatio, vt apud Curtium de Dario, qui pollicebatur pretium pro capite Alexandri, siquis eum dolo occidisset, ita inquit, Et quum habeatis arma, licitamini hostium capita. Siquid tamen inter liceri, & licitari differt: id est, quòd liceri videtur aut sine respectu esse aliorum emere volentium, aut tātum semel deferre pretium. Licitari verò cum multis, & sæpius augere pretium, vt emere volentes deterreas ab emendo.

*pergentis.

Addicti.

Lib. 4.

EPITOME.

Audire & exaudire, indifferenter tam pro eo quod est auribus percipere, quàm pro eo quod est petenti annuere & concedere, accipiuntur. Audire tamen, frequenter accipitur pro eo quod est fidem habere, & acquiescere, seu parere præcipienti: ídque fere cum negatione, & frequentius per dictionem audiendus. Nonnunquam etiam audio, significat fateor: ideóque fateor sæpe additum legitur. Exorare, est orando impetrare. vnde multi orant, qui non exorant. vnde dicendum esset, Oramus te Deus, non, exoramus. Aut sic, Sine, aut permitte te exorari. Eodem quoque modo dicunt quidam, multos audiri qui non exaudiuntur. quasi audiri, sit tantum auribus percipi: exaudiri, cum impetratione. Sed exaudiri, pro expresse audiri legitur: vt in illo Georgicorū, Vox quoque per lucos vulgo exaudita silenteis. Nihilominus propria significatio est audiri cū impetratione. vnde petimus, Domine exaudi orationem meam &c.

Audio & Exaudio, Oro & Exoro. CAP. XXIX.

AVdio & Exaudio, indifferēter ponuntur pro duplici significatione. Vna, pro eo quod est auribus accipio: altera, pro eo quod est, audita petenti concedo: vt, Visa sum audire vocem militis. &,

Vox quoque per lucos vulgo exaudita silenteis. Item,

Audiit,& cæli genitor de parte ſiniſtra Intonuit læuum. &, nulli exaudita deorum
Vota precéſque meæ.

Audio tamen frequenter accipitur pro eo quod eſt credo, accedo, pareo præcipienti, ſed ferè cum negatione, & frequentius per participium quod tranſit in nomen, quod eſt audiendus. vt Lib.3.cap.3. apud Quintilianum, Nec audiendi quidam, quorum eſt Albutius, qui treis modo primas eſſe partes volunt,quia memoria,atque actio natura nõ arte cõtingãt. Audiẽdus nõ eſt,idẽ eſt quod audiri non debet. Ideóque licebit dicere,Neque verò quoſdam, quorum eſt Albutius, audire debemus. Sine participio, Cicero Tuſculanarum libro primo, Nec Homerum audio, qui Ganymedem à diis raptum ait propter formam. Sine negatione, Idẽ in eodem, Endymion verò (ſi fabulas audire velimus) neſcio quando in Lycio obdormiuit. Sed coniunctio hæc tacitam quãdam in ſe habet negationem.Aut certe idem hoc loco dicemus, quod diximus libro tertio,de Vllus.Sed nonnunquam ſine negatione apte dicitur. vt apud Liuium, Ciuem tuum non audiſti arma capere, ac ſequi ſe iubentem Hannibalem.Paulo pòſt,Audiſti caſtra prodi,& arma tradi iubentem. Audio inſuper pro fateor,quæ ſimilis ſignificatio ſuperiori eſt. Ideóque ſæpe ſic ſcriptum legimus,audio & fateor,quaſi poſterius declaret primum. Exoraui hoc munus, idem eſt quod orando impetraui. Exoraui patrem,exorando induxi.quod licet etiam pueris notũ ſit (quippe Terentium legentibus, vbi hoc verbum millies eſt, nec vnquam reperitur aliter acceptum) tamen quidam ſic loquuntur, Exoramus te Deus.

EPITOME.

Verba compoſita cum per,important effectum, & conſummationem ſignificationis ſuæ:vt,Perlego,ad finẽ vſque lego. Perfero,ad finem vſque fero,id eſt porto,aut tolero.Peruigilo,totum tempus vigilo,tam diurnum quàm nocturnũ. Pernocto,totam noctem duco,inſomnem.vnde pernox luna. Peroro,orationem cõcludo,aut perorando afficio,& commoueo.vnde peroratio, aut cõcluſio orationis aut cõmotio affectuũ. Perago, ad finem ago.perago reum,id eſt ad cõdemnationẽ vſque ago.Perſuadeo,id eſt ſuadendo induco ad perſuaſionem,id eſt fidem,& credulitatem vſque.vnde fides Chriſtiana,perſuaſio recte dici poſſet. Diſſuadeo autẽ, eſt cõtrarium eius quod eſt ſuadeo.ſed vtrunque ſine effectu,id eſt ſine perſuaſione. vnde ſi is quem dehortatus ſum,mihi credidit:nõ dicã,diſſuaſi hoc illi,ſed perſuaſi ne hoc faceret.Permaneo,ad finem vſque maneo. Perſcribo,ad finẽ vſque ſcribo.

De Lego & Perlego, multiſque aliis à per compoſitis. CAP. XXX.

LEgo & perlego differunt, & multa huiuſmodi. Legere quid ſit notũ eſt. Perlegere verò ad finem vſque legere.vt Quin-

tilianus in duodecimo, Ideóque opus est intueri omne litis instrumentum, quod videre non est satis, perlegendum erit. Ouidius, Perlegis? an coniunx prohibet noua? Lactantius in procemio libri quinti, Non iniuste petere videmur, vt siquis erit qui inciderit in hæc, si leget, perlegat. Ita differt Scribere & Perscribere: quæ exempla sunt plurima. Titus Liuius libro primo, statim in procemio, Facturúsne operæpretium sim, si à primordio Vrbis, res gestas Populi Romani perscripsero. Perferre, vsque ad constitutum finem ferre. Virgilius, Nec spatium euasit, nec totum pertulit ictum. Et multi ferunt literas, sed eas vel negligētia, vel dolo, vel casu non perferunt. Cicero, Sed nuntius ille, qui literas accepit, non pertulit. Seneca in tragœdiis, Perfero.

Leue est miserias ferre, perferre autem graue.

Id est, ad spatium tēporis in miseriis esse, leue est: ad finem verò vsque vitæ, graue est. vt in illo simili exemplo Martialis,

Nam vigilare, leue est: peruigilare, graue. Libro 9.

Hoc est partem noctis vigilare, leue est: vsque ad finem verò, & totam noctem insomnem ducere, graue. quod dicitur etiā pernoctare, vnde & pernox: quod à peruigilando ita differt, quòd hoc interdiu quoque fieri potest, illud verò tātummodo noctu: quanquam pernoctare facere vigilantes possumus, id est totam noctem ducere. Peruigil draco dictus est, non quòd pernox esset, sed quòd nunquā dormiret semper vigilans. Peragere reum, est non tantum agere reum, nisi peruenias ad illius condemnationem. Dicitur enim accusator reum condemnasse, quum illum condemnandum curauit. Vlpianus, Peregisse autem quis reum non aliter videtur, nisi & condemnauerit. Perorare, finem orationis orare. Vnde Peroratio, finis orationis dicitur. Sed quia in hac parte vtimur plerūque affectibus, ideóque vsurpamus interdum perorare pro ipsa commotione affectuum. vt Quintilianus, At ista legem recitat, & in cadauer filii perorat. id est indignationem commouet. Persuadere, est suadendo inducere. vt Cicero in Philippicis, Duo tamē tempora inciderunt, quibus aliquid contra Cæsarem Pompeio suaserim: ea velim reprehendas, si potes. Vnum, ne quinquennii imperium Cæsari prorogaretur: alterum, ne pateretur fieri, vt absentis eius ratio haberetur. Quorum si vtrunuis persuasissem, in has miserias nunquam incidissemus. Suasit ergo, & non persuasit Cicero Pompeio. Ideóque dicere solemus, Sic mihi persuadeo, nō autem, sic mihi suadeo. Persuasum habeo, persuasum est mihi: non autem, suasum habeo, suasum est mihi. Idem ad Brutum, Persuasum est ado-

Pernox. Peruigil. Peragere reū. Condemno. Perorare. Peroratio. In Cor. proiec. Persuadere. Philip. 2.

lescenti,& maxime per me, nisi Antonio eiecto,rempublicã stare non posse.Ille tamen qui aliis,siue alios (vtrunque enim dicimus) persuasit, non persuasor eius sententiæ appellari solet, sed author.Cicero lib. Officiorũ tertio, Atque huius deditionis, ipse Posthumius qui dedebatur, suasor & author fuit. quasi dixisset suasor & persuasor. Apud Quintilianum autem cæteròsque sui tẽporis dicitur persuasio,pro certa opinione, atque sententia quã nobis persuasimus.vt libro primo,Siqua publice est recepta persuasio. Quæ (quantum ego quidem sentio) id significare videtur,quod Christiani dicũt,fidem. Et si originem Græcam inquiramus,nescio an cõmodius dicamus persuasio,quàm fides,præsertim re ipsa pro nobis faciente. Fides enim proprie Latine dicitur probatio. vt, Facio fidem per instrumenta, per argumenta, per testes. Religio autem Christiana non probatione nititur,sed persuasione:quæ præstãtior est quàm probatio.Nam sæpe probationibus non adducimur.vt malus seruus, malus filius,mala filia,mala vxor,optimo consilio,quod confutare non potest,nõ tamẽ acquiescit.Qui persuasus est,planè acquiescit,nec vlteriorẽ probationem desyderat.Non enim solum sibi probatum putat, sed sese commotum ad ea exequenda intelligit.Sed quia fides etiam pro(vt sic dicam)credulitate accipitur,quale est,Habeo tibi fidem:recte etiã nostra religio nominata est fides,sicut à Græcis πίστις. Verum eò,vnde egressi sumus, reuertamur.Persuadere est in effectu,Suadere autẽ in actu,itémque Dissuadere.Itaque nonnulli peccant, quum dicunt, Dissuasi hoc illi, pro eo quod est, reuocaui ab opinione in qua erat. Siquidem pro hoc sensu dicimus, Persuasi ne faceret: sicut ediuerso, Persuasi, vt faceret. Quare & suasor & dissuasor nisi persuadeant, nihil effecerunt. Quintilianus, Ergo pars deliberatiua,quæ eadẽ suasoria dicitur, de tempore futuro consultat, quærit etiam de præterito, officiis constat duobus,suadendi & dissuadendi. Non dixit persuadendi, quoniam non est officium oratoris positum in euentu,qualis est persuasio:neque est eius ars persuadendi, sed suadendi & dissuadendi in deliberatiuo genere. In vniuersum autem bene dicẽdi: quod est in actu,nõ in euentu.Præterea deliberatio vocatur suasoria, quoniam vtrinque suadetur. qui enim dissuadet,nil aliud quàm in contrarium suadet. Cicero in Catone Maiore, Dissuasimus nos.Deinde vt scias finem,euentúmque dissuasionis,subiunxit, Itaque lex popularis,suffragiis populi repudiata est.id est dissuasimus,& dissuadendo ne fieret persuasimus.Quantũ errant philosophi nostri,quorum Albertus vnus est, quum de compa-

Author.

Fides.

Dissuadere.

Lib.3.cap8.

ratione dialecticæ & rhetoricæ diſputāt,huius verbi ſignificationem neſcientes,quiſquis illos leget,intelliget.Permanere,eſt vſque ad finem manere.Plinius Iunior,Tunc demū lente,cūctantérque veniunt,nec tamen permanent,ſed ante finem recedunt, alii diſſimulanter & furtim,alii ſimpliciter & libere.

EPITOME.

Per,in compoſitione multifariam accipi ſolet. Primo,in malam partem:vt Periurus,perfidus,pertinax,perfuga,perditus,percitus, peruerſus,perpeſſus. Secundo, quaſi per medium:vt,Perluceo,ſeu pelluceo,perlucidū,pellucens:pro quibus tranſluceo,tranſlucens,tranſlucidum à Plinio dicuntur. Perfluo,perpluo. Tertio,pro valde,vt augeat:vt,Permagn⁹,periucūdus:ídque cū poſitiuo,vt dictū eſt.Quarto, in obteſtatione & adiuratione, interiecto ferè nominatiuo inter ipſam & caſuale: vt,Per ego has lachrymas,&c. Quinto,vt alibi dictū eſt,in excluſione alieni auxilii: vt, Per me id feci.id eſt mea vnius opera. Præ autem,magis auget. nam perquàm diuites multi eſſe poſſunt,prædiuites pauci.Gaudet autem Præ his dictionibus præiungi,potens,celſus,latus,fulgens,diues,dulcis,durus,curtus, longus, clarus, coquus, maturus.Interdum tamen à ſimplici non differre videtur,vt in his,Præludo,præcido,præmorior, præcingo. in quibus tamen vera ſignificatio eſt, vt Præ,ſignificet ante:nam non præludit quiſquam poſt medium ludi,ſed tamē ludit adhuc. Tertio igitur,Præ ſignificat ante:vt, I præ,ſequar.Quarto, in cōparatione:vt,Parum eſt præ noſtris diuitiis.Quinto,quaſi propter,cum ab aliquo impedimur:vt,Nō potui hiſcere præ timore.Re,ſæpe compoſitum non mutat:vt,Recudo,repugno,reſeco, repromitto,reuinco,refodio:& interdum reuertor,vt alibi dictum eſt,vbi diximus, Re,cum verbo celandi aut claudendi poſita,contrarium importat:vt Reuoluo,recludo,reſero,retexo.Proprie importat iteratione̅: vt,Relego,repeto, reſtituo,&c.

Mancinellus pro reſeco,legit reſero.quod author non negaret aliud eſſe quàm ſerare: ſed qui vites putat, reſecat:quanuis non iterum ſecet. Recinctus autem etiā in exemplis in contrarium adductis,non multum à ſimplici diſcrepat. Verba Mancinelli ſunt , Reſero & recingo,longe diuerſa ſignificant à ſero & cingo. Ouidius ſine titulo,Ecce Corinna venit tunica velata recincta. Et lib.7.Metamor.de Medea, Egreditur tectis veſtes induta recinctas, Nuda pedē,nudos humeris infuſa capillos. Propertius lib. 1, Ianua vel domina penitus crudelior ipſa, Quid mihi tam duris clauſa taces foribus? Cur nunquam reſerata meos admittis amores?&c. Mancinellus.

De quibuſdam aliis à Per, Præ,vel Re, compoſitis. CAP. XXXI.

LOcuti ſumus nonnihil de præpoſitione Per, quando componitur: addamus adhuc aliquid amplius. Nonnunquam hæc per compoſitionem in malum accipitur: periurus,perfidúſque,qui iuſiurandum,fidémque violat. Pertinax,qui nimis eſt tenax.Perfuga,qui ad hoſtes trāſit.Perditus,qui in omne ſcelus eſt traditus . Percitus,qui iracundia, furoréque eſt incitatus. Peruerſus,qui verſatur in malo, & à bono verſus eſt. Perpeſſus, laborioſe paſſus. Sæpe accipitur quaſi per medium : vt perlucidū ſiue pellucidum,id eſt per cuius medium fulgor emanat . Perſpicuū,per cuius medium,licet opertum ſit, oculos dimittimus, & per eius medium videmus: vt aqua,glacies, laterna,veſica,vi- Perſpicuum.

trum,cryſtallus,gemma.Sed perſpicuum plerunque ad mentem refertur. vt,Id quod ais perſpicuum eſt, id eſt tale, quale vitrum aut cryſtallus. Perlucidum magis ad corporea.Plautus in Aularia,Ita is pellucet,quaſi laterna Punica.Seneca de tranquillitate,Quid pellucentes ad imum aquas,& circunfluentes ipſa conuiuia? Quintilianus, Sed vt inter ſe iuncti, atque ita cohærentes ne commiſſura pelluceat. Aliquando,ſed figurate,ad mẽtem refertur.vt apud Marcum Tullium in Bruto,Ita reconditas exquiſitáſque ſententias mollis & pellucens veſtiebat oratio. Idem eſt pellucens & tranſlucens, adeò vt Plinius maior ferè nunquam vtatur perlucens ſiue perlucidus, ſed tranſlucens ſiue tranſlucidus: quod etiam figurate ad mentem refertur, vt apud Quintilianum libro octauo,Similiter illa trãſlucida,& verſicolor quorundam elocutio res ipſas effœminat,quæ illo verborum habitu veſtiantur. Perfluere, per medium alicuius fluere,vt ſi lagena male materiata,maléque cõpacta ſit,perfluit:id eſt per eius medium humor qui intus eſt,fluit. Terentius, Hac atque illac perfluo. id eſt,in modum non fidelis lagenæ,quæ mihi committũtur,effundo. Plinius idẽ ſæpius vtitur tranſfluo,pro perfluo,quæ idem ſunt, vt perfuga & tranſfuga. Perpluere,per medium alicuius pluere,vt Hæc domus perpluit,hoc tectũ perpluit. Quintilianus in ſexto, Quum cœnaculum eius perplueret. Frequentiſſime accipitur pro valde, vt alio libro oſtendi, permagnum, pergraue,periucundum.Quo in loco notãdum eſt,quòd quum Præ in eadem ſignificatione reperiatur,tamen quædam vocabula cum præ coniunguntur, non cum per, vt præpotens,præcelſus, prælatus, præfulgens, prædiues, prædulcis,prælongus, prædurus,præclarus,præcultus.Quòd ſiquid inter has præpoſitiones intereſſe velis,id erit,quòd vehemẽtius auget præ.Nam prælongus homo,prælonga oratio,ea dicitur,quæ enormi longitudine eſt: & præpotens,præcelſus,& ſimilia, maiorem in modum potẽs,celſúſque,& quaſi præter modum morémve aliorum potẽs, ac celſus.Vnde etiam præcox fructus,præter morem cæterorum coctus, ſiue ante cæteros. Vnde vuæ ficúſque præcoces dictæ. & præmaturus,antequam ſit tempus maturum,collectus.Quidam tamen præcoquus dicunt,vt Martialis,

Perlucidum. Perfluere. Perpluere. Præ. Præcox. Præcoquus.

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis:
Nunc in adoptiuis perſica cara ſumus.

Eadem præpoſitio iuncta cum verbo, nonnunquam habet penè nihil diuerſum à ſui ſimplicis ſignificatione,vt præcludo,præcido,præmorior,præcingo.Idem ſunt enim quod cludo,cædo,ſi-

ue incido,morior, cingo. Cuius naturæ eſt etiam Re, vt reſeco, recido,recingo,repurgo,refodio,repromitto,reuinco: quæ ſæpe vix quippiam à ſimplicibus diſſentiunt in ſignificatione. Per,in obteſtationibus atq; adiurationibus ferè ſolet ſeparari à ſuo accuſatiuo,interiecto nominatiuo, qui frequentiſſime eſt Ego, vt Virgilius, Re. Per.

Per ego has lachrymas,dextrámque tuam te.

Quintilianus in Mathematico, Ad tua nũc genua porrigo optime pater has ad ſcelus tantum fortes manus. Per ego,ſi fas eſt quicquid feci, per hanc ipſam mei charitatem, qua me nondum timere cœpiſti,miſerere.

EPITOME.

Proſequor,cum ablatiuo ferè idem ſignificat quod afficio cum eodem: vt Proſequor ſeu afficio te honore,id eſt honoro te. vituperio,id eſt vitupero. amore,id eſt amo. odio,id eſt odi. Perſequor autem,id eſt inſector ad finem vſque: & id in malum. aut perſeuero agere quod incœperam: & id in bonum: vt,Perſequor hoſtem:&,Perſequor ſtudium literarum.

Inter Proſequor & Perſequor. CAP. XXXII.

PRoſequor & Perſequor multi neſciunt diſtinguere: qui ne falli poſſint,ita accipiant, Proſequi non ferè carere ablatiui comitatu: vt Proſequor te oculis, charitate, odio,honore, verſibus,cantu,conuitiis.Significatúrque actio declarans alterius affectum in alterum. Perſequor autem,vel in malam partem,id eſt inſequor & inſector: vel in bonam, quum perſeuero exequi quod agere cœperam.

EPITOME.

Partio & Partior deponentale,idem ſunt. ſed in actiua voce,notius eſt compoſitum impertio, cuius paſſiuum eſt impertior, quod rarius imperſonaliter reperitur. in deponentali autem,ſimplex partior.Eſt autem partiri,diuidere in partes.impertire autem,impendere,aut participem facere. Vnde iactanter dictũ à Gnatone, Plurima ſalute Parmenonem ſuum impertit Gnato. quaſi ipſe abũdans ſalute,participem eius fecerit Parmenonem.Quocirca ad fœliciorem me ſcribens,non auſim dicere,Aſcenſius te impertit ſalute.

Partio & Impertio,& Partio. CAP. XXXIII.

PArtio & Partior,quidam pro eodem legunt.Sed mihi videtur raro reperiri,partio ſine in, & partior cum in,quãdo eſt deponens,ſed quando eſt paſſiuum. Eſt nãque impertio,idẽ quod impendo,vel partem do. Marcus Tullius,Huic rei aliquid temporis impertias,quaſi impendas. Idem, Laboris mei laudem nemini impertio, quaſi partem do. Reperitur aliquando mutata conſtructione : vt apud Terentium, Plurima ſalute Parmenonem ſuum impertit Gnato . quaſi plurimam ſalutẽ Parmenoni ſuo impertit Gnato.Eo modo quo dicitur,Dono tibi hũc equũ, & dono te hoc equo.Huius paſſiuũ eſt impertior.vt Cicero,Atq;

Partior. etiam viro forti collegæ meo laus impertitur. Partior, idem est quod partes facio, partésque distribuo: sicut sortior, sortem facio, sortémve recipio. Virgilius, Et socios partitur in omnes. Quintilianus, Partire, vel gratis, dum quo respiremus, afferas. Partiri itaque de partibus dicimus: Impertio magis de re incorporea, & quasi communico. Impertiri tamen aliqui dicũt, pro impertire, ab ipso deponente partior.

In pastu cadauerum.

EPITOME.

In manu & in manibus esse, est in potestate esse: dicitúrque tam de futuro quàm de præsenti. In manibus quoque esse, dicitur etiam pro eo quod est inter manus: aut quia res admirationi est, aut quia nondum consummata. Sicut res super incudem dicitur esse, dum tornatur & fit. Et ad vmbilicum, aut vmbilico tenus deducta: dum ad medium vsque deducta, aut peracta est.

In manu est, & In manibus. CAP. XXXIIII.

IN manu est, In manibus est, vtrũque accipitur pro eo quod est in potestate: sed dupliciter, de præsenti, & de futuro. De præsenti, Cicero, Nõ est istud in manu mea. Et filius in patris, & seruus in domini manu dicitur esse. Vnde mancipium & manumissio. Lucanus,

In manibus vestris quantus sit Cæsar habetis. Virgilius,

Terra autem in manibus vestris. De futuro, Sallustius, Verum enimuero prò deorum atque hominum testor fidem, victoria in manu vobis est, viget ætas, animus valet. Cõtrà, illis annis atque diuitiis omnia consenuere. Tantum incœpto opus est, cætera res expediet. In plurali tamen frequentius quum dicimus Victoria in manibus est, quasi iamiã tenetur. Etiam dicimus In manibus est, in alia significatione, pro eo quod est, Inter manus est: aut quia admirationi est, aut quia nondũ operi summa manus imposita. Quãdo est admirationi, Cicero in Catone Maiore, Est in manibus laudatio: quam quum legimus, quem philosophum non contemnimus? Quando res non est consummata, Idem in eodem libro, Septimus mihi liber Originum est in manibus, omnia antiquitatis monumento colligo.

EPITOME.

Præditus dicitur, quasi præ cæteris donatus: sed id non solum in bono, verum etiam malo, licet rarius. construitúrque cum ablatiuo sicut affectus sum, quod indifferenter de bono ac de malo dicitur: sed & alterum ablatiuum cum à vel ab admittit, quem præditus refugit: vt Affectus sum ab rege magnis honoribus, non autem, præditus sum ab rege magnis honoribus. Causa est: quia dari vnde componitur, absolute dici solet de his rebus quæ à Deo aut natura conferuntur: vt, Hoc mihi datum est. Item sicut præditus ablatiuo iungitur, ita hæc adiectiua Singularis, notabilis, nobilis, insignis, eximius, quæ interdum ablatiuos regunt, interdum cum eis reguntur: regunt, vt Vir notabilis macie. reguntur, vt Vir notabili macie, singulari probitate, &c.

Præditus ſum,& Affectus ſum. CAP. XXXV.

PRæditus ſum bono dicitur,& præditus ſum malo: ſicut affectus ſum malo,& affectus ſum bono.id eſt(vt breuiter magis quàm optime dicam) habeo bonum & habeo malum: vt, Præditus ſum humanitate,virtute,diuitiis, dignitate,viribus: qui ſermo eſt vſitatiſſimus. nunquã tamẽ cum ablatiuo & præpoſitione à vel ab, vt fit in affectus. veluti, Ego ſum à rege magnis honoribus affectus, non autem Sum præditus à Deo magnis viribus. De malo rarius.Cicero pro Sylla, Ni verò vnũ me vis ferum,præter cæteros, me aſperum, me inhumanum exiſtimari,me ſingulari immanitate & crudelitate præditum.Idẽ pro Rabirio, Senectute affectus, morbo præditus. Contingit idem in ſingulari, vt in proximo exẽplo,Exiſtimari me ſingulari immanitate. Sæpéque legimus, Ille eſt ſingulari improbitate,tu es ſingulari ſtultitia. Similiter fit in aliis tribus,quatuórve:notabilis,nobilis,inſignis, & eximius. Quintiliauus,Hunc tu animum modo inter libidines ac ſcorta perdebas,macie notabilis, pallore deformis,ſoláque impatientiæ tuæ fabula notus.Nobile ſcortũ, quaſi in ordine meretricio excellens, vel maxime inter alia notum.vt apud Liuium,Nobilis ille clade Romana locus. Et apud Ciceronem,Cuius præter cæteros eſt nobilitata crudelitas.Et latrones vocamus inſignes,qui maiore manu,maioréque audacia graſſantur. Et inſignis improbitas,inſigniſq; ſtultitia dicitur,quẽ admodũ ſingularis,eximiáque ſtultitia, quod rarius eſt. Cicero Verrinarum quarto,Sin hanc vos in rege tam eximiam iniuriã, tam acerbam neglexiſſe audient.

Singularis. In Odii potione 2. Notabilis. Nobilis. Offic.lib.2. Inſignis. Singularis. Eximius.

EPITOME.

Deſcendimus in prælium,in forum, in campum,in pugnam: non tanquam in locum inferiorem,ſed minus tutum,aut rem magis difficilem.

Deſcendo. CAP. XXXVI.

DEſcendo in prælium,deſcendo in forũ, deſcendo in campum dicimus, non quia de loco ſuperiore in inferiorem deſcendimus,ſed quia de loco tuto in locum diſcriminis: opinor quòd qui in loco celſiore ſe tenet, pugnã detractare exiſtimatur: quem quum relinquit, & in locum æquum venit, atque deſcendit,mentem ſe pugnandi habere declarat.Ideóque nõ ferè dicitur In forum deſcendere, niſi qui pugnandi & defendẽdæ litis cauſa venit in forum, non rerum vænalium coemptor ac negotiator. Et in campum deſcẽdere,non niſi qui litis,dignitatíſve cauſa(ſicut in campo Martio fiebat)certaturus vadit.Nec in præliũ pugnámve deſcendere, quòd in loca inferiora deſcen-

dat. Non enim locus est pugna & prælium, quum nihil intersit qualis locus sit, planus an montuosus, in quem se confert, qui in pugnam descendere dicitur. vt apud Virgilium, (Satis autem erit in re pespicua vnum exemplum protulisse)

Instructos acie Tyberino à flumine Teucros,
Tyrrhenámque manum totis descendere campis.

EPITOME.

Amare, est vehementer diligere. Diligere, est remissius amare, aut potius è multis seligere quem ames. Adamare, est amatorie amare, id est vehementer. sed interdũ etiam honeste. Amicus, honestus est. Amica viri, eius concubina. Amator mulieris aut pueri, inhonestus ferè intelligitur. Adieci de meo, sed interdum etiã honeste: propter hanc Mancinelli limam. Adamare, est item honeste ac valde amare. Cicero lib. 2. epist. ad Curionẽ, Est enim tibi grauis aduersaria constituta, & parata incredibilis quædam expectatio, quam tu vna re facillime vinces, si hoc statueris, quarum laudum gloriam adamaris, quibus artibus hæ laudes comparantur, in iis esse laborandum. Et lib. 3. de Oratore sic inquit, Deinde ab Antisthene qui patientiam & duritiam in Socratico sermone adamaret Cynici primum, &c. Alibi quoque eodem in lib. ita scribit, Demosthenem sequi vultis, etsi illam præclaram & eximiam speciem oratoris perfecti, & pulchritudinem adamastis, &c.

Mancinellus.

Amo & Diligo. CAP. XXXVII.

AMare est generalis significati, idẽ quod diligere, nisi quòd putatur plus quiddã esse in amando, quàm in diligẽdo. vt Cicero ad Brutum, Lucius Clodius valde nos diligit, aut (vt ἐμφατικώτερον dicam) valde nos amat. Et iterum, Sic igitur facies, & me aut amabis, aut quo contẽtus sum, diliges. Idẽ ad Dolabellam, Quis erat qui putaret ad eũ amorem, quẽ erga te habebam, posse aliquid accedere? tantũ tamen accessit, vt mihi denique nunc amare videar, antea dilexisse. Adamare est amatorie amare: vt Quintilianus multis in locis, sed vnus suffecerit, Me quidem marite siquis interroget, omnes matres liberos suos tãquam adamauerint, amant. Videbis oculos nunquã à facie, vultúque deflectere, comere caput, habitúmque componere, suspirare quum recesserint, exultare quũ venerint, conserere manus, pendere ceruicibus, nõ osculis, non colloquiis, nõ præsentiæ voluptate satiari. Amicus, quum honesta res est. Amica, quando ad virũ refertur, inhonesta: vt, Hæc amica mea est, id est concubina. Ego verò ipsius non amicus, sed amator sum. Ideóque apud Terentium dicitur, Here putaui hunc Pamphilum amicum amatorem virum. Ne putares amicum in malam partem accipi, adiecit amatorem. Sed apud prosam hoc obseruatũ semper inuenies, apud poetas fortasse non semper.

Adamo. In infami in matrem. 1. Amicus. Amica. Amator.

EPITOME.

Declarare, frequentius ad facta pertinet, quàm ad dicta: sed interdum etiam ad dicta. & nonnunquam significare significat.

Declaro. CAP. XXXVIII.

DEclaro frequẽtius ad facta pertinet, quàm ad dicta. Cicero, Declarauit id modo temeritas C. Cæsaris, qui omnia iura diuina atque humana peruertit. Aliquãdo etiam in dictis. Idem ad Ligarium, Postea verò quàm magnã spem habere cœpi, fore vt breui tẽpore te incolumem haberemus, facere nõ potui, quin tibi & sententiam & voluntatem declararem meam. Et in eadem epistola, Quando quid sentirem exposui, vellem tua causa, re potius declarare quàm oratione. Interdũ accipitur pro significo. vt idem libro primo de Finibus, Nullum verbum est, quod idem declaret Latine, quod Græce ἡδονή, quàm voluptas. declaret, id est significet, vel ostendat, vel indicet. Offic. lib. I.

EPITOME.

Ingredi cum motu ad locum, est intrare. sed cum motu in loco, est ingredi aut progredi seu incedere. quod sic quoque accipitur, vt in loco congruat.

Ingredior. CAP. XXXIX.

INgredior componitur quidẽ ex in, sed diuersa ratione nũc ad locum, vt Ingredior forum vel in forum. Qui modus loquendi nemini ignotus est. Nunc in loco, quod est ambulo & incedo. Virgilius,

Continuo pecoris generosi pullus in aruis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit.

Cicero libro quinto ad Atticum, Si dormis, expergiscere: si stas, ingredere: si ingrederis, curre: si curris, aduola. idem est ergo ingrederis hoc loco, quod graderis, quod est ambulas.

EPITOME.

Consulo te, id est consilium abs te peto. Inde consultus, homo prudens à quo cõsilium petitur: poniturque passiue, vt Consulti medici: aut pro prudente, vt Vir cõsultus: sicut inconsulti, imprudentes, aut quibus consilium non est datũ. vt AEneid. tertio, Inconsulti abeunt, sedémque odere Sibyllæ. Item pro perito & scio, digno videlicet quem consulas: idque cum genitiuo, vt Consultus iuris, vel sapiẽtiæ Epicuricæ: aut cum ablatiuo, vt Iureconsultus. Consulo tibi, id est consilium do: sed potius rebus quàm animo aut rationi tuæ. Inde cõsultor, qui consilium petit: sed interdum quasi consiliator reperitur. In plurali autem, Consulunt, aut potius consultant, pro deliberant, aut consilium inter se captant, dicimus absolute.

Consulo te & tibi, Consulto, Consultor, Consultus & Inconsultus. CAP. XL.

COnsulo te, consilium peto à te, vel interrogo, & inquiro. Quintilianus, Quid per fidem facere vultis? Iuuenem quẽ de parricidio consuluit pater ille seruatus, miror hercule, non dixisse, volui, sum veneficus, sum parricida. Idẽ, Ergo quod primum est, vt quod imitaturus est, quisque intelligat, & quare bonum sit, sciat: tum in suscipiendo onere consulat suas vires.

Et iterum, Ego aures consulens meas. Consulo tibi, consilium do tibi, vel prouideo tibi. sed hoc frequentius & magis propriè in rebus. vt, Consule vitæ tuæ, consule valetudini, cōsule dignitati, consule saluti, consule rebus tuis: adeò frequentissime, vt quum dicitur Consulere volo mihi, & liberis meis, intelligatur potius de corpore, & de rebus externis, quàm de animo. In plurali autem numero interdum reperitur sine apposito. vt, Consulunt senatores: quod frequentius dicimus consultant, id est deliberant. Nisi enim adsit qui consilium petat, & qui consilium det, non erit deliberatio, siue consultatio. Atque vt consulunt dicimus, pro consultant, hoc est, quòd altera pars petit, altera dat cōsilium: ita econtrario nonnunquā consultare est vnius, non plurium: sed ita, si apud se duas partes sustinet, secúmque deliberat. Hinc duo nomina nascūtur, Consultor & consultus. Consultor ferè pro eo qui alium consulit, accipi solet: nonnunquam tamē pro eo qui alii consulit. Sallustius in Iugurtha, Simul ab eo petiuit vti fautor, consultórque sibi adsit. Et iterum, Ita cupidine atque ira, pessimis consultoribus grassari, neque facto, neque dicto abstinere. Consultus, est homo prudens ac sciens, dignúsque à quo consilium petas. Cæterum nō occurrit mihi vbi repererim, nisi aut participium, vt ibi, Consulti medici dixerunt eūdem esse languorem. aut nomen pro iurisconsulto, vt Horatius, (Lib. 1. Sat. 1.)

Eris tu, qui modo miles,
Mercator: tu consultus modo, rusticus.

Quintilianus in septimo, Scripti & voluntatis frequentissima inter consultos quæstio est. Liuius tamen libro primo, ait de Numa Pompilio, Consultissimus vir, vt illa quisquam ætate esse poterat, omnis diuini atq; humani iuris. Et in decimo, Callidos solertésque iuris, atque eloquentiæ consultos. Horatius primo carminum,

Parcus deorum cultor, & infrequens,
Insanientis dum sapientiæ Consultus erro.

In compositione frequens est, sed adiectiuum: vt apud Quintilianum, O inconsultam muliebrem semper amentiam. id est imprudētem, inconsyderatam, & nullius consilii. Alterum quoque compositum, si compositum est, iurisconsultus, quod etiam dici solet iureconsultus. Nonnūquam in simplici, vt Ouidius primo de arte amandi, (Iuriscōsultus.)

Sit tibi credibilis sermo, consultáque verba.

EPITOME.

Agimus gratias, verbo: pro quo barbare dicitur, regratiamur. raròautem singu-

lariter,ago gratiam,dicimus.Habemus gratias,&(licet rarius)gratiā,animo aut mente memori.Referimus gratiam aut gratias,re ipſa & facto beneficium reddentes.ſed referimus,vſitatius in re bona quàm reddimus dicemus. referimus tamen & malas gratias.Agere grates,raro apud oratores:frequentius apud poetas metri gratia.

Ago gratias,Habeo,Refero,ac Reddo gratias. CAP. XLI.

AGere gratias,eſt verbo,quod quidam barbarè dicũt regratior. Habere gratias,in animo, quum memorem accepti beneficii mentem,animúmque habeo, & inuicem gratificandi voluntatem. Referre,ſiue reddere gratias,eſt facto : vt Si tu à me ſubleuatus aut pecunia,aut patrocinio,aut manu, alióve ſubſidio,viciſſim me aliquo modo ſubleuaueris, gratias retuliſti reddidiſtíque.licet Seneca nolit malas referri poſſe,ſed reddi. Cicero tamen in Salluſtium ait, Nam quòd iſta inuſitata rabie in vxorem & filiam meam inuaſiſti(quæ ſe facilius mulieres abſtinuerunt à viris, quàm tu vir à viris) ſatis doctè ac peritè feciſti. Non enim ſperaſti me mutuam tibi gratiam relaturum , vt viciſſim tuos compellarem. Quanquam Cicero nunquam fere ait reddere gratiam,ſed referre. Porrò hoc exemplum in aliũ quoque vſum attuli, quòd videtur ſignificare gratiam etiam verbo referri,non ſolum facto. Sed multum tamen differt ab illo, Agere gratiam , quo tantum innuitur confeſſio accipiẽtis beneficium.Qui verò refert gratiam,reddit beneficium,& interdum maleficium,ſiue facto,ſiue dicto.quoniam dicendo nonnunquã proſumus æquè atque faciendo.Plancus ad Ciceronem,Immortales ago tibi gratias,agámque dumviuam.Nam relaturum me affirmare non poſſum.Tantis enim tuis officiis non videor mihi reſpondere poſſe.Ecce reſpõdere officiis,& ſatiſfacere beneficiis, eſt gratias referre.Cæterum frequentius eſt Refero gratiã,quàm habeo gratiam.Item frequentius Habeo gratiam,quàm ago gratiam.Vix enim audiuimus,Ago gratiam,ſed gratias.Et rarò,Refero gratias, ſed gratiam . Cuius rei teſtimoniũ eſt illud in libro 46.Titi Liuii,Satiatúſque tandem complexu filii,renuntiate(inquit)gratias regi me agere, referre gratiam aliam nũc non poſſe quàm vt ſuadeam,non antè in aciem deſcendat, quàm vt in caſtra me rediiſſe audierit. Dicimus item Ago grates, ſed ſæpius apud poetas,qui neceſſitate verſus, Ago gratias dicere nõ poſſunt. Nonnunquam etiam apud oratores, vt Ciceronem,Aliquantóque poſt ſuſpexit ad cælũ,& Grates tibi,inquit, ago ſumme Sol, vobíſque reliqui cælites:niſi legendum eſt gratias,& non grates pro eodem ſignificato,ſiue pro eo quod eſt reddo gratias. Seneca in tragœdia,quæ inſcribitur Agamemnon dixit,

Reddunt grates tibi grandæui,

Reſpondere officiis.

Laſſique ſenes compote voto.

Reddunt grates,id eſt(vt ego interpretor)agunt gratias. Quis e-nim referre poſſit gratiam Deo? quod etiam fando nunquã cognitum eſt,præterquã apud quoſdã recẽtes, nihil niſi barbare loqui ſcientes.Sed gratias agimus.Rarò etiam gratiam diis habere dicimur,quoties agnoſcimus,apúdq; noſipſos fatemur ab illis beneficiũ accepiſſe,citra ſpẽ gratiã referẽdi, vt in Andria Terentius, Pol diis habeo gratias,quòd in pariundo,aliquot affuerũt liberæ.

EPITOME.

Gratulari,cum datiuo tacito aut expreſſo,eſt ſignificare te gaudere de fortuna ac fœlicitate alterius qui eam obtinuit,etiam ſi tu is fueris, ita vt duplicem perſonam geras & gratulantis & eius cui gratuleris.Gaudemus igitur, vt Donatus dicit,noſtra fœlicitate.Gratulamur alienæ.pro quo poetæ & interdum hiſtorici Grator vtũtur. Gratulari quoque, eſt gratias agere præcipue diis, hoc eſt ſupplicare pro fœlicitate obtenta:quo modo etiam grator accipi poſſet.longe tamen differunt à gaudeo:ita vt gratulari poſſet,qui non gaudeat,vt aſſentator.

Gratulor & Grator. CAP. XLII.

GRatulari, eſt verbo teſtari te gaudere fortuna ac fœlicitate alterius,apud eum ipſum qui affectus eſt fœlicitate. Nonnũquam apud teipſum ob tuam fœlicitatem.Ideóque ferè poſtulat datiuum. vt, Gratulor tibi ob tuam præturam adeptam,Gratulor manibus meis,quibus vt te contingerent,datum eſt.Quintilianus,Non efficiet tamen infandum præſentis reatus indignúmq; diſcrimẽ,vt miſera puella non gratuletur ſibi, quòd ipſam pauper accuſare iam poteſt.Poetæ nonnunquã prætereunt datiuum,vtique quum fuerit pronomen. quæ fuit cauſa,vt quidam exiſtimarent, quorum eſt Apuleius, hoc verbum idem ſignificare quod gaudeo.Ouidius in Heroidibus,

In odii potione 2.

Gratulor OEchaliam titulis accedere noſtris. Gratulor inquam tibi,vel mihi,vel nobis.Idem tertio de arte amandi,

Priſca iuuent alios, ego me nunc denique natum Gratulor.

Gratulor,ſubintellige mihi.Et interdum etiam oratores.Quintilianus in paſtu cadauerum,Gratulemur iam, quòd nulla ciuitas fame laboret. ſubintellige nobis. Verba autem Apuleii hæc ſunt in apologia de magia, Eo in tempore quod non negabunt in Getuliæ mediterraneis montibus fuiſſe, niſi piſces per Deucalionis diluuia reperirentur.Quod ego gratulor neſciſſe iſtos,legiſſe me. Prætermiſit datiuum, atque gratulor pro gaudeo accepit. Quod tantum abeſt vt approbem, vt poſſit gratulari quis,quum minime gaudeat,atque adeò doleat: quod frequenter vſu venit: vtique inter falſos amicos,quum alter inuidus atque æmulus tacitè quidem dolens, quòd alter honoribus auctus ſit, tamen illi

gratulatur. Fortè & Apuleius ſubintellexit mihi. In eadem ſignificatione accipitur grator, ſed poeticum, hiſtoricúmque eſt. Virgilius, Inueni germana viam, gratare ſorori. Titus Liuius libro ſeptimo, Tuum ſequentes currũ, Iouis optimi maximi templum gratantes, ouantéſque adire. Dicimus aliquando gratulari, pro eo quod eſt gratias agere, ſed non ferè niſi diis immortalibus. Ideóque propriè idem eſt quod ſupplicare. Siquidem triumphantes in Capitolium aſcendebant, Ioui optimo maximo, cæteríſque diis gratulatum. Eiuſdem quoque ſignificationis fortaſſis eſt grator. quod ſignificat Liuius libro decimo, dicens, Itaque prætor extẽplo edixit, vti æditui ædes ſacras tota vrbe aperirent, quo circumeundi, ſalutandíque deos, agẽdíque grates per totam diem populo poteſtas eſſet. Nec mirum, ſi dicimus gratulari, gratarive diis, quaſi oſtendere, non illis aggaudere, quum dicamur etiam eoſdem ſalutare, quaſi ſalutem illis optare, quod hominibus conuenit, non diis.

4. AEneidos.

Salutare deos.

EPITOME.

Fingere, eſt more figuli aliquid componere. Effingere autem, eſt ad alterius formam fingere, effigiémque eius ducere. Effigies enim, eſt ſimilitudo, aut imago rei ad viuum effi&ta.

Fingo & Effingo. CAP. XLIII.

Fingere, propriè eſt figuli qui formas ducit ex luto. Inde generale fit vocabulum ad cætera, quæ ingenio, manúque hominis artificioſe formantur, præſertim inuſitatè & noué. Effingere, eſt ad alterius formam fingere, & quodam modo fingendo repræſentare. Cicero ſecundo de Oratore, Tum accedat exercitatio, qua illum quem antè delegerit, imitãdo effingat atque exprimat. Quintilianus, Nam id quoque eſt docilis naturæ, ſic tamen, vt ea quæ diſcit, effingat. Et iterum, Nam mihi videtur M. Tullius quum ſe totum ad imitationem Græcorum contuliſſet, effinxiſſe vim Demoſthenis, copiam Platonis, iucunditatem Iſocratis. Vnde ductum eſt nomen Effigies, figura adviuam alterius ſimilitudinem, vel ad veritatis imaginẽ facta, tam in picturis, quàm in ſcalpturis.

Lib. 1. cap. 3.

Lib. 10. cap. 1.

Effigies.

EPITOME.

Obire, ſignificat exequi & perficere munus aut officium eius quod additur: vt, Obeo legationem, prouinciam, diem, aut mortem. Quando autem nihil additur, vt obiit: ſignificat mortuum eſſe, quaſi omnia officia executũ. Sicut oppetere mortem, id eſt terram mordicus petere, dicere licet. aut abſolute, oppetere, pro eo quod eſt necari ſeu occidi: aut potius occiſum terram mordicus petere, ne vocem viro indignam emittat. ſed interdum etiam pro morte fatali ſeu naturali dicitur. Similiter defunctus & perfunctus variis officiis dicitur. ſed dum nihil additur, intelligitur toto munere vitæ defunctus, id eſt mortuus. Detulit autem per ſe poſitum, ſignificat accuſauit, vt author declarat.

Obeo, Oppeto, & Defungor. CAP. XLIIII.

OBeo legationem, exequor munus & officium legationis. Obeo prouinciam, exequor officiũ prouinciale. Ita Obeo mortem, exequor vel perago mortem, vel adeo mortem, quemadmodum dicitur quis obiisse diem, pro adiuisse. Itẽ Obiit diem suum, idem est quod mortuus est, & iuit ad diem fati, vt apud Quintilianum, Nuntiatum est Marcellum diem suum obiisse. Prætermittimus autem nonnunquam illum accusatiuum dicentes, Marcellus obiit. Quod idem fit in illis significatione similibus verbis, Oppetiit & defunctus est: atque etiam in detulit, & siqua sunt alia. Nam in priore subintelligitur accusatiuus, mortẽ: in posteriore ablatiuus, vita. Quid signi? quòd sæpe reperimus hæc nomina esse his verbis adiũcta. Est autem oppetere frequentius quidem mori, nõ fatali, sed illata morte. Interdum tamen & fatali. Cicero de Officiis, Et Aiax traditur millies mortem maluisse oppetere, quàm mulieribus (si Circe & Calypso mulieres appellandæ sunt) vt Vlysses fecit, inseruisset. Idem de diuinatione, AEquius esse censuit se maturam oppetere mortem, quàm P. Africani filiam adolescentem. Fœminam emisit, ipse paucis diebus pòst est mortuus. Sine accusatiuo apud Virgilium,

Lib.1.

Lib.1.

AEneid.1.

-O térque, quatérque beati,
Queis ante ora patrum, Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere.

Defunctus quoque dicitur, quasi perfunctus munere viuendi. Ideóq; vt dicimus, Perfunctus est siue defunctus officio prætorio, munere ædilitio, cura tribunitia: ita defunctus vita, id est ab hac administratione, ab hoc munere, ab hac procuratione cessauit. vt apud eundem, Defunctáque corpora vita. Detulit autem (quod tertio loco posui) in idem significatũ accipio, quod est accusauit, vbi subintelligitur reus. vt Quintilianus, Diuitem detuli reum, pauper inimicus, occisi pater.

Defero.

In tormentis pauperis.

EPITOME.

Vestigo, est inquiro, quasi per vestigia. Sed inuestigo & peruestigo, significãt nõ solum quæro: sed etiam, & quidem frequentius, quærendo inuenio. vnde in Apostolo ininuestigabilis legam.

Vestigo, Peruestigo, & Inuestigo. CAP. XLV.

PEruestigo & Inuestigo, non solum quæro, sed etiam (& quidem frequentius) quærendo inuenio: vt sit Vestigo, quæro: Inuestigo & Peruestigo, quasi acquiro. Ductum autem est hoc verbum à vestigiis, tanquam signis indiciisq;, quibus ad rei notitiam peruenimus. Cicero tertio de Oratore, Ipsa tractatio & quæstio quotidie ex se gignit aliquid, quod cum desidiosa delectatione vestiges. Idem in eodem libro secundo, Nosse regiones

intra quas venias,& peruestiges quod quæras. Idem pro Ligario, Sed quoniam diligentia inimici inuestigatum est quod latebat, confitendum est vt opinor. Terentius, In Heautont.

Nihil tam difficile est, quin quærendo inuestigari possit.

EPITOME.

Nutriuntur parui vt crescant, nutriuntur etiam adulti vt viuant, quomodo etiã ali dicuntur. Sed res incorporeæ aluntur, vt crescant duntaxat, hoc est augentur & fouentur.

Nutrio & Alo. CAP. XLVI.

NVtriri, est & paruulorum vt crescant. Vnde nutrices dicuntur, nutritiíque, qui curã infantium habent, habuerúntve, & adultorum, vt viuant. Ali quoque in eodem significato. Vnde lex illa 12. tabularum, Liberi, parentes alant, aut vinciantur. At in rebus incorporeis frequentius vt crescant. Quintilianus, Sed alere facundiam, vires augere eloquentiæ possit. perinde ac si dixisset, Augere facundiam, augere vires eloquentiæ possit. Cicero, Sed nec illa extincta sunt, aluntúrque potius, & augentur cogitatione & memoria mea. Coniunxit & ipse hæc duo, sicut solemus in multis, que similia sunt: vt possum & licet, vt munus & officium, vt mens animúsque. Virgilius, Hos successus alit. id est quasi horum animos successus augescere facit. In præf. lib. 1.

EPITOME.

Spero & confido, pro credo leguntur, tam de præterito, quàm de præsenti & futuro, vt author exemplis docet.

Spero & Confido. CAP. XLVII.

SPero pro credo vsitatum est, siue de præsenti loquamur, siue de præterito. De præsenti, Quintilianus, Facilis (vt animaduertere vos spero) defensionis meæ cursus est. De præterito, Idem, Et innocentiam quidem puellæ satis (vt spero) defendimus. Et Cicero, Spero iam probatam esse amicitiam nostram. Similiter confido pro credo, tum in præterito, tum in præsenti, tum in futuro. In præterito, Quoniam probatam rationem officii mei vobis esse cõfido. In præsenti, Quanquã à Cratippo nostro principe huius memoriæ philosophorum, hæc te assidue audire, atq; accipere confido. In futuro, Ita fore confidimus. Hæc exempla ex Cicerone sunt.

EPITOME.

Dicere sententiam, cõpetit cõsiliario: Ferre, iudici. sed interdum dicere pro ferre legitur. Similiter dicere leges, differt à ferre. nã ferim⁹ ad nostros, dicimus ad victos.

Dico & Fero sentẽtiã, Dico & Fero legẽ. CAP. XLVIII.

DIco sententiam consiliarius, fero sententiam iudex. Quorum exempla frequentiora sunt, quàm vt à me repeti debeant. Nõnunquam tamen dico pro fero, vt apud Quin-

tilianum, Apud iudices quidem ſecundum legem dicturos ſententiam, de confeſſis præcipere, ridiculum eſt. Iuris quoque conſultos hoc verbo in hunc ſenſum frequentiſſime vſos videmus. Dico leges, aliud quàm fero leges. Eſt enim ferre ad ſuos: dicere ferè ad victos. vt Liuius lib. 46, Nihil ea mouerũt regẽ tutã fore bellis Aſiã ratũ, quando perinde ac victo, iã ſibi leges dicerentur.

EPITOME.

Circunſto, id eſt circundo, ſtando propriè. Circunſiſto, id eſt inuado & irruo, aggrediórque terrificãdi gratia, ſed interdum etiam terroris adferendi. interdum pro circunſto accipitur.

Circunſto & Circunſiſto. CAP. XLIX.

CIrcunſto & Circunſiſto, vtrunque facit circunſteti. ſed primum pro circundo, alterum pro inuado & irruo, & quaſi terrificatione aggredior. Virgilius,

Circunſtant animæ, dextra læuáque frequentes. Idem,
At feſſi tandem ciues infanda furentes,
Armati circunſiſtunt. Et alibi,
At me tum primum ſæuus circunſtetit horror.

Quintilianus in apes pauperis, Quum me euocaſſent ſubito trepidum, totóque fortunæ ſuæ ſtrepitu circunſtetiſſent. Nonnunquã non terrificãdi ſed terroris auferẽdi gratia ponitur. vt Cæſar in Comment. Siquis grauiore vulnere accepto deciderat, circũſiſtebãt. hoc eſt, ſocii iacentem exhortabãtur, tela hoſtium arcentes. Nõnunquam etiam, vt circunſto accipitur. vt apud eundem, Et mercatores in oppidis vulgus circunſiſtit, quibúſq; ex regionibus veniant, quáſque ibi res cognouerint, pronuntiare cogit. Quo etiam modo apud Quintilianum accipi poteſt.

EPITOME.

Vſurpare, eſt vti ſeu vſitari, tum dicto, tum facto: ſed cum accuſatiuo. interdúmq; pro dictito ponitur, ſicut frequentius pro factito.

Vſurpare. CAP. L.

VSurpare eſt vti ſiue vſitari, tum dicto, tum facto. Cicero in Oratore, Pòſt inuenta concluſio eſt, qua credo vſuros illos veteres fuiſſe, ſi iam nota atque vſurpata res eſſet, qua inuẽta omnes vſos magnos oratores videmus. Hoc etiam ſic dicere licebat in eandem ſententiam, Pòſt inuenta concluſio eſt, quam credo vſurpaturos illos fuiſſe, ſi iam nota atque vſurpata res eſſet, quam inuentam omnes vſurpaſſe magnos oratores videmus. Idem, Quod ſemper vſurpamus in omnibus dictis ac factis, minimis ac maximis: quum hoc decere dicimus, illud non decere. Idem, Præclare enim hoc eſt vſurpatum à doctiſſimis, (In Paradoxis.) quorum ego authoritate non vterer, ſi mihi apud aliquos agreſtes habenda eſſet oratio. Sed quum apud prudẽtiſſimos loquar,

quibus hæc inaudita nō ſunt,cur ego ſimulem, me ſiquid in his ſtudiis operæ poſuerim,perdidiſſe? Dictum eſt igitur ab eruditiſſimis viris,niſi ſapientem liberum eſſe neminem. Vſurpatum & dictum pro eodē accepit, ſicut doctiſſimis & eruditiſſimis. Quid multa? quum frequenter iuriſconſulti vtantur vſurpo pro dictito.nam pro factito,minus dubium eſt.

EPITOME.

Præſto ſum,idem eſt quod adſum,id eſt auxilio ſum. ſempérq; ferè verbo ſum ſimplici cohæret. Adſum autem,tria ſignificat. primum præſentem eſſe. ídque naturaliter ſignificat,& ablatiuum mediante præpoſitione IN regit,aut datiuum. alterum,auxilio ſeu præſidio eſſe,quo modo aduocati adſunt. tertium, aduenire ſeu aduenturum eſſe. Quæ tria,etiam præſto eſſe ſignificat.

Præſto ſum & Adſum. CAP. LI.

PRæſto ſum,idem eſt quod adſum,nec alteri ferè verbo cohæret,niſi verbo ſubſtantiuo,& huic ſimplici. Nam præſto adſum, magis poeticum eſt. Quid igitur ſignificat adſum? Tria.Vnum naturaliter, duo per quendam flexum & deriuationem. Primum eſt,Præſens ſum,quod modo cum ablatiuo iungitur,in,præpoſitione ſeruiente.vt apud Ciceronem de Oratore, Paulus in pugna non adfuerat.Modo cum datiuo,vt apud eundem in Philippicis, Omnibus his pugnis Dolabella adfuit. Et apud Quintilianum, Nam in libris obſeruationum à Septimio editis, adfuiſſe Ciceronem tali cauſæ inuenio. Secūdum eſt hinc ductum, quòd ſæpe corrogamus, qui nobis adſint periclitantibus, quales ſunt aduocati, quorū officium eſt adeſſe in iudicio. Sed ipſum illud adeſſe,fauere eſt,præſidióque eſſe. ideóque dicimus adeſſe,pro eo quod eſt,eſſe præſidio. Virgilius,
Modo Iuppiter adſit. Et iterum,
Adſis ô tandem, & placidus tua numina firmes.
Et in proſa,Quintilianus,Nūc omnes in auxilium deos,ipſúmque in primis, quo nec præſentius aliud, nec ſtudiis magis proprium numen eſt,inuocem: vt quātum nobis expectationis adiecit, tantum ingenii aſpiret, dextérque ac volens adſit. Idem, Si tamen pater,qui diuiſit patrimonium,& reos parricidii defendit, ſic agat,quod contra legem ſufficit: Parricidium obiicitur iuuenibus quorum pater viuit, atq; etiam liberis ſuis adeſt. Tertium eſt aduenio, ſeu magis adueniam. Nam propè idē ſunt,Iam veniet, & iam præſens erit. Itaque aderit accipitur pro vtroque,ſiue pro vtrouis. Virgilius,
Iámque aderit multo Priami de ſanguine Pyrrhus. Et iterum,
Huc ades ô formoſe puer. Et,
Huc ades ô Galatea,quis eſt nam ludus in vndis? Et iterum,

Huc ades ô Meliboee, caper tibi ſaluus & hœdi.

Vbi ſi eadē foret ſignificatio, quæ eſt in illo præſens ſis, hîc ades, non huc diceretur. Ergo huc ades, pro adſis, idem eſt, quod huc veni. Has eaſdem ſignificationes habet præſto ſum, & eadem ratione. In prima, Ciceronis exemplum eſt in Bruto, Quibus quidem cauſis tu etiam Brute præſto fuiſti. In ſecunda, eiuſdem pro Murena, Ius ciuile didicit, multum laborauit, vigilauit, præſto multis fuit. Et pro eodem, Tu interea Romæ ſcilicet amicis præſto fuiſti. In tertia, eiuſdem ad Herennium, Hirundines æſtiuo tempore præſto ſunt, hyeme pulſæ recedunt. Et in epiſtolis frequenter, Stator tuus mihi cum literis præſto fuit. Et propriè accipi ſolet hoc vltimum, pro eo quod nunc dicimus, compareo, vt ſiquis aliqua dignitate, imperióve affectus, alteri ſic iubeat, Cras mihi ad hunc locum, & ad hanc horam præſto ſis. id eſt compareas, & te repræſentes, atque exhibeas mihi.

EPITOME.

Flemus, lachrymis. Gemimus, pectore, vt quæcunque premuntur. Ploramus voce flebili. Imploramus, ſic opem orantes. Plangimus, pectus cōcutientes. Eiulamus, voce muliebri. Vociferamur, voce effrænata. Lamentamur, voce querula & doloroſa.

Fleo, Gemo, Ploro, Plango, Eiulo, Lamentor, Vociferor. CAP. LII.

FLere, eſt lachrymis, ideóque tantum hominum, ſicut ridere. Gemere, eſt in pectore, quum præ anguſtia in ſonum prorumpit. Ideo & iumenta ſub nimio pondere gemunt: & inanimata quoque quum nimis onuſta ſunt, gemere dicuntur. vt apud Virgilium, Gemuit ſub pondere cymba. Plorare, eſt voce flebili & effuſa, dolorem ſuum aperire. Vnde implorare, eſt plorando opem orare. Plangere, eſt percuſſione ac verberatione pectoris, capitis, vultus, aliorúmve membrorum ſe in dolore affligere, regítque poſt ſe accuſatiuum. Ideóque per trāſlationem dicuntur fluctus plangere litora, quaſi ad declarandum dolorem, in modum lamētationis. Eiulare, eſt voce ſublata flere, quod magis mulierum eſt propriū. Vociferari, eſt voce effrænata, non modo dolorem, ſed etiam indignationem (quanquā indignatio doloris genus eſt) oſtendere. Interdum ſine affectu, ſed tamen vehementius exclamare. Lamentari, eſt voce querula, & triſti oratione cladem teſtari ſuam. Quæ exempla lecturis hoc opus inueſtiganda relinquimus.

Implorare.

EPITOME.

Exiſtere & extare, eſt eminere & ſupereſſe. Sed exiſtere, cū motu, quaſi prodeundo, aut exurgendo ſeu emergēdo. extare, etiam ſine motu. Eſt enim exiſto, quaſi excundo ſto. exto, quaſi extraſto. vnde apud Iuuenalem, Et ſtantem extra pocula caprum. dici poſſet vno vocabulo extantē. Vnde extant quæ non exciderunt,

tam libri quàm reliquæ res. Supereſſe dicuntur homines ſuperſtites, qui ſcilicet ſuperſtant reliquis decidentibus, aut vbi reliqui deciderint. Aulus Gellius docet Supereſſe ſignificare ſuper, id eſt plus quàm ſatis eſt, eſſe, id eſt redundare.

Exiſtit & Extat. CAP. LIII.

EXiſtit atque Extat, quorum verborũ vnum, atq; idem præteritum eſt, ſimile quiddam ſignificant, quod eſt eminet & ſupereſt. Sed primum cum motu, alterum ſine motu: vt illud ſit prodit, vel exurgit: hoc verò ſuperſtat. Cicero de diuinatione, Atque delapſus in flumen nunquam comparuiſſes, me contremuiſſe, timore perterritum, tum te repentè extitiſſe. Et iterum in eodem libro, Sũmerſus equus voraginibus non exiſtit. Adhuc iterum in eodem, Vocem ab æde Iunonis ex arce extitiſſe. Atque iterum, Neque diu vlla vox extitiſſet. Et in ſecundo, Anguem ab ara extitiſſe. Et iterum, In Lyſandri ſtatuæ capite Delphis extitit corona. De rebus quoque mutis exiſtere dicimus, vt idem in Lælio, Exiſtit hoc loco quæſtio ſubdifficilis. De extare exemplum vnum Virgilii ſuffecerit Georgicorum tertio,

-ſtant circunfuſa pruinis
Corpora magna boum, conſertóque agmine cerui
Torpent mole noua, & ſummis vix cornibus extant.

Quo fit, vt de libris, qui demortui non ſunt, dicamus extare. vt Extant pauciſſimi Varronis libri, plurimi non extant. Nam vt de homine qui adhuc viuit loquimur, Supereſt, quaſi nõ ſubter eſt, ſub terra humatus: ita de rebus, Extant, quaſi extra ſtant, non intra & in tenebris latent. Cicero in Oratore, Quæ (vt ſcis) extat oratio. Et de Senectute, Et tamen ipſius Appii extat oratio.

EPITOME.

Conciliare & inire, ſignificant quaſi comparare & contrahere. ſed dicimus Conciliare nobis amorem & beneuolentiam, non gratiam: & e diuerſo, inire gratiã, non amorem aut beneuolentiam. nam Inire, eſt magis fauorem comparare, quàm amorem. Reconciliari autem, & in gratiam redire, idem ſunt: niſi quòd reconciliamur per alium, redimus etiam per nos, idque etiam cum inanimatis. Præterea conciliamus nobis, id eſt comparamus laudem, famam, honores, ſimiliáque: non, inimus. Rurſus, inimus, non conciliamus, propriè rationem, fœdus, pacem, ſocietatem, bellum, pugnam, viam, & cæteras res graues ac magni momenti, quaſi capeſſentes & ingredientes. Quocirca non dicam, Ineo prandium & cœnam, vt ineo conuiuium. Vnde & rei magnæ principium, initium vocari ſolet, à Græcis procemium: iniénſque abſolute poſitũ, rebus magnis, vt ætati, pueritiæ, adoleſcentiæ, veri, æſtati, hyemi, anno nouo, & ſimilibus, duntaxat accommodari.

Conciliare amorem & beneuolentiam nos dici, Inire autem gratiam. CAP. LIIII.

COnciliamus amorem nobis alicuius, cõciliamus beneuolentiam: non autem conciliamus nobis gratiam. Rurſus, Inimus gratiam, non autem inimus amorem, aut beneuo-

lentiam. Quarum omnium orationum eadem ferè sentẽtia est, acsi hoc verbo vterer contraho, vel comparo: nisi quòd inire gratiam, est magis fauorẽ comparare, quàm amorẽ, vt apud Quintilianum, Quinetiam hoc timeo, ne ex eo minorem gratiam hic liber ineat, quòd pleraque non inuenta per me, sed ab aliis tradita continebit. Reconciliari tamen, & in gratiam redire, idẽ sunt, quoties amici interposita aliqua offensa, quum aliquandiu fuerunt inimici, in pristinam redeunt beneuolẽtiam ac familiaritatem. Sed redire in gratiam etiam cum inanimatis solemus. vt Cicero de Senectute, In gratiam cum voluptate redeamus. Praeterea conciliamus nobis laudem, famam, honores, similiáq;, nõ autem inimus. Quintilianus lib. 2, Nam & plus authoritatis afferit ea, quae nõ praesentis gratia litis sunt comparata: & laudem saepe maiorem, quàm si nostra sint, conciliant. Rursus, Ineo rationem, ineo foedus, ineo pacem, ineo societatem, ineo bellum, ineo pugnam, ineo viam, quasi capesso, atque ingredior: quod non ferè, nisi in re momentosa, aut graui grandíve dici solet. Nam nõ ita rectè loquar, Ineo prandium, coenámve, vt ineo cõuiuium. Vnde principium rei maioris, initiũ vocatur, vt initiũ orationis, Quintiliano quoque testante, qui ait, Quod principium Latinè vel exordium dicitur, maiore quadam ratione Graeci videntur prooemium nominasse, quòd à nostris initiũ modo * signatur. Et huíus verbi participium absolutè positũ, sine regimine, maioribus rebus adhibetur. vt Ineũte pueritia, ineũte adolescẽtia, ineũte aetate, ineũte vere, ineũte aestate, hyeme ineunte, ineũte anno nouo. Nõ autẽ dormitione ineunte, cõuiuio ineunte, die ineunte, nocte ineũte, hora ineũte, sed incipiẽte: nisi dicamus illud ipsũ ineunte, certis nominibus debere adiũgi, quae sũt ea, quae modò exposui.

Reconcilio. Redeo in gratiam.

Ineo.

Lib. 4. ab initio.

*significatur.

Iniens.

EPITOME.

Obruere, est operire aqua, aut terra, similíque re quae proiici potest: & per metaphoram etiam ad animum transfertur, competitq; vino & somno. Ingurgitari autem quéuis multo cibo dicim⁹: quãuis & vino quoq; quis se ingurgitat. Sicut crapulari, tã de potu quàm de cibo dicitur, cuius ingurgitatio & repletio, crapula dicitur.

Obruo, Ingurgito, & Crapulor. CAP. LV.

Obruere est operire, siue aqua: vt, Obrutus vndis. siue terra: vt, Obrue versata caerealia semina terra. siue per trãslationem ad animum: vt Quintilianus, Tot voluptates obruere possunt vnum dolorem. Sed de multo vino potando etiã obruere dicimus, sicut ingurgitare de absumendis multis cibis. Cicero pro Deiotaro ait, Vino se obruisse, nudúmque saltasse. Et in Antonium, Vt fratrem imitetur, se obruit vino. Et in eundem idem, Quum se cibis ingurgitasset. Ingurgitare aliquãdo vtrun-

que complectitur, ficut crapulari non modo in vino, verũ etiam in cibo, vnde fit crapula. vt Idem in eundem, Edormi, inquam, crapulam, & exhala. Crapula.

EPITOME.

Deuenire, eſt quaſi deorſum venire, vnde rectè deueni in planũ, in vallẽ, & à con ſimili in paupertatẽ ac miſeriã. De enim, ſæpe ſignificat deorſum: vt, Deuoluo, deorſum voluo. Deſpicio, deorſum inſpicio. & quia quẽ contẽnimus, nõ aſpicimus, ſed deſpicim⁹: ideo deſpicere accipitur pro contẽnere. vt in Bucol. Deſpectus tibi ſum, nec qui ſim quæris Alexi. Eſt tamẽ propriè deorſum inſpicere. vt AEneid. primo,
Et iam finis erat, quum Iuppiter æthere ſummo
Deſpiciens mare veliuolum, terráſque iacentes. Sicut ſuſpicere, aut ſurſum inſpicere: vt, Attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſum. aut per metaphoram venerari, quia quos ſupra nos conſpicimus veneramur. Diſpicere autẽ, eſt circũſpicere & conſyderare, refertúrq; ad mentẽ. Peruenire, eſt ad intentum finẽ venire, quaſi ad ardua. vnde propriè dicas, Perueni in mõtẽ, ad diuitias, ad honorẽ magnũ, & ſimilia.

Deuenio, Peruenio, Deuoluo, Deſpicio, & Diſpicio. CAP. LVI.

DEuenimus in mõtem, deuenimus ad diuitias, minus vſitatum, ac minoris rationis eſt, quàm Peruenimus in montem, peruenimus ad diuitias. Similiter ediuerſo, Deuenimus in planũ, deuenimus in vallẽ, quoties ab editiore loco profecti ſumus, vſitatius, probabiliúſq;, quàm Peruenimus in planũ, peruenimus in vallẽ. Ita Deueni in paupertatẽ, quaſi deſcendi, & delapſus ſum in humiliora. Deuoluo, deorſum voluo: vt Deoluere rogos, deuoluere trabes, deuoluere ſaxa, deorſũ præcipitare. Deſpicio, deorſum aſpicio: ſicut ſuſpicio, ſurſũ aſpicio. Inde per tranſlationem quum quis alium contemnit ac paruifacit, deſpicere videtur, quaſi infra ſe, & ad pedes ſuos proiectum aſpicere. quẽadmodũ & ſuſpicere, eſt venerari, quaſi ſupra nos aſpiciamus illum eſſe collocatum. Nã diſpicere, eſt prouidere, & circunſpicere mente, tanquam in omnem partem lumina mentis intendere, omniáque diſcernere. A quo diſpicientia dicta eſt, circunſpectio, & prouidentia, & conſyderatio diligens, atque diſcretio. Suſpicio. Diſpicientia.

EPITOME.

Occupare, eſt rem vacuã poſſeſſore primũ inuadere, & ante alios capere, aut vi capere. Occupatio autẽ, ſchema eſt ſeu figura qua præueniendo dicimus quod ab aliis dictum iri veremur, quaſi ſit quod vulgo dicunt, ſermonis præoccupatio. Occupatus verò dicitur, qui ante negotio detentus non poteſt alteri intendere. Vnde & occupatio, rei neceſſariæ, & cui ante alias vacare debemus, diligens vacatio.

Occupo. CAP. LVII.

OCcupare, eſt locum tenere, aut capere, & vi capere. vt apud Liuium lib. 33, Nam & ipſis vocantibus vrbem hanc accepi, non occupaui. id eſt, nõ vi accepi, aut mea ſponte accepi, ſed aliorum rogatu. Sæpe verò antè capere eſt, & (vt aliqui loquuntur) præoccupare. Vnde ſchema illud, occupatio appellatur, quoties quæ dici ab alio poterant, ea ipſi præueniendo dici-

mus in nostram partem, ne nobis postea officerent, retorquentes.
Cicero Officiorum libro primo, Sunt autem nulla priuata natura, sed aut veteri occupatione, vt ii qui quondam in vacua venerunt. Certè primi illi qui venerunt in vacua, non potuerunt in aliena ire, vt isti aiunt, qui volunt occupare vtique, in aliena re se possessorem facere. Propriè est enim occupare, quod in medio, siue in medium, atque in commune positum est, ante cæteros capere. Quod testatur Quintilianus inquiens, Multa nihilominus, quæ libera fuerant, transeunt in ius occupantium, sicut venatio & aucupatio. Inde occupatus dicitur, qui antè negotio aliquo detentus, non potest negotio alterius operam dare. Cicero, Nemo adhuc me cōuenire valuit, quin fuerim occupatus. hoc est, quia causarer me quibusdam aliis negotiis antè præuentū. Atque hinc vocatur occupatio, quum alicui necessariæ rei, & cui ante omnia operam dare debemus, cum diligentia vacamus.

Occupatio.

Occupatus.

EPITOME.

Peto, ad rem relatum, tam in bonum quàm in malum accipitur. ad personam verò, propriè in malum, cum ablatiuo præsertim sine præpositione: vt, Peto te gladio, veneno, insidiis, dolo. Peto autem malo aut telo, id est incesso, aut percutio iactu teli ac pomi. Posco autem, est rem debitā ac honestam peto. Reposco, rē meam repeto. Postulo, rem iustam aut iuridice requiro. Petimus etiam humiliter. Expostulamus autem cum querela apud amicos, officium amicitiæ requirentes, frequēter sequente ablatiuo & præpositione cum. Flagitamus, vehementer postulantes: sed adhuc vehementius efflagitamus.

Peto, Posco, Postulo, Flagito. CAP. LVIII.

Petere est in bonum, & in malum: quod declaratur per ipsam rem aut bonum aut malum significantem. vt, Medicus sanitatem ægri petit, pater laudem filii. Tu diuitias, ego voluptatem peto. Item, Multi filii petunt mortem patris, serui mortem dominorum, medici longitudinem morbi. Petere autem vitam alterius, itémque petere caput alterius, petere famam, petere pudorem, accipitur in malum: quòd illa in hominis perniciem petas, siue quòd ea oppugnes. At quum non in rem, sed in personam refertur Peto, vtique cum ablatiuo, in malam partem accipitur. vt, Peto te gladio, peto te veneno, peto te insidiis. Nam illud apud Virgilium,

Malo me Galatea petit lasciua puella.

Idem est quod malo me incessit, & pomorum iactu percutere me solet. Et ideo quasi de audaciæ culpæque sibi conscia, dicitur, Et fugit ad salices. Ab hac significatione absunt alia verba, Posco, quod est propriè rem debitam & honestam peto. Inde Reposco, quod est rem meam, & quod mihi reddi debet, peto. Postulo, est quodam modo requiro, vt res, tempus, locus, persona, causa

Reposco.

postulat:& tãquam rem iustam peto. Curtius, Postulabat autem magis quàm petebat. nisi accipiamus, vt Varro apud Seruium vult, humiliter petebat. Sic enim ait, Poscere, est quũ aliquid pro merito nostro deposcimus. Petere verò est, quum aliquid humiliter, & precibus postulamus. Expostulo, quod est cum querela apud amicos requiro, & quasi officiũ amicitiæ in alio desydero. vt Terentius in Adelphis, Quam ipsi fecerunt, vltro iniuriam expostulant. Sed frequentissime post se habet ablatiuum, seruiente præpositione cum: vt, Quid habes quod mecum expostules? Flagito, vehementer & plus quàm postulo. vt Cicero pro Quintio, Quanquam hæc causa postulat: & si postulat, non tamen flagitat. Quintilianus ad Tryphonem, Efflagitasti quotidiano conuitio, vt libros quos ad Marcellum meum de institutione oratoria scripseram, iam emittere inciperem. Quæ verba etiam Ciceronis sunt in epistola ad Quintum fratrem.

Lib. 4.

Expostulo.

EPITOME.

Labare, prima breui, est ruere, & repentè cadere. Labi verò, priori longa, leniter sensimque deorsum ire. Delabi autem, propriè est deorsum labi. Labuntur etiam in lubrico leniter cadentes. Lapsus tamen pro ruina legitur. is quoque lapsus, qui per infirmitatem animi ac imprudentiam deliquit. Elabi verò dicitur, periculum euadere. Labascere quoque animus à labo dicitur, per translationem. Inelaboratum dicitur nõ satis labore excultum: vnde vitio datur. Illaboratum, sine labore factum: quod laudi datur, quasi suapte natura natum aut factum.

Labo & Labor. CAP. LIX.

LAbo & Labor ita differunt, quòd labare est ruere, & repentè cadere, vt apud Virgiliũ, -labat ariete crebro Ianua. Labi verò, leniter, sensímq; deorsum ire. vt, Labũtur flumina, labitur cælum, labitur anguis, labuntur ab æthere pennæ, labuntur dii à cælo, nõ labant. Quintilianus, Vt numen, & deus, delabi syderibus, & venire de liquido puróque aere videbatur. Cicero, Nõ quasi vnum ex hac vrbe missum, sed quasi de cælo diuinum hominem in hanc vrbem delapsum intuentur. Ideóque dæmones magis è cælo labarunt, quàm lapsi sunt. Angeli verò assidue ad nos labuntur. Labi quoque dicuntur, qui in lubrico imprimẽtes vestigia, ad terram ferũtur, non cũ ruina, sed lentius & cum aliqua mora: tametsi nonnunquam lapsus pro ruina accipiatur. & per translationem de corporeis ad incorporea, de eo qui aut per infirmitatẽ animi, aut per imprudentiã deliquit, dicimus, Lapsus est, quasi pes animi vnus, ambóve, qui sunt fortitudo & prudentia, in lubrico lapsi sint. Et elabi quoque, periculum fugere dicitur eo modo quo anguis lubricus, murenáve, aut anguilla manu prehensa lapsu fugit, quod est, è manu elabitur. Ita qui è medio

In Sepulchro incantato.

Elabor.

periculo euasit, elapsus dicitur. Virgilius, Ecce autē elapsus Pyrrhi de cæde Polites. Sed hîc nō est translatio, vtpote in re corporea. Erit translatio in incorporea. Quintilianus, Seruium quidem Galbam miseratione sola, qua non suos modo liberos paruulos in concionem deduxerat, sed Galli etiam Sulpitii filium suis ipse manibus circuntulerat, elapsum esse, tum aliorum monumentis, tum Catonis oratione testatū est. Cicero, Hic Tito fratre suo censore, qui proximus ante me fuerat, elapsus est. id est, accusatorum quasi prehensantium manus effugit. Translatum quoque illud Terentianum à labo, non à labor, Labascit victus vno verbo quàm cito! Labo primam breuem habet, labor primam longam. Hinc labor laboris, & laboro laboras, prima breui, quod an ab altero illorum deriuetur, an ab vtroque potius, liberum opinaturis relinquo. Hoc tamen non omittens, inelaboratum dici, quod non artificio satis excultum est. Illaboratum verò, quod sine labore videtur factum. Illud vitio dari solet, hoc laudi. Quintilianus de Cicerone ita ait, Quum interim hæc omnia, quæ vix singula quisquam intentissima cura consequi posset, fluunt illaborata, & illa, qua nihil pulchrius auditu est oratio, præ se fert tamen fœlicissimam facilitatem.

Inelaboratū. Illaboratum. Lib. 10.

EPITOME.

Deligere, est quod magis idoneum sit ad aliquam rem decernere, quasi de multis legere. Eligere, est ad nostrum commodum, aut ad electi dignitatē è duobus aut pluribus legere. Delectum agere, est dispicere quis cui rei sit idoneus. Fieri autem potest vt idē deligatur, id est decernatur magis idoneus, & eligatur quasi è multis ad dignitatem sublimandus, vt princeps bonus. Deligo autem, accusatiuū sine præpositione regit, aut mediante ad. Eligo, mediante in: vt, Delegi te principem, aut ad principatum gerendum. Elegi te in principem. Pares autem dicuntur cooptari. Cæterum, dicimus agere vel habere delectum, non facere, nec cum alio verbo. Differtque agere vel habere delectum ab deligere, quòd deligimus aliquando vnum tantum: agimus autem vel habemus delectum inter multos.

Deligo & Eligo. CAP. LX.

DEligere & Eligere sic differunt. Deligere est, quod magis idoneum ad rem agēdam est, cernere. Eligere verò, vel ad nostrū emolumentū, vel ad illius qui eligitur, dignitatem. Delegit sibi sæpe populus Rom. imperatorem ad bella, vt Pompeium ad bellum Mithridaticū. Imperator quoque deligit milites, non eligit, ad rem videlicet bellicam idoneos: & inter eos agit delectum, qui cui rei sit magis cōmodus. Et agricola delectum agit inter tauros, quos scindendo solo, quósque procreandæ soboli destinet. At si ex multis daretur optio, quem sibi vellet eligeret, non deligeret. Ideóque semper ferè dicitur in eodem sensu, Datur tibi siue offertur optio, & Datur tibi, siue offertur electio.

At Cicero, Deligere, inquit, oportet, quam velis diligere. de vxore loquens, deligere dixit, quasi ad res domesticas administrandas. Nec inficias eo, posse fieri, vt in aliquem cadat delectionis & electionis nomẽ, vt in ipsum principem, quem ad honorem pariter & ad Rempub. bene gerẽdam assumimus. Cæterum deligo, sine præpositione accusatiuũ habere solet. vt, Populus Romanus delegit Cn. Pompeium imperatorem. Eligo, alterum accusatiuum sine præpositione, alterum cum præpositione: vt, Idem populus elegit in principem sibi Octauium. Cicero inquit, Quos Cæsar in Senatum elegerat. Porrò vtrunque horum verborum tam in superiores quàm in inferiores cadit: vt illud quod modo dicebã, Quos Cæsar in senatũ elegerat. Et sacerdotes eligunt sibi pontificem, & clerus episcopum. Rursus, Consul milites deligit, & milites imperatorem, nautæ gubernatorem, discipuli præceptorem sibi deligunt. Nam inter collegas paresque, aut ferè pares, dicitur cooptare. Liuius, Dictatorẽ dici placet. Dicitur M. Furius Camillus, qui magistrũ equitum L. AEmylium cooptat. Cicero in Bruto, A quo in collegium augurum fueram cooptatus. Illud non est silentio transeundum, duobus tantũ dici modis deligere, præterquam per hoc verbum ipsum. Vno, agere delectum: altero, habere delectum, nunquam facio delectum. Qui duo modi differunt ab ipsa significatione deligendi, quòd deligimus aliquando vnum tantum. Agere verò, vel habere delectum, ad multa semper refertur. Apud Quintilianũ legi, facere pro agere, quod haud scio, an vitio librariorũ factũ sit, an etiã sic dicere liceat. Ita enim legitur, Proprietates ingeniorum dispicere prorsus necessariũ est. In his quoq; certum studiorum facere delectum, nemo dissuaserit. Nanque erit alius historiæ magis idoneus, alius compositus ad carmen, alius vtilis studio iuris, & nõnulli rus fortasse mittẽdi.

Coopto.

Agere, & habere delectũ. Lib. 2. cap. 9.

EPITOME.

Percontamur, propriè arguendi gratia. Interrogamus, causa noscendi. Sciscitamur, causa sciendi. Addi potest quòd scrutamur & rimamur causa intuendi. Percontari autem, quia à conto, id est pertica qua nautæ aquarum profunditatem indagant, venit, videtur posse etiam sine reprehensione dici. sicut & percunctor, quod est cum mora inquiro: tractum ab his, qui excogitantes aliquid, cunctantur.

Percontor, Interrogo, & Sciscitor. CAP. LXI.

PErcontari, significat interrogare, quãuis suapte natura spectet ad finem coarguendi, vt Quintilianus testatur dicens, Quid enim tam commune, quàm interrogare, vel percontari? Quorum vtroque indifferenter vtimur, quum alterum noscendi, alterũ arguendi gratia videatur adhiberi. Interrogo igitur (vt ego interpretor) noscẽdi gratia adhibetur. Percõtor verò ar-

guēdi. Sciſcitari (vt ipſa vox indicat) ſciendi cauſa interrogare eſt.

EPITOME.

Debellare, eſt bello vincere, aut bello capere, propriè homines. Expugnare, pugnando capere, vel oppugnando vincere, propriè opera, moles, caſtra, vallos, caſtella, vrbes, naues, & ſimilia. Oppugnare autem & impugnare, eſt pugnam mouere, etiam citra victoriam. nam multi oppugnant & impugnant, qui non expugnant.

Debello & Expugno. CAP. LXII.

DEbellare, eſt bello vincere, aut bello capere. Expugnare, pugnando capere, vel potius pugnando & oppugnando vincere. quod ſignificauit Liuius libro quadrageſimoquinto, Haud paulo facilius quàm antè, duæ vnam, tunc vna duas naues expugnauit, cepítque. Sed debellamus potius homines. Vnde debellatum eſſe dicimus, pro eo quod eſt, bello certatum, bellóque res parta eſt, aut perdita. Expugnamus autem opera, moléſque, vt caſtra, vt vrbes, vt caſtella, vt naues. Quocirca miror illud in Pſalmo, Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſrael, Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi. pro eo quod eſt oppugnauerunt, ſiue impugnauerunt me. Si enim non potuerunt mihi, profectò nō expugnauerunt, ſed oppugnauerunt tantum. Græce autem ἐπολέμησαν magis eſt oppugnauerunt, ſiue impugnauerunt, quàm expugnauerunt. Pro eodem tamen ſignificato interpres accepit, niſi librariorum vitium eſt.

Oppugno. Impugno.

EPITOME.

Re particula præpoſita per compoſitionem verbo ad cælaturam aut clauſuram, ſeu contextum pertinenti, contrariū importat: vt, Refigo, retego, reſero, retexo, recludo, reuelo, reſigno. Cum aliis autem, non immutat ſignificationē: vt, Remoueo, repello. aut iterationem importat: vt Repeto, redeo, refero, reſtituo &c. vide ſuperiora.

De compoſitis à Re. CAP. LXIII.

FIgo, inde refigo, quod fixum erat, educo. Tego, inde retego, quod tectum erat denudo. Texo, inde retexo, quod erat textum, reddo non textum, & quaſi infectū, quod erat factum. Claudo ſiue cludo, recludo, quod clauſum erat aperio. Velo, reuelo, velamentum tollo. Signo, reſigno, quod erat ſignatum obſignatúmve relaxo, vel patefacio. Et multa alia huiuſmodi ſunt, multa non ſunt: vt repeto, repoſco, renouo, repræſento, reuello, remoueo, remaneo.

EPITOME.

Præparare, eſt ad futuram vtilitatem rem ante parare. Apparare, ad pompam & magnificentiam. vnde apparatus, qui interdum præparationem complectitur.

Præparo & Apparo. CAP. LXIIII.

PRæparare & apparare ita differunt, quòd præparare eſt antea parare ſibi quæ vtilia ſunt, aut fore credit. Apparare, ad digni-

tatem quandam, ac verius pompam. Ideóque oratores præparãt, quibus obtinere causam possint. At procemiũ apparatum reprehenditur, quòd plus pompæ atque ostentationis, quàm vtilitatis habere videatur. Cicero Officiorum primo, Facile totius cursum vitæ videt, ad eámque degendam præparat res necessarias, vt pastum, vt latibula, vt alia generis eiusdem. Idẽ de Oratore tertio, Illa quæ in apparatu fori appellantur insignia. Quanquam apparatus videtur interdum significare vtrũque, vt apparatus belli, quasi præparatio. Sed vt dicimus naues non modo instructas, sed etiã ornatas, quòd quò res instructiores ad bellum, eò pulchriores sunt: ita apparatum belli vocamus, vbi instrumenta bellica etiam adornata sunt. Apparatus.

EPITOME.

Præesse, est præpositum esse rei cuipiam gerendæ aut administrandæ. Præsidere est ad opem præstandam præesse, quam homines præstant iniuriam patiẽtibus, aut in discrimen adductis. dii verò præsides, beneficentiam & fauorem præstant inuocantibus. aliquando tamen confunduntur. Præsides autem dii sunt hominum, & homines deorum: sed homines quasi tutores & defensores idolorum. Præses autem in prouincia est, qui illic maius imperium post principem gerit. vnde præsidium, principale auxilium, & militum custodia, Gallice *garnison*. Præsul autẽ, proprie qui præest Saliis.

Præsum & Præsideo. CAP. LXV.

PRæsum & Præsideo differunt. Ab hoc fit præses, sicut à desideo deses, à resideo reses. Ab illo verò præsens, quod à suo verbo in significato recedit, de quo antè diximus. Præesse, est præpositũ esse rei cuipiam gerẽdæ atque administrãdæ. Præsidere, est ad opem præstandam præesse: quam proprie præstant homines quidem iniuriam patientibus, aut in discrimen adductis: Dii verò, beneficentiam fauorémque inuocantibus. Aliquãdo tamẽ indifferẽter. Suetonius de Tyberio, Præsedit & Acciacis ludis. quasi dixisset, præfuit. Cicero pro Sylla, Noli animos eorum ordinum, qui præsunt iudiciis, offendere. Idem pro eodem, Quam ob rem vos dii, & patrii penates, qui huic vrbi atque imperio præsidetis. Idem pro Milone, Vos inuicti, & in ciuis inuicti periculo centuriones atque milites, vobis non modo inspectantibus, sed etiam armatis, & huic iudicio præsidentibus, hæc tanta virtus ex vrbe expelletur, exterminabitur, eiicietur? Quintilianus in decimo, Nam beneuolum auditorem inuocatione dearum, quas præsidere vatibus creditum est, & intẽtum proposita rerum magnitudine, & docilem summa rerum celeriter comprehensa facit. Et non longe post, Quem præsidentes studiis deæ propius audirent. Vnde tã dii, quàm homines, præsides dicti sunt. Illi quidẽ in suo quisque numine, suáque vi: hi verò in sua quisque pro- Præsides.

uincia, aut ab rege, aut à populo sibi commissa. Idem Quintilianus, Quòd omnia sic egerit, vt genitum præside bellorum Deo incredibile non esset. quasi cuius in manu esset imperiũ bellorũ, aut auxilium. vt apud Liuiũ lib. 6, Dii deæque omnes qui Captolium incolitis, siccine vestrũ militem ac præsidem sinitis vexari ab inimicis? præsidem dixit pro auxiliatorem ac defensorem vt alibi. Etiam sæpe præses (vt diffinit Vlpianus) is est, qui maius in prouincia imperium habet omnibus post principem. Hinc præsidium, dictũ est auxilium principale. Nam subsidiũ, id quod in auxiliũ succedit, dicitur. Et milites qui ad tutelam oppidi, castelli, similiúmque collocati sunt, præsidium vocantur. vt, Impositum est præsidiũ Caietæ. Nam præsul antiquitus is dicebatur, qui primus erat inter Salios, id est Martis sacerdotes, Romæ duntaxat à saliendo dictos in portandis ancilibus.

Præsidium. Subsidium. Præsul.

EPITOME.

Assentari, est effuse lucri gratia quempiam laudare. Adulari, est inseruire, & captare, vt fauorem mereamur quoquo modo. à Græco δῦλυ, quod est seruus. Blandiri, est molliter tangendo assentari: sed etiam ad loquelam, & ad alia transfertur. vnde & canes, blandi dicuntur, non assentatores, neque adulatores: nisi (vt in apologis est) illis demus sermonem.

Assentor, Adulor, Blandior. CAP. LXVI.

Assentari, adulari, blandiri, ita differunt, quòd assentari est insidiose, & conciliandæ alicuius vtilitatis gratia, effusius, & plerunque falsò quempiam laudare. Adulari verò, inseruire, & captare, vt fauorẽ emereamur quoquo modo, vel voce, vel gestu. éstque tractum ἀπὸ τοῦ δούλου, quod est seruus. Et sanè adulari, seruile est, non liberale & ingenuum. Blandiri propriè ad tactum pertinet, & per abusionem ad alios sensus transfertur, & nonnũquam etiam ad animum. Quintilianus, Tu non cogitas, quemadmodum suspensa manu sonãtem blande cardinem flectas. Idem, Blandiar paulisper Iudices calamitatibus meis, & sic agam, tanquã inuenerim vtrunque sanum. Ideóque idem quodã loco penè pro eodẽ posuit hæc duo posteriora verba, Trãseo oblatam nolenti munerum vacationem, & blandius quàm militiæ disciplina postulet, adulatum militi tribunũ. Adulatũ blandius dixit, ne aut blandius blanditum, aut adulantius adulatum diceret, si tamen adulantius reperitur. Et alibi, Et animaliũ quoque sermone carentiũ ira, lætitia, adulatio, & oculis, & aliis signis corporis deprehẽditur. Sũt enim muta animalia hominũ serua, quæ signa maxime apparent in canibus, de quibus inquit Virgilius, Hinc canibus blandis rabies venit. Nam assentari nõ cadit in muta animalia, nisi credimus hoc modo coruum à vulpe

In Parie. pal. In ægro red. In Mil. Mar.

fuiſſe deceptum, quum optimum cibum ore geſtaret.

EPITOME.

Excuſo, vt notum eſt, ſignificat idem quod purgo. item idem eſt quod in excuſationem affero, quaſi accuſo. Cauſari, eſt cauſam rei geſtæ afferre. aliquando tamen quaſi in excuſationem afferre.

Excuſo & Cauſor. CAP. LXVII.

EXcuſare apertam ſignificationem habet. itémque cauſari. Excuſamus crimen obiectum, quod quũ videtur ſatis purgatum, recentes dicunt, Habeo te excuſatum. Veteres dicebant, accipio excuſationem, ſicut in illo, dum quis mihi tulit cõditionem (verbi gratia) an velim negotiari in ſua pecunia in cõmune lucrũ, dicam, accipio conditionẽ. Eſt & altera huius verbi ſignificatio, quæ à priore defluxit, quoties id quod in cauſa fuit, vt peccaremus, afferimus in excuſationem. Nec dicemus (vt aliqui loquuntur) accuſo, ſed excuſo: quanuis potius videatur ratio exigere, vt per accuſo, quàm per excuſo loquamur: veluti ſi latrones, aut flumina impedimento fuerint, ne ad diem adeſſe poſſem, dicam eo modo quo Quintilianus, Tu tamen ſi interpellatus tẽpeſtatibus ſerius veniſſes, excuſares mare & ambiguos flatus: & tibi bonam cauſam habere videreris, quũ diceres, antè nõ potui. Excuſares dixit, non accuſares. Liuius lib. 6, Exactæ iam ætatis Camillus erat, comitiíſque iurare parato in verba excuſandæ valetudinis ſolita cõſenſus populi reſtiterat. Et libro 47, Vbi dies venit, citaríque abſens eſt cœptus, L. Scipio morbum cauſæ eſſe cur abeſſet, excuſabat. Lucanus in 8, -littúſque malignum Excuſat. Cauſari, eſt cauſam rei geſtæ afferre. Suetonius, Syllanũ item ſocerũ ad necem, ſecandáſque nouacula fauces cõpulit, cauſatus in vtroq;, quòd hic ſe ingreſſum turbatius mare nõ eſſet ſecutus. Aliquãdo penè, quòd illa ſignificatio ſuperioris verbi (de excuſo dico) in ſecũdo ſignificato. Quintilianus, Nec cauſanti pupillo ſic tutor iraſcatur vnquam, vt nõ remaneant amoris veſtigia, & ſacra quædam patris eius memoria. Cauſanti pupillo, quaſi excuſanti acerbitatem tutoris. Cui ſimile eſt illud Papiniani, Iuſſus rationem reddere, & liber eſſe, ſi hæres cauſabitur accipere rationes, nihilominus liberum fore. id eſt, ſi impedimenta prætendet. Virgilius,

Cauſando noſtros in longum ducis amores.

Id eſt, impedimenti cauſas afferẽdo. Vlpianus, Proſcribere palàm ſic accipimus claris literis, vt planè rectè legi poſſint, ante tabernam ſcilicet, vel ante eum locum, in quo negotiatio exercetur, non in loco remoto, ſed euidenti, literis Græcis, an Latinis? puto ſecundũ conditionẽ, ne quis cauſari poſſit ignorantiam literarũ.

In paſtu cad.

Et alibi, Causari tempestatem, ac vim fluminum. Vbi liceat dicere, excusare ignorantiam literarum, & excusare tempestatem, ac vim fluminum.

EPITOME.

Mandare, est alicui aliquid gerendum committere: quod filius etiam patri facit, cui ipsum præcipere, iubere, aut imperare non decet. Præcipere enim, est magistrorum, & magistratuum, seu prælatorum. Iubere, frequenter idem quod imperare. Dicimus autem, Impero aut permitto mihi, tu tibi, ille sibi: non autem, Iussi mihi. Item venuste dicimus, Exequor & perago iussa ac mandata, sed non imperata: verum, facio imperata. Præterea dicimus, Impero tibi hanc rem, & iubeo tibi, sed & iubeo te. est autem iubere, non plane imperare; sed quasi hortari & velle significare. vnde & inferiores superioribus iubent. Edicunt magistratus & reges. vnde edictum consulum. Indicere autem, est denuntiare. vnde est versiculus,

Edicunt reges, indicit festa sacerdos.

Mando, Præcipio, Iubeo, Impero, Edico, & Indico. CAP. LXVIII.

Mandare, est cuius personæ gerendum aliquid, exequendúmque committere. vt Quintilianus, Mandata tamen tua fili perago. id est (vt nunc loquimur) commissiones, non autem iussa. Nam deforme alioqui esset, si filius iuberet, imperarétque patri. Præcipere, est tum magistrorũ, quod est præcepta tradere: tum magistratuum, & superiorum personarũ. Sallustius in Catilina, Iudices rerum capitalium, quibus præceptum erat. Idem in Iugurtha, Micypsa pater meus moriens mihi præcepit. Iubere, frequẽter idẽ est quod imperare. vt Quintilianus, Pater me iussit. Et alibi, Nam quanuis infestum latronibus mare iussus intraui. Neque dissimulauerim magnas fuisse causas patri, cur hoc mihi imperaret, quod ipse facere non potuerat. Pro eodem accepit iubere & imperare. Hîc tamen annotandũ est, quòd sicut eleganter dicimus, Impero mihi: vt apud eũdem, Imperauit sibi ne quas admitteret amplius preces: vt etiã Permisi mihi, permisisti tibi, permisit sibi: ita nõ eleganter dicas, iussi mihi. Præterea quum ita dicamus imperata, vt iussa, huic apponimus verbum exequor, perago, & siquid est simile: illi autẽ ferè vnũ verbum quod est facio, vt apud eũdem, Neque ipse hoc periculum ignoro, expertus non leui documento, quãti steterit mihi, quòd semel imperata non feci. In hoc etiã hæc verba differunt, quòd impero tibi hanc rem dicimus: Iubeo verò præter hanc cõstructionem, potest habere & illam cuius exemplum modo protuli, Pater me iussit. Est etiam iubere, non planè imperare, sed quasi hortari. vt idem, Spera tu, iube sperare matrem. Cicero etiam frequenter hoc modo loquitur, vt pro Deiotaro, Literis, quas ad me Tarracone misisti, bene sperare iussisti. Cui simile est illud Terẽ-

In Gladiat.

Permitto mihi.

Facio imperata.

In Apib. pau.

rii, Iubeo te saluere. Virgilius in quinto,

Reddíque viro promissa iubebant.

Quàm quæso decorum fuisset, vt regi milites ac comites sui imperarent? Edicere, est magistratuũ, regúmve. Vnde edictũ consulum, sunt literæ consulum, quibus aliquid iubent atque imperant. Nam indicere, propriè denuntiare est. vt, Indictũ est bellum, indixi bellum fortunæ, indixi bellum voluptatibus, indixit Romulus spectaculum. Liuius, Indici deinde finitimis spectaculũ iubet. Iterum, Indixit in posterum diem, vt adessent. Idẽ, Indicto iustitio. Iterum, Delectúsque & iustitium indictum est.

EPITOME.

Introcludo, id est intus claudo. Intercludo, id est impedio, quasi aliquid inter te & quo ires, medium claudo. Intersepio, aliquid inter medium sepio.

Introcludo & Intercludo. CAP. LXIX.

INtroclúdo te, id est in interioribus claudo. Intercludo te, iter tuum impedio, & quasi iter cludo. Virgilius,

Interclusit hyems, & terruit auster euntes.

Cicero, Qui iter Pœnorum cadaueribus corporum suorũ intercludendum putauerunt. Qua ratione etiam dicimus intersepio. Quintilianus, His textis ne vniuersi mellis pondus effluat, intersepta onera claudũtur. Quasi circunsepta, vel qua effluere mella poterant septa.

EPITOME.

Ex sententia, est quasi ad votum. Sed ex sententia, videtur esse rationis: ad votũ, affectus.

Ex sententia & ad votum habere. CAP. LXX.

EX sententia aliquid habere, & ad votum, licet illud videatur rationis esse, hoc affectus, eodem tamen ferè significationis veniũt. vt Quintilianus, Habésne vxorem ex animi tui sententia? Et alibi, Et ad omne votũ fluente fortuna lasciuit otium.

EPITOME.

Iter facere, est ingredi viam, hoc est ire. Viam facere, est vbi nõ erat via, aut trãsitus, hunc aut hanc aperire. Munire viam, est eam purgare, reficere, aut substernere interdum lapidibus. Et sicut viam munire, quando eam purgamus & reficimus, dicimur: ita & ripam, ac alueum, ac aditum munire, pro eo quod est reficere ac reparare. Iter habere, est aliquem aliquo esse iter facturum, seu debere ire.

Facere iter vel viam, & Iter habere. CAP. LXXI.

ITer facere, viam facere, viã munire. Item Iter facere, & iter habere differunt. Iter facere, est (vt imperiti loquuntur) itinerare, & (vt periti) ingredi iter aut viam. vt Cicero de Senectute, Masinissam quum pedibus iter ingressus est, in equum non ascendere: quum in equo, ex equo non descendere. Idem libro primo Officiorum, Tempus à natura ad eligendum, quam quisque viam viuendi sit ingressurus, datũ est. Viam facere pro-

Libro 5. cap. 14. prie est, vbi non erat via, viam & transitũ aperire. Quintilianus, Feratur igitur non semitis, sed campis: non vti fontes angustis fistulis colligũtur, sed vt latissimi amnes totis vallibus fluat, ac sibi viam (siquando non acceperit) faciat. Quod non probè dixeris

Munire viã. muniat. Est enim munire viam, repurgare, reficere ac substruere, interdum lapidibus, quales sunt viæ Romanæ à plerisque portis in multorũ dierum iter silicibus stratæ. Cicero pro Milone, Perinde quasi Appius ille Cæcus viã munierit, nõ qua populus vteretur, sed vbi impune sui posteri latrocinarentur. Et per translationem de corporalibus ad incorporalia. Quintilianus lib. tertio,

Cap. 1. Propterea quòd plurimi authores, quanuis eódem tenderent, diuersas tamen vias munierunt, atque in suam quisque induxit sequentes.

Munire aditũ Dicimus etiã vt viam, ita ripam munire, alueũ munire, aditum munire, quũ illa reficimus vel reparamus. Cicero etiam aditum munire, pro viam munire dixit pro Cluentio, Aditũ sibi aliis sceleribus antè muniuit. Iter habere, est iter aliquem esse facturum. Cicero, Habebat iter ad Hiatrũ regem, pro Flacco. Et ad fratrem, Et quòd ille in Sardiniam iter habebat.

EPITOME.

Proponere & ostẽdere præmiũ ac spẽ & metũ, siquid differũt, hoc est: proponit qui potestatẽ ac imperiũ habet. ostẽdit verò, qui tãtũ adhortatur, atque cõsiliũ dat.

Propono & ostendo cum aliis verbis. CAP. LXXII.

PRopono præmiũ, propono metum, ostendo spem, ostendo metum, ferè in eadem significatione, hoc est, hinc hortor, illinc deterreo. nisi quòd Proponere est potius potestatem imperiúmque habentis: Ostendere verò, consiliũ dantis. Cicero, Quis est qui proposito tanto præmio non excitetur? Idem, Propositis mortis & exilii minis. Item, Spem metúmque ostendere. Atque iterum, Magnum huic vrbi periculum ostenditur.

Pacificatus, Pacatus, & Placatus sum. CAP. LXXIII.

PAcificatus sum, pacem feci: Pacatus sum, in pace sum, vel ab armis recessi: Placatus sum, ab indignatione animi ad lenitatem redii, vel animo leni sum.

EPITOME.

Parem esse, significat sufficere alicui operi siue resistendo illi, siue exequẽdo. Par quoque, interdum idem est quod decens aut æquum. Paria facere, est quod alibi amissum est, vel quod aliunde acceptum, alibi vel aliunde compensare.

Parem esse, & Paria facere. CAP. LXXIIII.

PArem esse, idem est quod sufficere alicui operi, siue resistẽdo illi, siue exequẽdo. Cicero ad Atticum lib. 11, Tum interpellat fletus, repugno quoad possum. Sed adhuc pares nõ sumus. Quintilianus in Geminis languentibus, Nunc infœlix par

non est dolori, nunc non inuenit vlla solatia, ex quo sibi videtur filium perdidisse victurũ. Idem, Non fallit nos nefande quid captes, hoc quòd supra silentiũ trahis alta suspiria, quòd in prorumpenti videris exclamatione deficere, mẽdacio paratur authoritas, & in fidẽ erupturæ vocis affertur, vt fateri videaris inuitus. dic tamen, Par est huic rei matris integritas, vt mentiaris. Lucanus, Hunc habuisse pares Phœbeis ignibus vndas. In Infami in matrem.

Et hoc in resistendo. In exequendo autem, Idem Quintilianus, Aspicio par laboribus corpus. Nonnunquã par idẽ est quod decẽs. vt idẽ, Si propter matrimonia violata vrbes euersæ sunt, quid fieri adultero par est? Paria facere, est quod alibi amissum est, vel quod aliunde acceptũ, alibi, vel aliũde cõpensare. Idẽ Quintilianus, Paria tecũ facio respublica, quæ propter me, vnũ ciuem perdideras. Et alibi, Sic paria faciemus: tu illic eris vicarius meus. Plinius auũculus, Nascuntur & alio modo terræ, ac repente aliquo mari emergũt, velut paria secũ faciente natura, quæque hauserit hiatus aliquo loco reddente. Plinius Iunior ad Priscum libro 13, Habuerunt officia mea in secundis, habuerunt in aduersis. Ego solatium relegatarum, ego vltor reuersarũ, non feci tamen paria: atque eò magis hanc cupio seruari, vt mihi soluẽdi tempora supersint. Seneca, Vt statim tibi soluam quod debeo, & quãtum ad hanc epistolam paria faciamus. Par.

Solicito. CAP. LXXV.

SOlicito te, vel quòd spem, metúmve tibi ostẽdo, vt Solicitare plebem: vel inquieto, & tibi curam iniicio.

EPITOME.

Gratum facere, est quasi obsequi & inseruire. Gratificari, est quasi beneficiũ conferre. Itaque minus est gratum facere, quàm gratificari: cum dii gratificari dicantur, non gratum facere hominibus.

Gratum facio & Gratificor. CAP. LXXVI.

GRatum facio & Gratificor (siquid differunt) ita differunt, quanquã vtrũque est ex gratũ & facio, non tamen vtrunque cõpositum. Differunt autẽ ita, quòd gratum facere, est quiddam minus, & propè idem quod obsequi & inseruire. vt Cicero, Si hunc iuueris, gratissimũ mihi feceris. Gratificari, quiddã maius. Vnde Deum gratificari hominibus dicimus, non autem gratum facere, quasi idem sit quod beneficia conferre.

EPITOME.

Deduco & Reduco, præter generalem significationem, specialiter significant alicui præstare comitatum, ex officio ferè parium. Comitari verò, minorum erga maiores. Deduco autem, & Reduco, certum spectant locum. Assectari verò, est comitatum præstare per totam ferè vrbem.

Deduco, Reduco, Comitari, & Assectari. CAP. LXXVII.

DEduco & Reduco generalem habent significationem, sed in hoc speciale, quoties alicui officii gratia præstamus comitatum. vt, Deduxi Catonem in senatū, eúmque vt domum reducam hîc expecto. Sed proprie, hoc est inter homines non multū dignitate & authoritate distantes. Comitari verò minorum potius erga maiores. Cæterum deducere & reducere, est quasi ad certum locum. Assectari verò, quasi comitatum præstare, non tantū in itinere, aut nauigatione, aut militia, sed ferè per vrbem. vt Cicero de Oratore libro secundo, Quum ædilitatem Crassus peteret, eúmque maior natu & consularis Sergius Galba assectaretur, quòd Crassi filiam Cn. filio suo despondisset.

EPITOME.

Satiare, ad omnes sensus attinet: transfertúrque ad animum. Saturare, ad solum gustum.

Satio & Saturo. CAP. LXXVIII.

SAtiare, ad omnes sensus attinet: Saturare, ad vnum gustum. Nam figurate locutus est Cicero, Iracundiam meam satura tuo sanguine. quasi sitim meam satura. Satiare frequenter ad animum transfertur.

EPITOME.

Incedere, est ambulare, sed ferè sublimiter, & cum fastu: licet incessus sit qualiscūque, siue tardus, siue festinus, siue cōmotus, siue incompositus, immoderatúsque.

Incedo & Ambulo. CAP. LXXIX.

INcedere, est ambulare. inde Incessus, siue tardus, siue festinus, siue cōmotus & incompositus, immoderatúsque. Proprie tamen sublimior quidā, & fastū præ se ferēs. Virgilius,

Regina ad templum magna stipante caterua
Incessit. Et iterum, Et vera incessu patuit dea.

Quod Seneca quodam loco declarat, Tenero ac molli passu suspendimus gradum, nec ambulamus, sed incedimus.

EPITOME.

Aduersor tibi, quid sit, notum est. Auersor autem te, est te cum auersione vultus detestor.

Aduersor & Auersor. CAP. LXXX.

ADuersor tibi, & Auersor te. De primo nihil dubii est. secūdū sumit significationē à gestu, quoties ab aliqua re quā detestamur, vultū auertimus. Quintilianus in vndecimo, Aspectus enim eódem semper vertitur, quò gestus, exceptis quæ aut damnare, aut non concedere, aut à nobis remouere oportebit, vt idē illud videamur vultu auersari, manu repellere. Maro, Dii talem terris auertite pestem.

In Deuteronomio,& aliis pluribus locis est, Gētes quas Dominus auersatur.id est detestatur,atq; abominatur, & à quibus prae odio vultum auertit.Multi tamen indocti scribunt,legúntque, aduersatur Dominus.

EPITOME.

Leuo,id est alleuo,& laborē modestiámque extenuo.nota autē significatio est, sursum tollo,quod dicūt exalto. Subleuo,id est auxiliū defensionémq; præsto,aut alleuo.Alleuo autē,id est de imo,sursum tollo,aut de miseria erigo.Eleuo,extenuo, & imminuo:nec se aliter legisse meminit author. Propria tamen significatio est erigere,& quasi è tenebris sursum tollere. At quia in trutina quod erigitur, minus valere cēsetur: ideo per trāslationē,eleuare est imminuere æstimationē & pretium rei.vnde recte Persius,-nec siquid turbida Roma Eleuet,accedas,examénq; improbū in illa Castiges trutina.Cæterū aliter quoque acceptū attestatur Mācinellus,dicēs sic,Eleuo item,significat in altū tollo.Plautus,Cape dum lapidem hūc,atque eleua. Mancinellus.

De Leuo & compositis. CAP. LXXXI.

Leuo,est alleuo,& molestiā,laborémque extenuo.Nam pro illo significato quod est sustollo, notū est. vt Liuius lib.21, Mox aqua leuatur vēto, quū super gelida mōtiū cacumina concreta esset. Subleuo,auxiliū defensionémque præsto.Cicero, Zopyrus,qui se naturā cuiusque ex forma prospicere profitebatur,derisus à cæteris est, qui illa in Socrate vitia nō agnoscerent, ab ipso autē Socrate subleuatus , quū illa sibi signa ratione à se deuicta diceret.Alleuo,in altū tollo,vel de imo,& vbi quid iacet, atque proiectū est,sursum tollo.Quintilianus,Vidi multos,quorū supercilia ad singulos vocis conatus alleuarētur. Idē,Homini in aquā lapso,atque vt alleuaretur oranti. Inde per translationē ad qualitatē fortunæ.vt idē,Quare nō petit vt illū miserū putetis, nisi & innocēs fuerit. Nō petit vt afflictū alleuetis,nisi & probauerit sese infœliciorem, quòd patrē amisit, quàm quòd oculos. Etiam nonnunquam subleuo pro alleuo.vt apud Suetonium de Vespasiani vita,Dúmque surgit ac nititur,inter manus subleuātium extinctus est. Eleuo,imminuo,& extenuo.vt idē Quintilianus, Nam quis ignorat,quin id lōge sit honestissimū, ac liberalibus disciplinis,& illo quē exigimus animo dignissimū,nō vēdere operam, nec eleuare tanti beneficii authoritatem, quū pleraque hoc ipso possint videri vilia,quòd pretium habēt? Nusquā memini in alium sensum reperisse me.Nám Hieronymus testatur quodā loco Esaiæ, Eleuatū est super limina templi: debuisse transferri sublatum est. sed ad tollēdam ambiguitatem (ne quis putaret sensum esse talem,qualis est,sublatum est mihi pallium) ad aliud verbum recursum fuisse.Proprium tamen erat,sublatū, vt idem Quintilianus, Tunc te fas est sublatis ad cælū manibus proclamare,Mathematice,mentitus es.

Subleuo. Alleuo. In pariete palmato. Eleuo. In Mathematico.

EPITOME.

Perpendo, id est exacte pondero & examino, non autem intelligo aut percipio. Expendo quoque pro perpendo ferè accipitur. Appendo, id est suspēdo, aut ad lancem staterámve pondero. Impendo, id est impertior. Sed impendeo, est super caput iamiam casurus pendeo. Ab vtroque fit participiū impendens, sed diuersæ significationis. Impendere penultima longa, potest scribi cū apice sic, impendêre.

Perpendo, Expendo, Appendo, Impendo, & Impendeo. CAP. LXXXII.

PErpendere, est exacte ponderare atque examinare: non autē (vt aliqui volunt) intelligere, atque animaduertere. Cicero, Quid in amicitia fieri oportet, quæ tota virtute perpēditur? Expēdere, eiusdē ferè significationis est. Idē in Verrē 5, Deinde hæc expēdite, atq; æstimate. Idē Officiorū 1, Quæ contēplantes expēdere oportebit, quid quisque habeat sui, eadémque moderari, nec velle experiri, q̄ se aliena deceant. Appendere, est tū suspendere, vt notū est, vt appendi vuas: tū ad lancē, staterámve pōderare. Idē in Antoniū, Vt iā appēdatur pecunia, nō numeretur. Et in proœmio orationū AEschinis ac Demosthenis à se translatarū figurate ad incorporea transtulit, Ea putaui non annumerari lectori debere, sed tāquā appēdere. Impēdo habet participiū præsentis tale, quale est ab impēdeo, vt admoniti simus cauendū esse, ne ista nos fallat ambiguitas. Quale est apud eundē de Senectute, Mortem igitur impēdentē omnibus horis timens, quis possit animo consistere? Hoc participiū est ab impēdeo, nō ab impēdo. Est autē impēdere supra caput iamiā casurū pēdere. vt Nubes impendēt. Et gladius ille equina seta appēsus supra Dionysii cōuiuæ caput imminēs impendebat. Impéndere, ab impendêre, apice distinguēdum est.

Apices in scribēdo exigit Valla.

EPITOME.

Rapere res aliquas, est eas violēter & celeriter auferre. At rapere personā, est eam, aut sicut alias res, auferre, aut vitiare, potissimū virginē. Eripere autē cū datiuo & accusatiuo, est quasi è manibus alicui sua rapere, nō tamē semper ad vsum rapientis: itaq; in malū ferè accipitur. Sed cū accusatiuo & ablatiuo mediāte de, vel à, vel ab, vel abs, plerūq; in bonū, vt Eripuisti me ab hoste: sed interdū quoq; in malū, vt Eripuisti à me filiā. Præripere autē, nō regit sic ablatiuū: sed qui præripit, semper in suū vsum rapit: non tamen præ, illic antecessionē temporis semper declarat. interdum tamen est ante rapere, sed potius in passiuo: vt Præreptus morte, quasi præuentus.

Rapio, Eripio & Præripio. CAP. LXXXIII.

RApere manifestam significationē habet, quū de aliis rebus loquimur: Quū verò de personis, duobus in modis accipitur. Vno, qui ad res quoque pertinet, vt apud Virgilium,

Quid faceret? quò se rapta bis coniuge ferret?

Rapta dixit pro ablata. Et alibi,

Raptas sine more Sabinas.

Altero,pro eo quod eſt vim afferre,ſiue vitiare, vel ſi non aſportet,nec fœminã loco deducat. quod proprie de virginibus, quæ vitiatæ ſunt dicitur. vt apud Senecam,qui eandẽ legem nó eiſdẽ verbis repetit,quodã loco ſic retulit,Rapta raptoris,aut mortem, aut indotatas nuptias optet. Alio loco ſic, Vitiata vitiatoris, aut mortem,aut indotatas nuptias optet.Ab hoc verbo duo compoſita ſunt, Eripio & præripio, quorum primum quoties habet cũ accuſatiuo datiuum,ferè in malam partem accipitur.vt Eripuiſti mihi omnes bene viuẽdi facultates.Quoties verò ablatiuum cũ præpoſitione à vel ab ſiue abs,plerunque in bonam:vt, Eripuiſti me à periculo.interdũ in malam:vt,Eripuiſti à me filiam.Quod verbum ita differt à præripio (præterquam quòd nunquam hoc poſtulat talem ablatiuũ)quòdqui alteri aliquid eripit,poteſt id non in ſuos vſus eripere.vt,Eripuit illi vitã. Qui verò præripit,in ſuos proprios vſus rapit.neque præpoſitio illa anteceſſionem tẽporis declarat.Cicero pro Gallo,Demoſthenes tibi præripuit,ne eſſes primus orator: tu illi,ne ſolus. Non hoc intelligit Cicero, quòd Demoſthenes huic aut aliquid eripuerit(vt qui auferre nihil poſſet nondum nato)aut priorẽ ſe fecerit.Non enim Demoſthenes primus oratorũ antiquitate tẽporis dicitur,ſed facultate: neque hũc ſolus Demoſthenes ætate anteceſſit,eò quidẽ magis, quòd hic ipſe æqualis Ciceroni nõ potuiſſet inuicẽ antiquiſſimo illi aliquid auferre. Ergo ille præripuit tibi,id eſt rapuit ſibi iſtã dignitatẽ,vt ſummus orator eſſe videatur,futurus etiã ſolus,niſi tu partẽ in te illius laudis trãſtuliſſes, eſſéſque tu dignus nomine oratoris,quãuis non æquãdus Demoſtheni,quo nomine adhuc poſt illum præter te dignũ vidimus neminem. Nõnunquã hoc verbum ſignificat antè capere,ſed magis in paſſiuo.vt,Immatura morte præreptus nõ potuit præſtare qualem promiſerat regẽ. Sunt autem hæc verba Plinii Iunioris de viris illuſtribus, quaſi dixiſſet,Immatura morte præuentus.

Eripio.

Præripio.

EPITOME.

Titubare,eſt pedibus nõ valentis inſiſtere,præ ſenio,ebrietate,aut infirmitate ſe hucillúcque motare,transfertúrque ad animũ, & ad linguã, ac dentes. Nutare,eſt proprie male ſolidatæ molis,ruinam minãtis ac vertice trementis,ſeu hominis caput agitantis,aut animo titubantis. Vacillare,eſt alterno motu inconſtantem eſſe, quo modo & naues vacuæ vacillant. & per tranſlationem literæ nõ recte ſcriptæ, vacillantes dictæ ſunt à Cicerone,& à Iureconſultis,teſtis non ſatis conſtans, vacillans.Transfertur enim ad animum quoque.

Titubo,Nuto,ac Vacillo. CAP. LXXXIIII.

TItubare,eſt pedibus nõ valentis inſiſtere, quales ſunt ebrii, aut infirmi,aut vulnerati,aut decrepiti ſenes.vt apud Quin

In paſtu cadauerum.

tilianum, At nō tua culpa fames cœpit, sed vulneratū iugulasti, titubantem strauisti, fumantem incendisti. Transfertur etiam ad animum, vt apud eundem, Neque vlla vnquam tanta fuerit dicendi facultas, quæ nō titubet, aut hæreat, quoties ab animo verba dissentiunt. Titubare quoque lingua, & dentes dicuntur. Hinc linguæ & oris titubantia. Nutare, est proprie alicuius male solidatæ molis ruinā minantis. De animo quoque dubitante & nesciente quò se potissimum conferat, nutare dicitur. Vacillare, est alterno motu inconstantem esse. vt Idem, Est & illa indecora in dextrum & sinistrum latus vacillatio, alternis pedibus insistētiū. Cicero, Quum ex eo in vtranque partem toto corpore vacillante quæsiuit. Vnde & naues vtique vacuæ vacillant. Et idem Cicero de quodam præ infirma valetudine non recte scribente, inquit, Vacillantibus literulis. Ad animum quoque trāsferimus, vt apud iurisconsultos, de fide testis vacillante, qui inconstātia & diuersa testimonia dixerit.

Nutare.

Vacillare.

EPITOME.

Vacare, cum datiuo est operam dare: cum ablatiuo, vacuum esse & carere. Sed vacamus omnibus quæ non habemus. Caremus proprie, quibus egemus. nec caret qui non sentit. Deest verò, quicquid desit. Vacat autem impersonale, aut vacuum & non occupatum esse significat, aut inane & superfluū, aut placitum & libitum. Iuuenalis, Si vacat, & placidi rationem admittitis, edam. Virgilius, Et vacet annales nostrorum audire laborum. id est si vacuum sit tempus. Quod AEneas tunc non fuisse innuit AEneidos primo, vbi ea verba sic scribuntur, O dea, si prima repetens ab origine pergam, Et vacet annales nostrorum audire laborum. id est, si vacuum & placitum sit. Errauit ergo in hoc author noster, quòd putauit ea verba secundo AEneidos sic haberi, Sed si tantus amor, casus cognoscere nostros, Et vacat, &c. cum illic subsequatur, Et breuiter Troiæ supremum audire laborem. Mancinellus quoque nōnihil in ipsum annotauit, dicens, Marcus Tullius libro primo Tusculanarum, ita scribit, Carere igitur hoc, significat egere eo quod habere velis: inest enim velle in carendo &c. postea subiicit, Dicitur etiam alio modo carere, quum aliquid non habeas, & non habere te sentias, etiam si id facile patiare, &c. subsequitur inde, Carere enim, sentientis est. nec sensus in mortuo: nec carere quidē igitur in mortuo est. Præterea carere, de omnibus ferè, non solum de illis quibus indiges, dicitur. hinc Plinius libro vicesimooctauo, cap. primo, de capra loquens ait, Quod equidem miror, quum febri negetur carere. Et Ouidius libro decimoquinto Metamorphoseos, Morte carēt animæ. Horatius item libro secundo Carminum, Quæ caret ora cruore nostro. Tu verò lector attende vlterius, errare illos qui volunt careo habere significatum quod habet desum. Duo enim careo significat, vt per Ciceronis verba patuit: egeo scilicet, & non habeo: nec idem est desum & non habeo, vt ignari quidam esse contēdunt. Hinc careo, sentientis est. Aliud igitur est, careo denariis, id est egeo denariis, siue nō habeo denarios. Aliud desum, quo ita vtimur, Desunt mihi denarii.

Mancinellus.

Vaco, Vacat, & Careo. CAP. LXXXV.

VAcas sapientiæ, das operam sapientiæ: Vacas sapientia, Cares sapientia. Quanquam carere proprie, est vacare quibus indiges. quod significauit Cicero, quū inquit, Satiatis verò

& expletis iucundius eſt carere quàm frui. Quanquam non caret is,qui non deſyderat.Improprie tamen dicimus,Cares culpa, cares periculo, cares damno. Cum nomine tamen ſignificante actionem quandam ſiue qualitatem, adiūgimus à præpoſitionē: vt Vacas à labore, vacas à componendo, vacas ab agricultura, vacas ab omni moleſtia . Similiter per nomen, Vacuus ſum ab omni occupatione,atque ab omni ſolicitudine.Hoc autem verbum quum eſt imperſonale,quæri poteſt quid ſignificet. Quintilianus inquit, Nō,imò oderit reum verba aucupantem,& anxium de fama ingenii,& cui diſerto eſſe vacet.Hîc videtur Vacet accipi pro eo quod eſt,curæ ſit. Idem alibi, Tunc inchoare hæc ſtudia vel non vacabit, vel non libebit. Hîc videtur eſſe pro eo quod eſt,tempus vacuum erit.Nam libebit,idem eſt quod curæ erit.Et ne quis auderet immutare licebit pro libebit:Plinius Iunior (quanquā infinita ſunt huiuſmodi exēpla) querēs quòd nō poſſet operā dare admirādo cuidam philoſopho,ita ad amicum ſcribit,Quò magiste,cui vacat,hortor,quū in vrbē proxime venies(venies autē ob hoc maturius)illi te expoliendū limandúmque permittas. Quid igitur duas has ſignificationes huic tribuimus verbo,quū præter id,quòd ambiguū erit vtrū potius ſignificetur,ſuperuacuū videatur dicere,vel non vacabit,vel nō licebit,ſatis ſit dicere,non vacabit, quo videbuntur fortaſſis illa duo ſignificari? Quare exponamus,vt cæteros locos, ita & illum,cui eſſe diſerto vacet: vacet,vacuū eſt, hoc eſt,vacuū tēpus eſt: vel ſi vis,cui eſtvacuus animus.quod ſignificauitVirgilius quū inquit,

Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros.

Hoc quantum ad voluntatem,quòd eſt ſi libet.Deinde quātum ad facultatem temporis,vel vacuitatem animi,

Et vacet annales noſtrorum audire laborum. Dixerat enim,

-& iam nox humida cælo
Præcipitat,ſuadéntque cadentia ſydera ſomnos.

Quaſi non videretur tempus illud tantam narrationem pati,aut ipſa Dido eo tēpore æquo animo poſſe audire, quod audire cupiebat.

EPITOME.

Conſciſcere,ferè ad mortem pertinet, vt ſit concitare & inferre ſibi mortem. Aſciſcere,eſt remotum aliquid,quaſi ſcite vocatū,capere. Deſciſcere,eſt ſe ab imperio ductúque alterius quaſi per defectionem ſubtrahere.

De Conſciſco,Aſciſco,Deſciſco. CAP. LXXXVI.

Conſciſcere,ferè ad mortem pertinet.Plerūque enim ſic legimus, Mortem ſibiipſe conſciuit,mortē tibiipſe cōſciſcis, mortem mihiipſe conſciſcam, cogā te ad mortem tibi per

teipsum consciscendam. Asciscere, est remotū aliquid, quasi scite vocatum, capere. Cicero de Oratore, Expertes esse prudētiæ, quā sibi asciuerūt. Idem in Oratore, Itaque Caria & Phrygia & Mysia, quòd minimè politæ miniméque elegantes sunt, asciuerunt aptum suis auribus opimum quoddam & tanquam adipale dictionis genus. Desciscere, est ab imperio se, ductúque alterius subtrahere. vt milites à duce, populi à domino, discipuli ab opinione magistri quam prius sequebantur, præsertim ad alterius vel imperium, vel sententiam se transferentes.

EPITOME.

Asseuerare, est inter ipsa argumenta admiscere vim animi motúmque. Quādo videlicet fiduciam præferentes, audacter aut exclamamus, aut minaciter interrogamus, aut simile quid in approbationem facimus.

Asseuero. CAP. LXXXVII.

ASseuerare est inter ipsa argumēta, probationésq; admiscere vim animi, motúmq;. quod declarat Quintilianus, quū inquit, Altera ex asseueratione probatio est, Ego hoc feci, tu hoc mihi dixisti, & ô facinus indignū. Et alibi, Quū præsertim quorundam probatio sola sit in asseueratione & perseuerantia.

EPITOME.

Exhibere & facere aut facessere alicui negotium, est ipsum molestia ac labore afficere, & vt plurimum per accusationem. cuius causa videtur, quòd negotium apud Ciceronem sæpe laborem significat.

Exhibeo, Facio vel facesso negotium. CAP. LXXXVIII.

EXhibere illi negotiū, Facere vel facessere negotiū, est alterū molestia ac labore afficere, frequēter quidē per accusationē. vt Cicero Offic. 3, Criminabatur etiā quòd Titum filiū, qui postea Torquatus est appellatus, ab hominibus relegasset, & ruri habitare iussisset. Quod quum audisset adolescens, negotium videlicet exhiberi patri. hoc est, patrem accusari, vel molestia, laboréque affici. Nam negotium, sæpe pro labore, apud hūc præsertim, legimus: vt, Quid negotii est ista poetarum portenta cōuincere? quid operis? quæ exempla passim reperiuntur. Idem de natura deorum, Dii nec habent negotiū ipsi, nec alteri exhibent. Quintilianus libro quinto, Vt vulneratus, aut filio orbatus non fuerit alium accusaturus, quando si negotium innocenti facit, liberet eum noxa qui admiserit. id est, si innocentem reum facit. Cicero ad Appium, Quum est ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi negotium facesserent. id est accusarent, insectarentur, ad pœnam vocarent.

Negotium.

EPITOME.

Deturbare, est deorsum cum violentia deiicere. Exturbare, est violenter eiicere è loco. Disturbare, dissipando diruendóque disiicere.

Deturbo, Exturbo, & Disturbo. CAP. LXXXIX.

DEturbare, est deorsum cum violentia deiicere. Virgilius, Puppi deturbat ab alta.
Exturbare, è loco eundem in modū deiicere. Disturbare, dissipando diruendóque disiicere. Quintilianus, Nō enim discussos alicuius operis angulos, aut disturbatos parietes obiicimus. Cicero, Vt dicere in hoc ordine auderet, se publicis operis disturbaturum publice ex senatus sententia ædificatam domum.

EPITOME.

Admouere, est cum motu apponere. Amouere, remouere. Aduertere, ad aliquid conuertere. Auertere, alicunde alio cōuertere. Aduersus, dicitur oppositus obiecto pectore. Auersus, terga ostendens.

De Admoueo & Amoueo, Aduerto & Auerto, Aduersus & Auersus. CAP. XC.

ADmoueo manum, appono manum: Amoueo manum, remoueo manum. Aduerto oculos, mentémve: aliquò oculos, mentémve cōuerto. Auerto oculos, aut mentē: alicunde cōuerto oculos, aut mentē. Aduersus, oppositus, opposito pectore atq; obiecto. Auersus, terga ostēdens. vnde illud Tullianum aliquanto obscœnius, sed ad rem declarandam pertinens, Et aduersus & auersus impudicus es.

EPITOME.

Consternere, est corpus sternendo conturbare. Consternari, animo turbari. vnde ferè consternatus animo dicitur.

Consternere & Consternari. CAP. XCI.

COnsternere, est corporis: Consternari autem, animi, quum mens turbata est, & de statu mota, & quasi humi strata. Ideóque sæpe coniungi animum videmus, vt consternatus animo. Sallustius tamen primo historiarum inquit, Equi sine rectoribus exterriti aut saucii consternantur. quū sit vsitatius consternuntur.

EPITOME.

Placere sibi, est superbire dote aliqua aut bono quo confidit, cum inferiorum cōtemptu. idémque quasi est, admirari se. Sed non placere sibi, aut displicere sibi, manifestæ sunt significationis, sicut admirari aut mirari aliquid præter se, quod laudi dari solet. Nam mirari, quasi pro imitari dicitur. vnde Lucanus, Miratórque Catonis. Sicut autem dicitur quis placere sibi, aut mirari se: ita ego placere mihi & mirari me, & tu tibi ac te, & ita in consimilibus.

Non placeo, Displiceo, & Placeo mihi. CAP. XCII.

NOn placeo mihi, & Displiceo mihi, ab illo placeo mihi diuersæ significationis sunt præter negationē. Nā ea prima aperti intellectus sunt, vt de Oratore Cicero, Nūquā mihi minusq̄ hesterno die placui. Et in Philippicis, Quúmq; de via lā

guerem,& mihimet diſplicerē.Tertiū eſt idē quod ſuperbio dote aliqua,bonóve quod mihi adſit,& glorior,& mihi eo nomine cō fido,plerūq; cū inferiorum contēptu. Quintilianus, Placeas licet tibi,opū tuarū fiducia diues,ſi mihi idē inuidere nō expedit,pares ſumus. Penè in hunc ſenſum accipitur mirari ſe. Nā id efficere in alterū laudabile eſt.vnde apud eundē de Socrate dicitur, Nam ideo dictus eſt εἴρων, id eſt agens imperitū,& admirator aliorum tanquam ſapiētum.de ſeipſo,crebrius in vitium eſt. Idem, Quòd ſe ſilentio parricida miraretur. Martialis Valerius,

Mirari ſe.

Ipſe ego,quid dixi,quid dentem dente iuuabit
Rodere? carne opus eſt,ſi ſatur eſſe velis.
Ne perdas operam: qui ſe mirantur,in illos
Virus habe:nos hæc nouimus eſſe nihil.

Se mirantur dixit,quaſi ſibi placent, vel de ſe magnificè ſentiūt.

EPITOME.

Moror te,& maneo te,vulgus exponit per expecto,ſed id fit magis apud poetas. Nam oratores,Moror te,pro retineo te,aut detineo te,dicunt.Maneo autem,cum accuſatiuo, pro eo quod eſt futurum eſt,cum datiuo.

Moror te,& Maneo te. CAP. XCIII.

MOror te,& Maneo te,à quibuſdam exponūtur pro expecto:ſed mea tamen ſententia, magis poetice,q̄ oratorie. Virgilius, Et tua progenies mortalia demoror arma. Terentius, Quē hîc manes? Oratores potius accipiūt, Moror te, pro retineo te,& in mora teneo. Ideóque hæc duo verba ſæpe iū guntur, vt apud Quintilianum, Quid me pater adhuc detines? quid moraris abeuntem ? Maneo pro eo quod eſt,futurum eſt, vt ipſe accipio,apud ipſos interdum etiā poetas. Virgilius,

Moror te.

In Mathematico.

Te quoque magna manent regnis penetralia noſtris.

Id eſt,tibi futura ſunt.Cicero, Cuius te fatum,ſicut Curionē manet.hoc eſt,cuius fatum tibi futurum eſt,ſicut fuit Curioni.

EPITOME.

Conflare ac Contrahere æs alienum,eſt fieri debitorem.Diſſoluere æs alienum, eſt contractum reſtituere pluribus.

Conflaui,Contraxi,& Diſſolui æs alienū. CAP. XCIIII.

COnflaui æs alienū,& Contraxi æs alienū,idē eſt quod factus ſū debitor alienæ pecuniæ.Diſſoluo æs alienū,idē eſt quod contraxerā æris alieni,reſtituo,ac pluribus ſoluo: vel quaſi catena,qua ligabar, me ſoluēda pecunia diſſoluo. Quintilianus, Non ego æs alienū luxuria contraxi. Cicero, Patri perſuaſi vt æs alienum filii diſſolueret. Quibus exemplis plena ſunt omnia.

EPITOME.

Migrare,eſt domiciliū mutare,& aliò ſe ad habitandum conferre,relicta priore habitatione.cui ſimile ſignificāt cōpoſita, Emigro,demigro,cōmigro, ſalua tamen

significatione præpositionis. Vnde remigrare, est in pristinum domicilium. Transmigrare autem, in longioris loci domicilium habitationem mutare. Immigrare verò, in domum aliquam habitandi gratia ire. Quocirca morientes, migrare dicuntur: sed apud doctos cum appositione huiusmodi aut similis clausulæ, è vita, ex hac vita, ex hoc mūdo, aut ad inferos, aut ad superos, ad infernas sedes. Milites autem, non migrare, sed discedere dicuntur. Decedere, licet accipiatur nonnunquam pro discedere, aut recedere: tamen propriè est à mandato custodiæ suæ loco recedere. quem quia morientes derelinquunt, ideo dicuntur decedere: sed si nihil addatur, intelligitur vita. Excedo autem vult vt exprimatur particula vita, aut è vita.

Migro, Decedo, Discedo, & Recedo. CAP. XCV.

MIgro decedóque, sic à discedo recedóque differunt, quòd migrare, est domiciliū mutare, & aliò se ad habitandum cōferre, relicta priore habitatione. Et est apud iuriscōsultos titulus De migrādo. Similia huic sunt, emigrare, demigrare, commigrare. Remigrare autem, reuerti in pristinū domicilium. Transmigrare, est in longinquioris loci domicilium, habitationémve migrare. Immigrare, in domum aliquam habitandi gratia ire. Ea propter homines qui moriuntur, migrare dicuntur. Sed rectius cum apposito, quàm sine apposito, vt multi faciunt, nescientes Ciceronem cum apposito solere loqui. vt de Republica libro sexto, Antequam ex hac vita migro, cōspicio in meo regno, & his tectis P. Cornelium Scipionem. Et Quintilianus in corpore proiecto, Seu quum ad infernas sedes anima migrauit. Etenim qui moriuntur, tanquam domiciliū corporis relinquentes, aliò ad habitandum duntaxat anima, se transferunt. Contráque nequaquam milites quū castra mouent, aut de statione munitionibúsve decedūt, migrare dicuntur, vtpote vbi domicilium non habuerunt, nec in domicilium se cōferunt. Decedere quanquam accipiatur nōnunquam pro eo quod est discedere, aut recedere, tamen proprie est à mandato custodiæ suæ loco recedere. Vnde cônsules, proconsules, præsides, prætores dicuntur ex prouincia decedere. Item præsidia de vrbibus atque castellis. Sine appositione intelligitur pro mori, quasi à custodia & gubernatione corporis proficisci. Cicero de Senectute, Vetátque Pythagoras sine iussu imperatoris, id est dei, de præsidio & statione vitæ decedere. Idem de Republica, Ideóque & tibi Publi, & cæteris omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius à quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum vobis à Deo defugisse videamini. Eo igitur modo dicitur Decessit, quo dicitur Defūctus, vt subintelligatur vita. At in Excedo additur vita, non subintelligitur. Idem in Antonium, In ipsa cura & meditatione obeūdi sui muneris, excessit è vita.

EPITOME.

Precari Deum, aut simile quid, sine datiuo expresso aut subintellecto, notum est quid sit: sed cum datiuo, est imprecari, hoc est precando deos optare alicui bonam aut malam fortunam: imprecamur tamen, potius malam.

Precor & Imprecor. CAP. XCVI.

PRecari quid significet certum est, quum merũ accusatiuum habet: adiũcto autem datiuo, idem est quod imprecari, hoc est optare alicui deos precando, bonam fortunam aut malam. Qui datiuus sæpe subintelligitur. vt apud M. Tullium in Pisonem, Vt omnes sui ciues salutem, incolumitatẽ, reditum precarentur, quod mihi contigit: an quod tibi proficiscenti euenit, vt omnes execrarentur, male precarentur. Et Quintilianus, Inde fugientia vela longo visu prosecuti, facilem emptionem, secundos ventos, placidũ mare, non secus acsi ipsi nauigaremus, precati sumus. Cum datiuo, Idẽ, Sed si tantopere efflagitantur, quàm tu affirmas, permittamus vela ventis, & oram soluentibus bene precemur. De imprecamur verò, hoc eiusdem sit exemplũ, Non imprecamur debilitates, naufragia, morbos: pauper sit, & amet quancunque meretricem, & amare non desinat. Quod crebrius accipitur in malum.

In pastu cadauerum.

In præf. lib. I.

In odii potione 2.

EPITOME.

Dices venuste, Habui orationem, non feci. Contrà, Feci sermonem, potius quàm habui. nonnunquam tamen & habui.

Habeo orationem, Facio sermonem. CAP. XCVII.

HAbui orationem, non, Feci orationem. Feci sermonem potius, quàm habui: nonnunquam etiã habui. Cicero de Senectute, Cyrus quidem in eo sermone, quem moriens habuit, quum admodum senex esset, negat se vnquã sensisse senectutem suam imbecilliorem factã, quàm in adolescentia fuisset.

EPITOME.

Habere, cum infinitiuo & accusatiuo, idem est quod gerundiuũ nomen cũ substantiuo suo & verbo est. Habere autem, cum infinitiuo absoluto, idem quod gerũdium in dum, cum verbo est & datiuo. Habeo quoque, videtur interdum accipi pro volo. Exempla sunt in litera. vt, Tantum habeo polliceri, id est tantum pollicendum est mihi. Habeo conuenire debitores, id est conueniendi sunt mihi debitores.

Polliceri, Conuenire, & Audire habeo. CAP. XCVIII.

TAntum habeo polliceri, inquit Cicero ad Lentulum. Idem in Catone Maiore, Neque eos solum cõuenire habeo quos vidi, sed etiam quos audiui & legi. Idem de Oratore, Audire habeo quid hic sentiat. Quod (vt ipse interpretor) idem est quod pollicendum, conueniendum, audiendum est mihi. Quod probatur ex illo, licet diuerso loquendi modo, qualis apud Quintilianũ, Adeò ludibriis miseræ sum diuersitatis vel necessitatis im-

In Mathemat.

plicitus, vt impetrandum à vobis habeam odii mei fauorem .id eſt , vt impetrandus mihi ſit à vobis odii mei fauor . Quod licet commutari in ſuperiorem modum,ſic,vt impetrare habeam odii mei fauorem. ſicut contra illum in hunc,ſic,Tantum habeo pollicendum,neque eos ſolum conueniẽdos habeo.Audiendam habeo huius ſententiam. vel habeo pro volo, vt non mirum ſit, quare aliqui legant,aueo.Sed non recte legere eos,ex illis Cæſaris Auguſti verbis oſtẽditur,quum dixit,Quid aliud habeo deos immortales precari?

EPITOME.

Mereor de te,eſt aliquid in te confero. Bene mereor de te,eſt aliquid beneficii in te confero.Male mereor,maleficii.Demereor te,id eſt bene de te mereor.Emereor, id eſt expreſſe mereor . Emeritus ſum,id eſt extra merendi officium ſum , donatus rude , quum ſit qui pro me opus agat , id eſt laboret. Vnde milites qui præ ſenio amplius militare non poſſunt : & gladiatores qui non amplius dimicare, donantur rude,id eſt virga qua dimicantes dirimant,ſi legem excedant. Hinc per tranſlationem etiam boues qui amplius arare non valent, dicuntur emeriti.

Mereor bene vel male de te , Demereor , & Emereor. CAP. XCIX.

MEreor de te , eſt aliquid in te confero . Si beneficii quidem,bene mereri de te dicor: Sin autem offenſionis,male de te mereri. Nonnunquam vtrunque reticemus,ſed in ambiguum ſenſum . vt, Quid de te ſum meritus ? Nonnunquam per negationem : ſic, Homines nihil de me meriti , id eſt qui nihil in me beneficii aut officii contulerunt. Quibus exemplis omnes Marci Tullii libri ſcatent . Demereor quoque pro bene de aliquo mereor, accipitur, ſed cum accuſatiuo . vt Ouidius Heroidum,

Dic mihi quid feci,niſi non ſapienter amaui?
Crimine te potui demeruiſſe meo.

Et Quintilianus,Simul vt pleniore obſequio demererer amãtiſſimos mei. Emereor,idẽ penè eſt quod mereor, præteritum eius emeritus.Vnde emeriti ſtipẽdia,qui militia perfuncti ſunt,nominantur.Et in ſignificatione paſſiua,ſtipendia emerita.vt Idem,Emeritis huic bello ſtipendiis.Et per trãſlationem àVirgilio emeriti boues dicuntur,& quædam alia.Emeriti autẽ ſenes ſolent habere eos, qui pro ſe laborent, qui dicuntur pro alio opus agere. Quintilianus de apibus inquit,Habebã quæ pro me opus agerẽt.

EPITOME.

Refero ad ſenatum,id eſt conſulo ſenatum.vnde fit ſenatuſconſultum. Ad populum tuli,id eſt cõſului.vnde fit rogatio,quæ inſtar eſt legis. Refero tibi acceptũ, id eſt fateor me abs te accepiſſe,tam bonum quàm malum:aut habeo pro recepto, licet non receperim.vnde fit acceptilatio:nõ,accepti relatio.vnde etiam acceptum fero,pro eodem dicimus. Retuli expenſum,id eſt rationem de expenſis exhibui.

Refero & Fero. CAP. C.

REtulit Pompeius ad Senatum,id eſt cõſuluit. In eadem tamen ſententia, Pompeius ad populum tulit. Ex illo fit ſenatuſconſultum,ex hoc rogatio,quæ inſtar eſt legis.Dicimus præterea, Refero tibi acceptum ,pro eo quod eſt fateor me hoc abs te accepiſſe:neque id modo in bonam partem,verumetiam in malam. vt pro Deiotaro Cicero,Vitam acceptam refert clementiæ tuæ. Idem in Antonium,Omnia denique quæ poſtea vidimus(quid autem mali nõ vidimus?) ſi rectè ratiocinabimur, vni accepta referemus Antonio. Idem eſt,Fero tibi acceptum,ſiue pro eo quod eſt, Habeo pro recepto abs te, quod mihi debebas,etiã ſi ſolutio nulla interceſſerit. Vnde fit acceptilatio, quam Iuſtinianus per interrogationem & reſponſionem fieri vult. Retuli expenſum, id eſt rationem de impenſis confeci vel exhibui.

Philip.2.

Acceptilatio.

EPITOME.

Exhorreo hanc rem,id eſt expaueſco. Abhorreo ab hac re, id eſt alienus ſum ab hac re. Mancinellus docet dictum eſſe etiam Abhorreo hanc rem:id tamen rariſſimè,vt neſcias an legendum ſit obhorreo.Verba Mancinelli ſunt,Abhorreo,nõ ſolum ablatiuo iungitur,ſed etiam accuſatiuo.Catullus enim ait, Sæuáque abhorrebas priſci præcepta parentis.Porphyrio item Ode tertia,ibi videlicet,Quem mortis timuit gradum,ait,Quem mortis,inquit,gradum abhorrere poteſt,qui monſtra maris,& aſperrima ſaxa ſine lachrymis videre potuit?Apuleius lib.10.Aſin.Nã,& quid potiſſimum abhorreret aſinus excogitãtes ſcrupuloſe &c. Plinius lib.37.cap.penul. In omni alio vſu acriora abhorrentes. Calepinus autem plura affert eiuſdem locutionis exempla.quale eſt illud Titi Liuii lib.4,Parum abhorrens famam ampliatã. Et illud Suetonii de Auguſto, Nam pumillos, & diſtortos, & omnia generis eiuſdem,vt ludibria naturæ,malíque ominis abhorruit.Lactantius lib.3,Non eſt ſapientia,ſi cœtum hominum abhorret. Addit idem, Fortè decepit Laurentiũ Vallã AB præpoſitio,quæ ablatiuum exigere videtur.ſed ſi hoc in pleriſque verbis fiat, non tamen in omnibus:ſicut in aboleo,abluo,& huiuſmodi,quæ accuſatiuũ,non ablatiuum,poſtulant.Amb.lib.1.officiorum,hoc verbo vſus eſt abſolute,Legimus officiũ dici à nobis poſſe:nec ratio ipſa abhorret(id eſt aliena eſt)quandoquidẽ ab efficiendo dictum putamus,quaſi efficium.Sanè ſicut quidam obhorreo pro abhorreo,aut exhorreo vſurpant:ſic & abhorreſco,vt Lactantius de ira,Quẽ terra contremiſcit, & latebræ tartareæ, & dæmones abhorreſcunt. Vbi ergo in litera eſt Hoc ſemper, addendum eſt Ferè, vt ſit,ferè ſemper. quia melius & venuſtius cum ablatiuo conſtruitur.

Mancinellus.

Exhorreo & Abhorreo. CAP. CI.

EXhorreo hanc rem,idem eſt quod expaueſco.Abhorreo ab hac re, idem eſt quod perquam alienus ſum ab hac re. Hoc ſemper poſtulat huiuſmodi ablatiuũ,illud verò nunquam, ſed accuſatiuum.

EPITOME.

Bene mecum agitur,id eſt in bona conditione ſum,& bene mihi ſuccedit. ſimiliter præclare & optime &c.Et nonnunquam conſimiliter actiue.vt,Bene tecum egerũt ciues.Sed actum eſt de aliquo,ſemper in malam partẽ accipitur,pro eo quod eſt,periit,nec amplius de eo ſpes eſt.

Bene agi cum aliquo quid ſit,& quid Actum eſſe. CAP. CII.

BEne mecum agitur, idem eſt quod in bona cõditione ſum. Item, Præclare tecum agitur, optime cum illis agitur, melius cum hominibus ageretur, ſi paruo contenti eſſent. Ita, Male mecum agitur,& peius, incommodiúſve & peſſime. Cicero, Cum illo verò quis neget actum eſſe præclare? Et paulo pòſt, Cum illo quidem (vt ſuprà dixi) actum optime eſt, mecum autem incommodius. Nonnunquam actiue. Valerius Maximus libro 5, Bene egiſſent Athenienſes cum Miltiade, ſi eum poſt trecenta millia Perſarum in Marathone deuicta, in exilium protinus miſiſſent, ac nõ in carcere & vinculis mori coegiſſent. Actũ eſt, ſemper in malam partem accipitur. vt, Actum eſt de Republica. id eſt reſpublica extincta, deſperata & perdita eſt. De Amicitia.

EPITOME.

Salio, id eſt ſaltum facio, interdum quaſi ſalto. Salto autem, id eſt tripudio. quod vulgo dicunt, chorezo: peritiores, choream duco. Saltus, eſt incompoſitus, vt ceruorum, agnorum, canum, leporúmque. Saltatio, hominum: quod tripudium vocãt, idémque dicitur ſaltatus, ſed non ſaltus.

Salio & Salto. CAP. CIII.

SAlio, vnde ſaltus, pro eo quod eſt ſaltũ facio. Salto, tripudio, vnde ſaltatio. Interdum ſalio pro ſalto. Virgilius ſecundo Georgicorum,

Mollibus in pratis vnctos ſaliere per vtres.

Quid autem diſtent ſaltus & ſaltatio, notum eſt. Saltus enim eſt qualis ceruorum, leporúmque: Saltatio verò, illa hominum iactatio, quam vulgo tripudium vocant. Et licet ſalio pro ſalto accipiatur, non tamen ſaltus pro ſaltatio, ſaltatúſve, quæ eiuſdem ſignificationis ſunt. Liuius, Ferre ac per vrbem ire cum tripudiis ſolennique ſaltatu iuſſit. Saltus. Saltatio.

EPITOME.

Abdicare, eſt expellere filium à bonis paternis patre adhuc viuo. Exhæredare, poſt mortem. Ideóque grauius eſt abdicari, quòd etiam exhæredationem continet, quàm exhæredari. Abdicare etiam, eſt quaſi priuare, & alienum dicere. Vnde Liuius lib. 4, Dictator bello ita geſto, in vrbem rediit, magiſtratúque ſe abdicauit. Item repudiare: vt Terentius, Generum abdicat. Item negare: ſed id apud veteres. Pacuuius, Regno expellunt: conſanguineam eſſe abdicant.

Abdico & Exhæredo. CAP. CIIII.

ABdicare, eſt expellere à bonis filium, dum viuit pater. Exhæredare verò, poſt mortẽ. Sed abdicare eſt grauius, quod etiam in ſe exhæredationem continet.

EPITOME IN PROOEMIVM SEXTI LIBRI ELEGANTIARVM.

Si Seruio Sulpitio licuit librum ſcribere de notis Scæuolæ, & præceptoris ſu, & in facultate iuridica nimirum principis, quum id & Reipublicæ, & ipſi qui deceſſerat è vita, commodum videretur: licebit & authori noſtro de notis etiam doctiſſimorum in lingua Latina librum hunc conficere, quum id non animo carpēdi, ſed emendandi faciat, ſibíque fieri æquo animo paſſurus ſit.

LAVRENTII VALLAE IN ELEGANTIARUM linguæ Latinæ librum ſextū, qui de notis authorum inſcribitur, Procemium.

SVlpitius ille Seruius, cuius quanta in iure ciuili fuerit authoritas, plurimorum monumenta teſtantur, ſiue aliorum exemplo, ſiue priuato conſilio fretus, nō exiſtimauit turpe ſibi ad famam fore, vt librum de notis Scæuolæ conſcriberet, non modo antiſtitis in ea facultate, atque omnium principis, verum etiam præceptoris ſui. Cogitabat enim neque id poſſe ſibi vitio dari, quod publicæ vtilitatis cauſa ſuſciperet, neq; iniuriam illi fieri, qui reprehenderetur, ſi modo ritè reprehendatur, quod in ſe fuiſſet ipſe facturus, ſi errata ſua animaduertiſſet. Probè itaque Sulpitius, & ingenuè, ac verè Romané. Quin ipſe quoque populus prudenter, & grato inuicem animo, qui factum huius nō reprehenſione, ſed laude dignum & gloria putauit. Nec minore volumen hoc, quàm cætera, honore proſecutus eſt. Nam præcepta aliqua doctrinæ tradere, cuilibet mediocribus ſaltem literis imbuto, promptum eſt. Errores maximorum virorum deprehendere, id verò quum doctiſſimi hominis eſt, tum opus vtiliſſimum, & quo nullum dici poſſit vtilius. Quis enim dubitet, non minus agere, qui aurum, argentum, cæteráq; metalla expurgat, quàm qui illa effodit? qui triticum mundat, quàm qui metit? qui pinus, amygdala, cæteráſque nuces ſeligit, quàm qui eaſdem legit? Ita eum qui emendat (niſi pauciſſima ſunt quæ emēdat) non inferiorem exiſtimare debemus, quàm ipſum illum inuentorem: nec minorem ab illo, quàm ab hoc percipi fructum. Inſupérque non modo huic ex illius caſtigatione nullum damnum afferri atque iacturam, verumetiam pretium ac dignitatem: perinde atque auro, ac cæteris quæ modo commemoraui, quantum corpori purgatio ipſa detrahit, tantum reſiduo pretii (vt dixi) & dignitatis accreſcit. Adeò plus vtilitatis in parte eſt quæ ſuperat,

quàm fuerat in solido. Quare siquis apud inferos Scæuolæ de Sulpitii facto sensus fuit (quæ erat illi æquitas & iustitiæ amor) ausim affirmare fuisse gauisum, secúmque præclarè actum esse dixisse, quòd suorum librorum aurum ab omni scoria esset, ac fæce compurgatum: nihílque foret per quod conciues sui per eius scripta falli possent. Neque immeritò Plinius Iunior ad amicum ita scribit, Ita enim magis credã cætera tibi placere, si quædam displicuisse cognouero. Quomodo igitur non sit beneficium, id offerre, quod solet beneficii loco postulari? Quòd si hoc non præstatur aut iam defunctis, aut tale beneficium respuentibus, profectò his præstatur, ad quos ex ipsa magnorum authorum emendatione, multa in primis vtilitas peruenit. Ideóque ab optimis quibusque cuiuslibet artis professoribus præceptum est, vt eorum ipsorum, quos descendentibus ad imitationem proponunt, etiam vitia (siqua fuerint) ostendant. Huiusmodi igitur ego & exemplis & rationibus adductus, faciendum mihi putaui, vt vnum librum hunc de notis scriptorum componerem, non quo illos carperem (nam præterquam quòd hæc inhumana voluptas foret, certè & alibi maior mihi hæc facultas daretur, & de hac ipsa re penè infiniti libri conscriberentur) sed quò prodessem aliquid linguam Latinam discere volentibus, non modo ex nostris præceptis, sed ex aliorum quoque erratis, vbi & de nostro nonnihil ad rei testificationem admiscebimus. Dedimus autem nostrorum librorum suam cuique materiam, vt si per se opus non multum sibi fauoris * pararet, ipsa certè varietas commendatione blandiretur. Ex hoc præsertim volumine, in quo & vniuersa quæ in superioribus singula continentur, & de pluribus præstantissimísque authoribus pronuntiatur, iudiciúmque contra eos fit. Sumus autem iidem simul & accusatores & iudices, sed qui aliorum pariter accusationem iudiciúmque subeamus, nisi legitimè & accusatoris & iudicis fuerimus officio functi. Sed iam in forum descendamus.

*parēret.

EPITOME.

Alumnus, est qui ab aliquo alitur: non etiam qui aliquem alit, vt Nonius Marcellus præcepit. Exempla certè eius non id probant: nec alumnum, dominum esse significant, sed alitum. Per incidentiam autem docet armigeros, id est qui arma gerunt magnorum virorum, etiam magnos fuisse. Auspicari autẽ, accipi pro incipere, potius in bonum quàm in malum: quum auspicatum, significet semper bonum. Auspex verò, est qui nuptiis pro marito præest, sicut pronuba, pro vxore. Cæterũ licet exempla Nonii non congruant, sententia tamen eius recipitur. Vnde Mancinellus, Alumnus quidem, vt Nonius Marcellus ait, significat. Syllius nanque lib. 9. scribit Palladẽ ita Ioui loquẽtẽ, Nõ Teucros delere aderãt, sed lumẽ alumnæ Annibalem Libyæ, pelli florẽtibus annis Vita, atq; extingui primordia tãta negabãt.

Mancinellus.

Et Plinius lib.3.de Italia loquens,ait,Terra omnium terrarum alumna eadem & parens,numine deûm electa.In calce quoque totius operis,inter multas Italiæ lauds, inquit, Italia rectrix parénsque mundi alumna. Strabo etiam lib.5.de Sabinia loquens,ita Latine dicit, Vt autem summatim dicam, Italia cuncta pecorum, & frugum præstantissima nutrix est. Hæc addidi vt illud,Terra omniũ terrarum alunna,nutrix sine controuersia intelligatur. Virgilius item in Cyri,sic,

Magna queror,nec vt illa quidem communis alumna,
Omnibus iniecta tellus tumulabit arena.

Et Curtius libro 8.scribit Alexandrum commilitones alloquentem,inter plura,& illa dicere,Oro,quæsóq; ne humanarum rerum terminos adeuntem, alumnum , commilitonémque vestrum, ne dicam regem,deseratis. Ascen.Verũ vt se commilitonem,ita alumnum,id est ab eis alitum dicere videtur.

IN NONIVM MARCELLVM DE ALVMNVS. CAP. I.

ALumnus eum significat, Nonius Marcellus inquit , & qui ab aliquo alitus est, & qui aliquem aluit . Cui in prima significatione suffragor ,in secunda refragor.Nec illius exempla secum facere ostendam,sed mecum: quæ sunt,tum Ciceronis in Verrem, Italia autem alumnum suum seruitutis extremo summóque supplicio fixum videret : tum Varronis,Et ecce de improuiso ad nos accedit cana veritas, Atticæ philosophiæ alumna. Quorum exemplorum (salua Nonii pace) vtrunque significat educatum,non educatorem . Nam Cicero quidem Italiam quasi altricem,& illum ab ea alitum dixit:Varro verò non modo alio locutus est, quàm Quintilianus, vbi ait, Verba omnia,& vox eius alumna vrbis esse solet, vt oratio Romana planè videatur,non ciuitate donata. Vult enim verba nostra,& vocem videri debere natam , & alitam intra Romam : Varro veritatem intra Athenas,atque in sinu altricis philosophiæ.Adiicit etiã Nonius alumnum significare dominum.vt apud Virgilium,

AEneid.11. Corpus vbi exanimi positum Pallantis Acetes
Seruabat senior,qui Parrhasio Euandro
Armiger antè fuit, sed non fœlicibus æquè
Tum comes auspiciis, charo datus ibat alumno.

Durè nimis(ne dicam ineruditè)vir sanè eruditus exposuit,quasi nesciamus nõ domini mortem à seruo,vel comite, Virgilium fecisse deplorari,sed quod est plus, quàm si vel Euander ipse fuisset occisus,ac multo tristius ab altore siue nutritio mortem eius quem aluerat,& quem loco filii habebat. qualis Phœnix ille Homericus in Achillem fuit,quem,quoniã educasset,filium semper appellat,pro alumno. Et certè armigeri magnorum principum,

ſemper & ipſi magni viri fuerunt. Siquidem(vt taceam de Phœnice qui bonæ parti Myrmidonum imperabat)Patroclus auriga Achillis, princeps erat, & Sthenelus Capanei regis filius auriga Diomedis, & Meriones inter primos duces Cretenſium auriga Ilionei,& Hectori aliquis fratrum ferè aurigabatur currũ. Talis fuerat Acetes Euandro.Ergo non erat ſeruus,aut ſeruo ſimilis apud Euandrum, multo minus apud filiũ,ſed patri ſimilis,& pro patre,præſertim illo abſente. Duo autẽ hæc nomina,quæ ab eadem litera incipiunt,armiger & auſpiciũ,quæ apud Virgiliũ modo legimus,non nota omnibus etiam explicemus. Armiger,eſt qui in prælio gerit tela domini ſui, vt ſcutum,vt arcum,lanceã, & cætera huiuſmodi.Imperiti armigerum vocant armatũ equitem.Auſpicium,eſt vel à paſtu auium,vel ab inſpectione auium. Sed quia cõſul antequam iret in expeditionem, capiebat auſpicium:hinc factum eſt,vt dicamus auſpicia ducum atque principum,quæ à ſolo duce capiuntur.Et hinc auſpicari,nõ modo auſpicium capere,ſed etiam incipere: nec in bonam tãtum partem (quod frequẽntiſſimum eſt)verum in malã quoque,vt apud Plinium,At homo infœliciter natus, manibus pedibúſq; deuinctis, animal cæteris imperaturum à ſuppliciis vitã auſpicatur. Nam quando non eſt verbum, ferè in bonum accipitur . vt apud Terentium,Haud auſpicato me huc attuli.id eſt nõ fœliciter,quaſi auſpiciis repugnantibus.Quod declarat Quintilianus de Achille (vt opinor)loquẽs,qui ad mortem quam dii futuram denuntiauerant,cupiditate vlciſcendi Patrocli ruebat. Sic nãque ait,Eant nunc poetæ antiquarum fabularum conditores, & ſe ad exhortandam amicitiæ fidem, magna quædam compoſuiſſe carminibus putent, ſi dixerint aliquos per maria,terráſq; aſperiorem fortunam amicorum tantum ſecutos,aut principem Græciæ virum in vltionẽ interfecti amici inauſpicata bella geſſiſſe.Et alibi,Itaq; vt apud illos Homerus,ſic apud nos Virgilius auſpicatiſſimũ dederit exordium. Auſpex,qui præerat nuptiis celebrãdis,quia auſpicium pro nuptiis capere ſolebat. adhibebatúrque hic pro parte mariti: vt pronuba, quæ præeſt & ipſa nuptiis celebrandis,pro vxore . Aliquando etiam magis propriè pro eo qui dux militiæ eſt,vt primo carminum apud Horatium,

Armiger.

Auſpicium.

Auſpicari.

Auſpex.

Pronuba.

Nil deſperandum Teucro duce,& auſpice Teucro.

EPITOME.

Citari(inquit Valla)nõ eſt laudari,quod Nonius prætẽdit: ſed conueniri, & in teſtimoniũ vocari , in exemplo ab eo adducto & citato. Verum Gulielmus Budæus vir ſine controuerſia literarum tam Græcarum quàm Latinarum peritiſſimus,graphice in annotationibus prioribus in Pãdectas laudare eſſe nominare &. teſtem ci-

tare: idque cum multis locis probat, tum Macrobii, Gellii & Nonii authoritatibus.

In eundem de Citare. CAP. II.

Citare, idē inquit, pro laudare accipitur. vt Cicero, Citeturq; Salamis clarissimæ testis victoriæ. Nescio cur id dixerit. nō enim tantus vir, tam parua nesciuit, nisi putet se acutiorem visum iri, si clara faciat obscura. Citantur testes, non laudantur. Nam Salamis (qui fuit locus victoriæ Themistoclis) nihil laudis meretur quippe qui nihil egit, sed testis fuit, quia interfuit: vel quia in eo posita sunt trophæa victoriæ, quæ rem gestam testificantur transeuntibus. Ergo si testificari locus potest, potest meritò vt testis citari, non tamen tanquam venturus, sed ad quem eant, qui testimonium desyderant. Vel citentur Salaminii, continens pro contento: vel citentur authores, & libri qui de hac Salaminæ victoria meminerunt, testimoniúmque dicunt.

EPITOME.

Capere, non tot & tam diuersa, vt Nonius vult, significat: sed vnum diuersimode, secundum diuersa adiuncta. habétque reciprocum quendam vsum. vt, Cepi voluptatem, & voluptas cepit me. Vix tamen, Somnus cepit me, dicam. & nequaquam, Delectatio cepit me. Captus autem oculis, id est cæcus, orbatúsque oculis. Capio dolorem, potius quàm Dolor capit me. sed vtroque melius, Tenet me dolor. Cepi indignationem, potius quàm Indignatio cepit me. & ita in multis quæ litera adnotat. Est autem capere, sponte & non sponte accipere. Sumere, semper sponte: & interdum à se, quasi arroganter capere. Neque tamen dignus est qui ob hæc notetur Nonius: non enim ignorauit vnum propriè significare, sed propter adiuncta per metaphoram ad diuersa transferri.

In eundem de Capio. CAP. III.

Capio secundum eundem in passiuo significat propitiationem, vt apud Lucretium,

Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira. Capere, facere. Terentius in Andria, Nō si capiūdos mihi inimicos sciam esse omneis homines. Capere, perpeti. Terētius in Heautōtimorumeno, Dum abs te absum, omnes fuere mihi labores, quos cepi, leues. Capere, tollere, tenere. Virgilius Georgicorum 4, Hic tibi nate prius vinclis capiundus. Varro in Meleagriis, Quem idcirco terra nō cepit, & cælum non recepit. Idem in Eumenidibus, Stolam, calceósque muliebres propter positos capio.

Capere, eligere. Terentius in Hecyra, Quum illum in generum cepimus. Virgilius in Georgicis,

Ante locum capies oculis. Marcus Tullius de Officiis, Quòd insit aliquid probi, quod capiat ignaros. Capere, delectare, sustinere, habere, decipere, circunuenire, occupare, detinere, satiare, accipere, complecti, inuenire. Singulorúmque exempla subiicit, quæ

ipse(ne longior essem)prætermisi.In quibus non est illius probabilis expositio. Nam quis credat authores vni dictioni tot significata,& quidem pro se quenque noua dare voluisse,tāquam linguam ipsam confundere cuperent? Cur igitur ita locuti sunt? Nempe quòd nihil interest inter has significationes, Capio hostem,capio generum,capio saxum. Præterea duæ proprietates in hocverbo notandæ sunt.Vna,quòd habet reciprocum quendam vsum,vt idem sit,Cepi voluptatem,& cepit me voluptas.Cicero, Magnam cepi ex literis tuis voluptatem. Quintilianus, Nec me tanta capiebatvoluptas,quòd fluentia cæris mella conderem.Plinius ad Caluisium libro octauo,Capio aliquā voluptatem,quòd vlla voluptate non capiar.Cepi somnum,captus sum somno,vix dicitur:sed dici posset,vt oppressus,videlicet qui opprimitur somno,capitur somno. Cepi delectationem, vix vnquam delectatio cepit me:sed in passiuo potius,Captus sum delectatione. Et item in cæteris,quæ ad delectationem pertinent,Captus sum amœnitate loci, dulcedine vocis, specie mulieris, amore pecuniarum, spe bonorum, magnitudine sublimitatéque materiæ. Ista enim omnia delectant, ideóque subintelligi solet delectatio, quale ipsum illud M. Tullii,Quòd insit aliquid probi, quod capiat ignaros.id est delectet. Ergo probitati inest delectatio, vt sit ita exponēdum, Cuius probi delectatio capiat ignaros,siue ignari capiantur delectatione. Habet(inquit Terentius)captus est. subintellige amore,siue pulchritudine fœminæ, id est delectatione. Non autem(vt testatus sum)actiue, cepi amorem. Nec longe ab hac ratione abest illud,Captus sum oculis,pro orbatus sum oculis.Nec hoc vnquā reperies, nisi in passiuo, & nunquā ferè nisi de oculis dici.Misericordia cepit deos,non dii misericordiam,dicimus: id est,non delectatio, sed dolor ille ex alieno malo. Et merita mea ceperunt deos,vt ait Lucretius,qui sermo rarus est,id est admiratio,vel delectatio,vel affectus eos cepit.Capio dolorem tamen potius,quàm cepit me dolor dicimus. Non quia nō possumus etiā sic dicere, sed quia habemus aliū in vsu modū magis proprium, Tenet me dolor,sicut tenet me desyderium.Delectatio enim videtur tantum capere,nec diu permanere.dolor autem & desyderium tenere quasi permanendo. Item, Cepi indignationem,cepi siue contraxi molestiam, potius quàm Cepit me indignatio, cepit me molestia.Contrà,Cepit me tædium,cepit me obliuio,cepit me odium,potius quàm retrorsum. Virgilius, Contraho.

Tanta meæ si te ceperunt tædia laudis.

Terentius, Neque agri,neq; vrbis odiū me vnquam cepit. Cice-

ro, Propter quod tantũ odii cepit eloquentia, vt homines studiosissimi quasi ex turbulentissima tempestate se in studium traderent quietum. Idem, Vt eos iustitiæ capiat obliuio. Plinius tamen lib. 7. naturalis historiæ ait, E præalto tecto lapsus, matris & affinium propinquorúmq; cepit obliuionẽ. Altera proprietas, quòd

Sumere.

capere, significat vel sponte, vel nõ sponte accipere: Sumere tantum sponte. atque hinc est illud, Cepi labores, cepi molestiam,

Suscipio.

cepi dolorem, cepi vel suscepi inimicitias, suscepi curas, suscepi

Accipere.

sumptus, accepi calamitatẽ, accepi cladem, accepi damnum, accepi iniuriam, accepi contumeliam, accepi repulsam, accepi vulnus. quod nunquam ferè aliter dicimus, Non sustinui, non perpessus sum vulnus, sed ferè semper accepi, nisi more poetico, vt apud Ouidium lib. 2. Metamorph. Nullam patiere repulsam. Cicero, In domum multiplicatam honoribus, non solum repulsam retulit, sed etiam ignominiam & calamitatem, quum dixit, nequaquam contra hoc quod præcipio, facit. Nam Sumo supplicium, sumo pœnam, non in me, sed à me in alium infligi intelligitur. Ideóque adiungitur ablatiuus cum præpositione de. Cicero, De illo paulo pòst supplicium sumitur. Quintilianus, Vt nisi occurrisset ad diem de eo qui restiterat, pœna sumeretur. Potest tamen quis de se etiam sumere supplicium, erúntque tanquam duæ personæ quæ agit & quæ patitur. Porrò quia sumere est vltro, quasi non permissu aliorũ capere, eo fit, vt intelligatur pro nimium, & in-

Lib. 1.

terdum pro arroganter sibi tribuere. vt Cicero de Officiis, Orationem autem Latinam efficies profectò legẽdis nostris pleniorem. Nec verò arroganter hoc dictum existimari velim. Nam philosophandi scientiã concedens multis, quod est oratoris proprium, aptè, distinctè, ornatéque dicere (quoniam in eo studio ætatem cõsumpsimus) si id mihi assumo, videor id meo iure quodammodo vendicare. Assumpsisse sibi ait eam laudẽ, quæ nisi vera esset, ac palàm vera, propter rei magnitudinem arrogãs vide-

Assumere.

retur. Ergo assumere, est multum & penè nimium sibi tribuere. Idem pro Plancio, Quanquam nõ mihi tantum sumo Iudices,

Præsumptuosus.

neque arrogo. Inde ineruditorum vocabulum, præsumptuosus. Denique quodam loco Valerius Maximus ita planè horũ verborum proprietatem distinxit, vt hanc differentiam penè præcipere

Lib. 3. cap. 2.

videatur, quũ de Catone Cẽsorio loquitur, qui ensem de mediis hostibus recepit. quanquam hoc aliqui filio Catonis tribuũt, inquiẽtes, Vt nõ coactus accipere, sed sua sponte sumere videretur. Quare si Latine & nos loqui volumus, dicamus dominũ IESVM carnem quidem humanam sumpsisse, mortem verò accepisse.

Meo iure,quod modo apud Ciceronẽ legimus,siquis fortè desyderet,exponamus. Significat autem idem quodammodo,quod mea authoritate,meáque licentia,& cõcessa mihi ab hominibus libertate. vt Idem pro Archia, Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poetas. Suo iure inquit,quòd poeta erat,& probatissimus poeta. Idem est Pro meo iure,vt Idem alibi, Pro meo iure hoc dico,vos eo me priuastis. quasi confidenter dico. Est enim efficiens causa,non finalis,qualia cætera sunt hoc modo dicta,pro mea in vos beneuolẽtia,pro vestra in me humanitate,pro tua mansuetudine,pro sua pietate. vbi efficiens(vt dixi) causa intelligitur,non finalis. Meo iure. Pro meo iure Ad Herẽniũ.

EPITOME.

Contendere & intendere, pro eodem sumuntur, pro eo videlicet quod est neruum,aut chordam,aut simile quid extendere:aut continuare aut perseuerare vocẽ ex intentione,quæ non significat propriè propositum, vt vulgus autumat, sed tã intentio quàm contentio pro perseuerantia, continuatione & elatione vocis promiscue in oratione ponuntur. quibus contrariæ sunt remissio & summissio vocis. Erraret igitur Nonius tam varias interpretationes accumulans nisi ad metaphoram referret.Contentus autem,de quo hic sermo est,à cõtendor,non à cõtineor,venit.

In eundem de Contendere. CAP. IIII.

Contendere,idem ait,est festinare.vt Virgilius,
-quæ proxima littora cursu Contendunt petere.

Contentio,est perseuerantia,vel elatio. M.Tullius de Officiis lib.1, Ex contentione vocis & submissione, & cæteris similibus facilè iudicabimus.Sallustius historiarum 4, Rursus iumenta nacti,ad oppidum ire contendunt.Contendere,cõtinuare.Cicero de Oratore secundo,Id quod eius scripta declarant,& contentiones vocis,& remissiones continuarentur.Et in tertio,Nihil perniciosius est,quàm sine intermissione contentio.Præterea ait, Contendere esse astringere,intorquere,comparare,certare,extorquere,proripere,vel dirigere signum. Iterum pro festinare,intendere.Sed neque præcepta,neque exẽpla satis distincta sunt.Quid enim differt,contentio est perseuerantia,& contendere est continuare?Quum præsertim eadẽ exempla vtrobique subiicias.Quid iterum Virgilianum illud,Cõtendunt petere? Et illud Sallustianum,Ire contendunt? Quæ duo idem declarant quod tendunt, vel pergunt ire, siue petere. Iam verò apud Ciceronem contentio non est perseuerantia,neque contendere continuare, sed intentio,atque intẽdere.Indifferenter enim dicimus hoc loco contentio & intentio,contendere & intendere. Nam plurimi falluntur,accipientes intentionem pro volũtate atque proposito. Afferam ad hoc probandum ex M.Fabio exemplum,per quòd & ipsa res de qua agimus, probabitur. Neque grauissimus autem in Intendo. Intentio. Lib.11.cap.3.

musica sonus, nec acutissimus orationibus conuenit. Nam & hic parum clarus, nimiúmque plenus, nullum afferre animis motum potest: & ille prætenuis & immodicæ claritatis, quum est vl- *verum, tra * neruum, tum neque pronũtiatione flecti, neq; diutius ferre intentionem potest. Nam vox, vt nerui, quo remissior, hoc & *tensior, grauior & plenior: quo * intẽtior, hoc tenuis & acuta magis est. *erumpi Sic ima vim non habet, summa * rumpi periclitatur. Mediis igitur vtendum sonis: iique quum augenda intentio est, excitandi: quum summittenda, sunt temperandi. Manifestũ ergo est quid sit intentio: quod etiam similitudo neruorum manifestius docet, vnde similitudo sumpta est. Nam vt neruus in cithara, aut neruus in arcu, quo magis intenditur, eo vehemẽtiorem sonum, vel ictum efficit: quo magis relaxatur, eo remissiorem: ita & vox quæ vtique vsum neruorum corporis exigit, quos videre licet in acutissimè exclamantibus maxime intendi, tanquam cithara, aut in arcu, siue contendi, quæ (vt dixi) idem sunt atq; idem esse ex verbis vtriusque authoris, quos nominauimus, liquet. Neque verò Continenter. quisquam negauerit, continenter esse quod continuè, siue conti- Contentus. nuatè, quod Marcellus ait, sed à contineo venit. Contentus verò, à contendo, licet & contineo faciat contentum.

EPITOME.

Cursus, non est quod Nonius vult, volatus: sed penuria vocabuli, cogimur pro omni celeri profectione in aere, aqua, & terris, cursum ponere. sicut iaculari & lapidare, pro diuersarum rerum iactu. At in frequentatiuo, cõsuetior est locutio, vt cursitare, volitare, & reptare dicamus, quàm in principalibus, quæ sic non transferuntur. Non video tamen quid erret, qui cursum in aere volatum nominet.

In eundem de Cursus. CAP. V.

CVrsus, inquit, idem est quod volatus. vt Virgilius, -cursúmque per auras Dirigit in lucum. quasi non figuratè dicamus de volatu cursum, & de cursu volatum: vt ille apud Terentium, festinato seruum ire iubẽs, inquit, Vola: pro eo quod est, curre. De nauigatione quoq; festina dicimus cursum. vt M. Tullius, Quo cursu frumento onustas naues petentes Rho- Fuga. dum viderit. Et Quintilianus nauigationem dixit fugam, siue naues fugientes, quæ velocem cursum conficerent, quum inquit, Inde fugientia vela longo visu prosecuti. Is enim qui fugit, velocissimè currit. Eóque Virgilius inquit,

Lib.8.cap.2. Pedibus timor addidit alas. Idem quoque Quintilianus inquit, Multa sunt & Græce & Latine non denominata. Nam & qui iaculum emittit, iaculari dicitur: qui pilam, aut sudem, appellatione priuatim sibi assignata caret. Et vt lapidare quid sit manifestũ est: ita glebarũ, testarúmque iactus nõ habet nomẽ. Vnde abusio, quæ κατάχρησις dicitur, necessaria est. Quare ad hanc Quintiliani

formulam nō aliter nauem velociter euntem,& auem velociter volantem currere dicimus, quàm iaculari sudē. Illud autē apud oratores obseruaui, volitare potius q̄ volare pro discurrere dici solere, vt apud eūdē, Me per omnia maria volitantē. Et apud Ciceronem, Qui per forū volitant. Quale est reptare. Nā quū repere sit animalium carentiū pedibus, & ventre euntiū, licet quædā reptilia pedes habeant, vt lacertæ: tamen reptare hominem dicimus, qui segniter, lentè, & quasi testudineo passu incedit, quales sunt qui in hortis, aut vinetis, similibúsque locis spatiantur. Horatius, An tacitum syluas inter reptare salubreis? Volitare. Repere. Reptare.

Plinius ad Bebium, Scholasticis porrò dominis, vt hic est, sufficit abundè tātum soli, vt releuare caput, reficere oculos, reptare per limitem, vnam semitam terere, omnésque viticulas suas nosse & numerare arbusculas possint. Idem, Frequentior currentibus, quàm reptantibus lapsus est. Terētius in Adelphis, Perreptaui vsque omne oppidum, ad portam, ad lacum: quò non?

EPITOME.

Carpere, non est attenuare & aperire, nec celeriter præterire, vt Nonius vult: sed sensim decerpere, & quasi primis digitis detrahere: vt, Virgo rosā decerpit. aut vngulis solum discerpere, vt equus acer solet. est tamē quo dictū suū tueatur Nonius.

In eundem de Carpere. CAP. VI.

Carpere, inquit, pro attenuare & aperire. Virgilius,

Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ.

Hoc ne puellæ quidē ipsæ dicerent. Nā vt carpimus linum virens ex humo, quum vellimus: ita puellæ sinistra manu de colo pensum trahentes, sensímque vellētes carpunt. Et vt decerpimus rosam primis digitis, sic puellæ primis & ipsæ digitis decerpunt particulatim linū, lanámve. Iterum, Carpere, celeriter præterire. vt Virgilius, -& acri Carpere prata fuga. Et in eodem, Carpere mox gyrum incipiat. Quasi in primo nō celeritas illa magis intelligatur per hoc quod dixit fuga, qui est celer cursus, quàm per illud carpere: & in secundo significetur velociter præterire. Aliud nanque est ire in gyrū, aliud præterire, quod de equo & sessore vtrunque poeticè dictum est.

EPITOME.

Accipere, nō est pascere, vbi Nonius & Seruius sic acceptum volunt: sed in conuiuium apparatū assumere, aut in domum, honoris & amicitiæ causa aliquem conuiuam capere, ita tamen vt dum dico, Acceptus sum à te lautè, intelligatur in conuiuium, aut tractatus sum. Nam accipere, est interdum tractare: & accipi, tractari: vnde parum aberrant illi, nisi quòd metaphoram pro ipsa accipiant proprietate rerum.

In eundem de Accipere. CAP. VII.

Accipere pro pascere idem inquit. Terentius, Accipit homo nemo melius prorsus atque prolixius. Et hunc imitatus Seruius in Virgilium,

Illos porticibus rex accipiebat in amplis. Vrbanius profectò & lautius loqui poterant. Pecora gregatim, altiliáque dicuntur pasci, non homines. Nos enim quoties accipimur, siue excipimur in conuiuium, non ad saginam, sed ad iucūditatem illam atque apparatū inuitamur, vt minima pars cibis assignetur. Vnde conuiuere dicimur eo tempore, non comessari, aut compotare, aut (quod deformius est) compascere, siue compasci. Siquidem Terentius de Thrasone, non tāquam de saginatore locutus est, sed tanquam de splendido apparatore cōuiuiorum. Et Virgilius Helenum regem vult regiam quandam magnificentiam in exhibendo conuiuio declarasse, non solum (vt ita loquar) pastionem, & (vt dixi) saginam. Fateor tamen Accipere, nōnunquam significare in domum suam honoris & amicitiæ gratia aliquem conuiuam capere: ita tamen vt subintelligatur, in cōuiuium. vt, Acceptus sum à te lautè. id est acceptus sum in conuiuium, vel tractatus. Nam frequenter in contrarium dici reperimus, Ego abs te miseris sum acceptus modis. Hoc apud Terētium. Et apud Ciceronem, Ex quo illud laudatur Architæ, qui quū villico factus esset iratior, Quo te modo, inquit, accepissem, ni iratus essem?

Conuiuere.

EPITOME.

Grauis, non dicitur propriè grauida, sed per circunlocutionem: vt, Marte grauis. id est ex semine Martis. Nec graue plenum: sed plenæ, id est prægnātes ferè graues sunt. sicut & onustæ lacte, graues dici possunt. Nec vir pietate grauis dicetur, plenus pietate: sed maturus, & magnæ authoritatis. Nec grauis dicetur grandæuus. AEneid. 5, Hic grauis Entellum dictis castigat Acestes. sed grauis prudētia & moribus. Sed ne multa. graue propriè significat ponderosum: & transfertur ad senectutem, ad morbum, ad dolorem, ad laborem: quia talia premunt, vt res grauis. Ideóque graue dicitur molestum, etiā animo: vt grauis contumelia, iniuria, mœror, iactura. Itaque quæ corpori aut animo molesta sunt, grauia vocantur. Item viri graues, qui non cito ab instituto suo mouentur, sicut nec lapis, aut alia res grauis à loco. Econtrariò, mobiles & inconstantes, leues dicuntur. Sicq; quos carpit hoc solum errant, quòd metaphoram exponunt, quod & in cæteris quoque intelligetur.

In eundem de Graue. CAP. VIII.

GRaue, inquit, significat grauidum. Virgilius,
-donec regina sacerdos Marte grauis.

Circunlocutio fecit, vt intelligatur grauida. nam si dicam, Regina aut Helena est grauis, nemo prorsus intelligat: si addam ex rege, aut ex marito, fortasse intelligatur esse grauida. Ita apud Virgilium, Marte grauis, pro semine Martis impleta. Graue, plenum. Virgilius,

Non insueta graueis tentabunt pabula fœtas. Si accipit fœtas pro grauidas, superuacaneū est exponere graueis pro plenas. Per illud enim quòd prægnantes sunt, plenæ esse intelliguntur: Graues verò esse, per epitheton quod appositum est: quippe

grauidæ omnes graues, vt ipsa quoque vox indicat: nam à grauis fit grauidus. Sin accipit fœtas pro his quæ pepererũt, vt puerperas mulieres, quæ proximis diebus matres sunt factæ, graues lacte dicemus, quasi onustas, nõ quasi plenas. Durum sit nanque appellare oues, capráſve plenas lacte, sed hubera plena lacte, vt est apud eundem per translationem grauida, Et grauido superant vix hubere limen. Quòd siquando reperiatur grauis pro plenus, hoc tamen in loco non ita accipitur. Hunc eundem quem ego protuli versum, & ille affert, quasi de grauido, & non de graui sit quæstio. Nec poetæ modo, verumetiam oratores sic loquuntur, vt Quintilianus, Luctantur intra viscera animæ, & vterum funeribus grauidum mortes agũt. Sed ad graue reuertamur. Grauis, inquit, plenus. Virgilius, Puerpera. In pastu cadauerum.

Tum pietate grauem, ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent.

Virum pium & bene meritum, appellare plenum pietate, & plenum meritis quis audeat? Non ergo ita exponendum est, vt nec est vtendum. In quo paulo pòst meam sentẽtiam ostẽdam. Graue, inquit, grandæuum. Virgilius,

Hic grauis Entellum dictis castigat Acestes.

At ego potius accipio grauis prudẽtia & morib⁹, quomodo proxime grauis pietate & meritis dicebatur. Multa præterea significata dat huic eidem nomini: quæ profecto forent infinita, si ad illum modum, poetarum omnium exponamus exempla. Quod longe abest, tum ab vtilitate discentium, tum ab ipsa rei natura. Etenim graue, suapte natura põderosum significat, vt Graue saxũ, grauis sarcina, grauia arma, graue scutum, quod scilicet grauat nos in ferẽdo, & quod ægre, & cum molestia fertur. Inde per abusionem transferimus ad senectutem, ad morbum, ad laborẽ, ad dolorem: quia hi qui molestiam ex senectute, morbo, cæterísque sentiunt, quasi onere intolerabili premuntur, quod cupide velut graue pondus à se vellent deponere. Neque solũ ad molestias corporis translatio hæc fit, verũetiam ad molestias animi. vt Grauis cõtumelia, grauis iniuria, grauis mœror, grauis iactura, quæ animum genere quodam ponderis premũt. Itaque vnus modus est, quæ corpori, aut animo molesta sunt, ea grauia appellare. Eóque molestia à mole, id est à re magna, magníque põderis vocitata est. Alter modus est, quòd quemadmodum grauia saxa, & grandes trunci non facile loco mouẽtur, sed ad omnem temporis mutabilitatem hærent: ita homines cõstantes ac præditi sapientia, merito per figuram graues nominãtur, quòd nec Molestia. Graues homines.

precibus, nec minis, nec vanitate, nec promissis, ab æquō & iusto summouentur: vt hi faciunt, quos leues vocamus, qui in similitudinem pulueris & palearū ad omnem auram vētilantur. Sciamus tamen Grauis tūc regere datiuum, quū est in priore significato. vt, Tu es grauis mihi. Quare non probè quidam legunt apud Ciceronem de Officiis, Quòd ætati tuæ esset aptissimum, & authoritati meæ grauissimum. Nam hoc grauissimum superuacuum est. Cæterum quid mirer, si in his quæ sunt altioris intelligentiæ fallitur, quum in leuioribus atque apertis hallucinetur Marcellus?

Leues.

EPITOME.

Inficiator, non est proprie falsi criminis obiector, vt idem inquit: sed is qui negat se vel debere quod actor petit, vel commisisse quod accusator obiicit. vnde status coniecturalis dicitur inficialis, in quo semper reus inficiatur, vel inficias it. Inficiari enim, aut inficias ire, est verbo negare. Negare autē, est aliquādo & facto. Vetare, non est negare, sed prohibere: & contrariū eius quod est iubere & imperare. Inficias quidem, non habet nisi accusatiuum, & verbum Eo is it. Simili autem modo dicimus, Suppetias venire, & proficisci, ac ire, aut ferre: pro auxiliari, aut in auxilium venire, seu ire: Plautus tamen & Suppetiæ in nominatiuo dixit.

In eundem de Inficiator. CAP. IX.

INficiatores, inquit, sunt falsi criminis obiectores, vt Cicero de Oratore libro primo, Vt si ille inficiator probasset iudici antè petitam esse pecuniam, quàm esset cœpta deberi. Hoc de reo dictum est à Cicerone, nec reo criminis, sed pecuniarum. Ille verò accipit non tātum pro accusatore, sed pro actore etiam & accusatore falsi criminis. Vbi enim pecunia & petitor nominantur, ibi nulla est criminatio. Inficiator igitur is significatur, qui negat se vel debere quod actor petit: vel cōmisisse quod accusator obiicit. Vnde status coniecturalis dicitur inficialis in quo semper reus inficiatur, vel inficias it. Inficiari enim, & id quod dixi, inficias ire, est verbo negare. Nam negare, est aliquādo etiā facto, vt Virgilius,

Status inficialis. Inficiari. Inficias ire. Negare.

Egregii forma, sed quas fortuna negarat
In patriam reditus. Veto notum est aliud esse quàm nego: & (vt breuiter signem) contrarium est illis impero & iubeo. Non est autem huic nomini nisi accusatiuus casus, & vnum verbum eo, is, it. De Inficias loquor. cui simile est suppetias, pro eo quod est auxilium. vt in duodecimo Cōmentariorū Cæsaris, Et nuntiabātur auxilia magna equitatus oppidanis suppetias venire. Et in eodē, Suísque rebus timens, elephantísque x x x relictis, suis finibus oppidísque suppetias profectus est. Et iterum in eodem, Atque suis fugientibus, suppetias ire contendit. Suetonius de Ve-

Vetare.

Suppetiæ.

ſpaſiano, Legatum inſuper Syriæ conſularem ſuppetias ferentē, rapta aquila fugauerunt. Suppetias pro auxilium. Plautus in Epidico, Sed memento, ſiquid ſæuiūt ſenes, ſuppetias mihi cum ſorore ferre. Idem in eodem, nominatiuo eſt vſus, Auxilia mihi & ſuppetiæ ſunt domi.

EPITOME.

Inciſim, non eſt ſimul: ſed penitus contrarium. Minutatim, quaſi per inciſa membra. Cicero autem appellat cola, commata, & periodos, membrum, inciſionem, ambitum, ſiue comprehenſionem, ſiue continuationem, ſiue circunſcriptionem. Cuius Quintilianus duo genera facit, inciſum & membrum. Inciſum autem, eſt ſenſus nō expleto numero concluſus. fiūtque ſingulis verbis inciſa. Membrum autē, eſt ſenſus membris cōcluſus: ſed à toto corpore abruptus, & per ſe nihil efficiens. Terminamus ergo, aut diſtinguimus, ſeu (vt dicunt) pauſamus tripliciter. commate, quod inciſum dicitur: & in carmine, cæſura, quando poſt duos pedes manet ſyllaba vltima dictionis, & prima ſequentis pedis. Item colo, id eſt membro. Nam κῶλον Græce, dicitur membrum Latine, cuius diffinitionē iam vidimus. Ac periodo, id eſt circuitu, ſiue ambitu, ſiue comprehēſione, ſeu continuatione: dicitur enim tota ſententia, à περὶ, quod eſt circum: & ὁδὸς, via.

In eundem de Inciſim. CAP. X.

INciſim, inquit, quaſi ſimul. Cicero in Oratore, Hæc quidē duo binis pedibus inciſim, deinde membratim dicere ſolebas. Quid magis contrarium, quàm inciſim, id eſt minutatim & ſimul, quod eſt coniunctim? quaſi neſciamus, quid ſint cola, commata, & periodi: de quibus Cicero pluribus in locis diſputat, appellans ea inciſionem, membrum, circuitum, ſiue ambitum, ſiue comprehenſionem, ſiue continuationem, ſiue circunſcriptionem. Cuius vltimi (quod multis nominibus Cicero vocat) duo genera Quintilianus facit, priora autem ſic diffinit, Inciſum, eſt ſenſus non expleto numero concluſus, pleriſque pars mēbri: vt Domus tibi deerat, at habebas: Pecunia ſuperabat, at egebas. Fiūt autem ex ſingulis verbis inciſa. Membrum eſt ſenſus numeris concluſus, ſed à toto corpore abruptus, & per ſe nihil efficiens.

Lib. 9. cap. 4. Inciſum. Membrum.

EPITOME.

Candere, dicitur ignitum & candidum eſſe. Excandeſcere autem, vehementer iraſci, ſed per metaphoram, quam Nonium declarare decuit. Multa enim vnum ſignificant principaliter, & alia ſecūdario per quandam ſequelam: vt de excandeſcere & vertice declarat author in litera.

In eundem de Candeo. CAP. XI.

QVid ergo? nihílne bene dixit Marcellus? imò verò aliquid, atque adeò multa, ſed nunc bene dictis non eſt locus: tametſi in his, quæ laudari queunt, nōnihil interdum deſydero, vt Candet, ignitū eſt. M. Tullius de Officiis, Candente carbone adurebat capillum. Candet, candidū eſt. Virgilius

AEneidos quarto,

Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Excãdeſcere. Sed hic (vt dixi) nonnihil deſydero. Nam & excãdeſcere hominem dicimus, quum vehementer iraſcitur. Præterea oſtendenda eſt paſſim cauſa, quamobrem vnum verbum plura ſignificet, vt in hoc, Quum enim ignis obſtantia exuperat, ac fumum vincit, candorem flãmæ concipit. vel quòd ſol quanto candidior, tanto ardentior: ita animus dum ira concitatus eſt, inflammatus, incẽſus & excandeſcens dicitur. vel quòd mare ventis *confractũ & in morem aquæ ebullientis in lebete, vel ipſa aqua lebetis ebulliens, ſpumas albentes ciet: ita animus ſimili perturbatione percitus excandeſcere dicitur, vt tanta commotio mentis ſignificetur, quanta eſt vel maris, vel aquæ ad ignem iã albeſcentis. quod ex vnius à Quintiliano expoſiti vocabuli pateſcet exẽplo, Vertex (inquit) eſt contorta in ſe aqua, vel quicquid aliud ſimiliter vertitur. Inde propter flexum capillorũ pars eſt ſumma capitis: & ex hoc, quod eſt in montibus eminentiſſimum. Recte, inquã, dixeris, hæc omnia vertices: proprie tamẽ vnde initium eſt. Quare nemini debet mirum videri cur interdum vna vox plura ſignificet.

*conflatum

Lib. 8. cap. 2.
Vertex.

EPITOME.

Lætum, ſecundum Seruium, ſignificat fœcundum, pingue, pulchrum, grauidum, viride, & multa alia. ſed reuera vnum ſignificat, videlicet id quod aſpectu gaudium promit. Nam gaudere, eſt intrinſecus: Lætari, extrinſecus. vnde cõuenit animalibus lætitiam habẽtibus. Sed transfertur ad ſimilia, ad ſegetes, vites, olïueta, &c. quæ ideo quoque læta dicuntur, quòd lætos faciunt, ab effectu videlicet: vt alia multa accõmodantur epitheta, vt locus tutus, quia tutos facit.

In Seruium de Lætus. CAP. XII.

LAEtum Seruio placet multa ſignificare, fœcũdum, pingue, grauidum, pulchrum, viride, & multa alia. ídque apud Virgilium modo. Quòd ſi alios quoque poetas expoſuiſſet, adhuc alia multa ſignificata adieciſſet. Sed ipſe rationem reddam, cur in varios ſenſus abutamur, quũ vnum natura ſignificet. Lætum id appellamus, quod aſpectu gaudium promit: Nam gaudere, proprie eſt intrinſecus: Lætari extrinſecus. Recte igitur animata dicuntur læta, quoties lætantur. Et quia natura ſic comparatum eſt, vt quæ bona corporis habitudine ſunt, alacriora: quæ verò debili, triſtiora ſint: eo fit vt pinguia vocemus læta, vt lætas oues, lætos greges, læta armenta. Transferimus hoc ad ſimilia, ad ſegetes, ad vites, ad olïueta, ad cæteras arbores. vnde ſicut ex illis ſuperioribus domini percipiunt fructus, & quemadmodũ illa, ita hæc quoque qualia ſint, declarat aſpectus, appellantúrque

Gaudere.
Lætari.

lætæ ſegetes,lætæ vites,læta olivueta,læta arbuſta,eò quidem magis,quòd multi volunt hæc animata eſſe.Vel læta dicimus ab effectu,quòd nos lætos faciūt. vt locum tutum,quia nos tutos efficit. Ideóque non appellantur homines læti ob fœcunditatem, pinguedinem,pulchritudinem,grauitatem,& ſimilia: ſed tãtum ea, quæ in noſtros vſus cedunt, aut (ſi ita contingat) in noſtram delectationem, lætitiam nobis voluptatémque parientia. Hanc igitur regulam tenẽtibus,hoc nomen, & apud authores inuentum, facile intelligetur, & multifariã ſine ambiguitate in vtendo ſuppeditabit.

EPITOME.

Accuſare (vt Seruius cum aliis multis cenſet)eſt maioris de minori.econtrario,incuſare,minoris de maiore, vel paris de pari. ſed hæc differentia vera non eſt, quum & minores accuſare,& maiores incuſare recte dicãtur.Verum accuſare,eſt apud iudices,aut alios,ſignificare aliquem peccaſſe.Incuſare verò,reprehendere mores alterius,& quaſi cum querela ob iniuriam ab eo illatam.

In eundem de Accuſo & Incuſo. CAP. XIII.

ACcuſare (vt idem cum multis aliis voluit) eſt maioris de minore. Incuſare,eſt minoris de maiore, vel paris de pari Quorum ſingularis inſcitia vehementer eſt caſtigãda. Apud quem enim authorum obſeruatio iſta reperietur? Nónne apud veteres, adoleſcentuli ſolebant probitatis ſimul & eloquentiæ laudem capeſſere ex magnorum virorum accuſatione? Atque(vt ait M.Fabius)crediti ſunt etiam clari iuuenes obſidem reipublicæ dare, malorum ciuium accuſationem. quod ſignificauit Cicero,quum dixit, Quàm eſt illa miſera,quàm dura ſeruitus.adoleſcentibus paulo loquacioribus ſeruiendum eſt.Nunquid Demoſthenes quum tutores ſuos adoleſcentulus in iudiciũ vocauit, aut Cicero quum Verrem reum fecit prætorium virũ, ipſe quæſtorius non accuſauit? maléque locutus eſt, dicens, accuſationem ſuam ſemper,nunquam incuſationem? Et hoc quidem de accuſando.Quid autem de incuſando? Certe ſi illud nõ eſt de maiore in minorẽ, neque hoc erit de minore in maiorẽ: & alioqui nullo vnquam in iudicio auditum eſt nomen incuſationis,quid porrò extra iudicium? Virgilius inquit,

Quem non incuſaui amens hominúmve deúmve?

Dii quidem maiores AEnea ſunt,homines verò Troiani duntaxat minores.At eſt apud Terentiũ pater ad filium loquens,Quid me incuſas Clitipho?Hoc enim iſti exemplum ponunt.Cæterorum exempla omittunt,quæ contra eos faciũt, quæ ſunt infinita. vt Cæſar Commentario primo, Hæc quum animaduertiſſet Cæſar,conuocato concilio, omniúmque ordinum ad id conci-

lium adhibitis centurionibus, vehementer eos incusauit. Sed ne multis morer, Accusare, est vel apud iudices, vel apud aliũ quẽuis, etiam apud illum ipsum, quem accuses, significare atque ostendere aliquem peccasse. Incusare verò, reprehendere mores alterius, & plerũque cum querela, quòd ab illo iniuria sis affectus. Et ita apud Virgilium, Terentium, Cæsarem, cæterósque authores accipiendum est.

EPITOME.

Barba non est (vt Seruius vult) tantum hominis: nec barbæ, tantum quadrupedũ: sed vtrunque tam hominibus quàm quadrupedibus competit.

In eundem de Barba & Barbæ. CAP. XIIII.

BArba, idem inquit, hominis est: Barbæ verò, quadrupedum. Sed non est barba tantum hominum, neque barbætãtum quadrupedum: quin & barba quadrupedum, & barbæ hominum vtique multorum dicuntur. Horatius,

Vtque lupi barbam variæ quum dente colubræ,
Abdiderint furtim terræ.

Cap.13. Plinius libro vicesimooctauo, Rabiem hircorum si mulceatur barba, mitigari: eadem præcisa, non abire eos in alienũ gregem. Nam illud Virgilianum,

Stiriáque impexis induruit horrida barbis:

magis de hominibus dictum est, quàm de hircis. Et illud,

Nec minus interea barbas, incanáque menta
Cyniphei tondent hirci:

ad multos hircos refertur: perinde ac si diceremus caudas, quũ tamen singulæ singulis hircis sint, ita & barbæ. Sunt etiã & barbæ aliorum quàm quadrupedum, vt Plinius in XXX, Quũ geminos transit sol, cristis, & auribus, & vnguibus gallinaceorum: si luna, radiis barbísque eorum.

Cap.11.

EPITOME.

Nuntius, est qui nuntiat, & quod nuntiatur. Etiam hoc nuntium dici, Seruius, sed quod nuntiatur, docet. quod se author nusquam legisse dicit. At alii legerunt. Vnde Mancinellus, Seruium nõ errasse, antiquorum testimonium probat. Lucretius enim ait, Et ad calidum decurrũt nuntia sensum. Catullus de Berecynthia & Aty, Geminas deorum ad aures noua nuntia referens. Tibullus, Diui vera monent venturæ nuntia sortis, Vera monent Thuscis exta probata viris.

Mancinellus.

In eundem de Nuntius & Nuntium. CAP. XV.

NVntius, inquit idem, est qui nuntiat: quod autẽ nuntiatur, licet neutro dicatur, tamẽ inuenitur & masculino. Miror cur ita dixerit. Ego quidem nusquam hoc nuntium legi. at ne ipse quidem (vt opinor) quũ Festus Pompeius vetustior eo author, ita scribat, Nuntius & res ipsa, & nuntius dicitur.

EPITOME.

Arcere, potius est vetare ne venientes accedant, quàm prohibere. Transfertur etiam ad incorporea: vt, Arcere ab improbitate. Abigere autem, est cōtrarium huic: quia est à loco fugare atque expellere, etiam pecora, vt oues, capras, asellos quando nobis odiosi sunt. Aut est tollere gregatim furto, aut latrocinio. Vnde abactores pecuariorum animalium, fures, latrunculíve: qui etiam abigei dicuntur. de quo vocabulo inter iureconsultos controuersia est. Fures autem, clam subducunt, aut sublegunt, seu subripiunt. Latrunculi, vi grassantur. Præstare, quo iurecōsulti & oratores sæpe vtuntur, est prohibere ne alicui fiat aliquid incommodi, etsi non prohibuerit satisfacere. vt, Venditor debet præstare vitium rei quam vendit.

In eundem de Arceo, Abigo, Abigeus, Abactor, Abígeatus. CAP. XVI.

ARcere idem ait esse prohibere. Sed mihi videtur potius esse vetare, ne accedant hi qui veniunt. Iuno septem tantum annos arcuit Troianos ab Italia, quam vbi contigerunt, non arcebat ab ea amplius, sed in ea esse prohibebat. Transfertur (vt pleraque) de corporeis ad incorporea. Cicero in Paradoxis, Quæ vis enim est, quæ magis arceat homines ab improbitate, quàm si senserint nullum in delictis esse discrimen? Contrarium huic verbo est abigere, quod significat à loco fugare atque expellere. vt, Abige muscas à facie mea scribentis, abige canes à popina tua, abige sturnos sonitu à vinea. Quintilianus, Ibo in litus miser, planctibus aues abigam. De pecoribus verò idem quod de cæteris animalibus accipiendum est: quæ si nobis odiosa sunt, abigimus, id est expellimus. vt Oues, capras, asellos, ab hortis, à vineis, à pratis. Quod si ita non sit, sed furto tollimus, vtique gregatim, abigere aliud significat, id est furto tollere, aut etiam latrocinio. vt apud eūdem, Adhuc spolia transeūtium, & abacti pecorum greges sub hoc titulo defendebantur. Vnde Abactores, vocātur pecuariorum animalium fures, latrūculíve. Hos quidam abigeos vocāt. Vlpianus autem inquit, Abigei proprie hi habētur, qui pecora ex pascuis, vel ex armētis subtrahunt, & quodammodo deprædantur, & abigendi studiū quasi artem exercent, equos de armentis, vel oues de gregibus abducentes. Cæterum siquis ouem oberrantem, vel equos in solitudine relictos abduxerit, non est abigeus, sed fur potius. Hic abigeum à non abigeo distinguit loco, non numero: Claudius numero, non loco inquiens, Quantitas discernit furem ab abigeo. Nam qui vnā suem surripuerit, vt fur coercebitur: qui gregem, vt abigeus. Hic furem ab abigeo separat, vt superior fecit. Macer non separat, quum ait, Abigeatus crimen publici iudicii non est, quia furtum magis est. sed quia plerunque abigei & ferro vtuntur, si deprehendātur, ideo grauiter puniri eorū admissum solet.

Abigo.

Quomodo autem hi iuriſconſulti inter ſe conueniant, aut non conueniant, nihil ad hoc tempus. Hoc tantũ dixerim, Non modo fures, ſiue qui furtim ſolent abigere armenta vel greges, ſed etiam latrunculi, qui facta prædonum manu in alienum agrum incurſionem exercentes pecora etiam interdum abigunt, & abigei nominari poſſunt. Præſtare. Præſtare (quo verbo ſæpe & iuriſconſulti & oratores vtuntur) eſt prohibere ne alicui fiat aliquid incommodi, & ſi non prohibuerint ſatiſfacere. vt, Venditor debet præſtare vitium rei, quam vendit. id eſt prohibere atque efficere, ne emptor damni quid faciat, alioqui ſatiſfacere. Neque illud in alterum modo, verumetiam in noſipſos. Cicero in Tuſculani, Quum id quod ab homine non potuerit præſtari, euenerit. id eſt caueri & prohiberi.

EPITOME.

Innoxius, innocuus, & innocens, idem ſunt: is videlicet qui non nocet nec nocuit, & ita extra culpam eſt. non autem innocuus, cui non nocetur, vt vult Seruius. Littus autem innocuũ, & naues innocuæ à Virgilio dicuntur figurate more poetico. quia eorum vſus nemini nocuit.

In eundem de Innocuus & Innoxius. CAP. XVII.

INnocuus, inquit Seruius, eſt cui nõ nocetur. Innoxius, qui non nouit nocere. Vellem exempla recitaſſet, quibus oſtẽderet eam expoſitionem innocui veram eſſe. Nanque illud Virgilianum quod eum impulit in hanc opinionem,

Donec roſtra tenent ſic conſedere carinæ
Omnes innocuæ:

non eſt accipiendũ, quòd ſubſederunt tales, vt eis nihil noceretur: ſed vel more poetico, quòd nihil peccauerunt, quaſi innocentes homines (Nocentes. Nocentes enim ſunt quicũque ab honeſto recedũt, etiam ſi nemini noceant) vel quod non nocuerunt, neque ſibiipſis, neque vectoribus aut nautis.

EPITOME.

Inſtar, non eſt ad ſimilitudinem, vt Seruius vult: ſed ad æquiparationẽ, æqualem magnitudinem aut menſuram. Neque dicemus, ad inſtar, vt nonnulli: ſed ſine præpoſitione genitiuum addemus. Mihi quidẽ videtur Inſtar deductũ ab in & ſtatus, vt ſit, in ſtatũ & formã. Quocirca dũ res reparatur, inſtaurari, raro reſtaurari, à peritis dicitur. Et quia in, æquipollet ſæpe huic præpoſitioni ad, fruſtra præponeretur. nã vt nõ dicam, ad in ſtatũ: ita nec, ad inſtar. Serenus tamẽ lyricus (vt author eſt Seruius) dixit ad inſtar. ſicut & Hieronymus noſter, vt Iob 20, Et gaudiũ hypocritæ ad inſtar puncti. Item Ioſue ſeu Ieſu Naue tertio, Steterũtque aquæ deſcendentes in vno loco, & ad inſtar montis intumeſcẽtes apparebãt procul ab vrbe. Sed hoc fortè excuſari poſſet per regulã notã, AEquiualẽs geminis, &c. nolim tamẽ imitari.

In eundem de Inſtar. CAP. XVIII.

AEneid. 2. INſtar montis equum diuina Palladis arte AEdificant. Inſtar, id eſt ad ſimilitudinẽ, Seruius ait. Quid ſimilitudinis equo ad montẽ? quòd ſi etiã ſimilis eſſet, nõ tamẽ eum

magnũ potius quàm paruũ eſſe, quod Virgilius ſenſerit, intelligeremus. Archimedes ille geometricus, globũ ad ſimilitudinem cæli fabricatus eſt, in quo effigies cæli aderat, magnitudo nõ aderat. Idẽ fit de tabula illa depicta ad ſimilitudinẽ orbis terrarũ, quã non auſim dicere depictam inſtar orbis terrarũ. Neque alia multa huiuſmodi. vt, Inſtar Antonii ãbulas, inſtar patris ſcribis, inſtar languidi ſedes: ſed ad ſimilitudinẽ, vel in ſimilitudinẽ, vel in modũ, vel in morẽ, vel tanquã, & ſimilia. Inſtar potius ſignificat ad æquiparationem, vel ad menſuram, vt apud Virgilium, Argolici clypei, aut Phœbææ lampadis inſtar.
Cicero, Hexametrorum inſtar verſuũ. Nam illud apud eoſdem, Inſtar mortis ducũt: &, Fulminis inſtar, ſignificat æquiparationẽ doloris in morte, & impetus ex fulmine. Quòd ſiquãdo reperiatur proxime accedere ad ſignificationẽ ſimilitudinis, admoniti ſimus, vt nimiã vtendi licentiã deuitemus. Nam ego ſic auderẽ vix vti, vt Seruii familiariſſimus Macrobius, cum ſæpe aliâs, tũ ſtatim in procœmio Saturnalium, ita inquiens, Vt quæ indiſtincte atque promiſcue ad ſubſidium memoriæ annotaueramus, in ordinem inſtar membrorum cohærentia conuenirent.

EPITOME.

Paſſim, non eſt (vt idem vult) vbique: ſed per paſſus, quaſi per ſingulos paſſus. Vnde interuallum habet. Vbique autem, eſt in omni loco ſine interuallo. Neque accipietur pro vbique & vndique, vt à Lactantio. Sed Vſquam, potius concedetur ſignificare & in loco, & in locum, ſeu ad locum. Verum in exemplo Lactantiano, poſſet paſſim accipi proprie vt ſit ſparſim, ſic, Eo ſparſim confugerunt ex finitimis locis. Nam ſi vndique dixeris, fruſtra addideris ex finitimis locis.

In eundem de Paſſim, Vbique, & Vſquam. CAP. XIX.

PAſſim, inquit, ſignificat vbique. Mihi autem aliud videtur vbique, quàm paſſim. Nãque in prato vbique eſt herba, nõ paſſim. Contrà, Grex paſſim paſcit, potius, q̃ vbique. Quippe aliquid interualli eſt inter pecudem & pecudẽ: non ita inter herbam & herbam. Eſt autẽ paſſim, quaſi paſſu diſtante, vel ſparſim: quẽadmodũ dicimus paſſis manibus & paſſis crinibus. Quod accipi ſolet etiã pro crebro, dũ de rebus mẽtis loquimur. Lactãtius tamen pro vbique accepit, quũ inquit, Creditur ei paſſim tanquã cognitæ veritati. Neque ſolum pro vbique, ſed etiam (quod vſitatius eſt) pro vndique. Quúmque is numerus condendæ vrbi parum idoneus eſſe videretur, conſtituit Aſylum: eò paſſim cõfugerũt ex finitimis locis peſſimi quique ſine vllo cõditionis diſcrimine. Vſquam, duo hæc potius ſignificat, in loco ſimul, & ad locum. vt Terentius in Eunucho, Occidi, neque virgo eſt vſquã. Cicero in Philippicis, Nec verò vſquam diſcedebam.

Aduerbia in im,aut pro positiuis in e & in er minus vsitatis ponuntur: vt priuatim pro priuate,separatim pro separate,properatim pro properanter, dissimulatim pro dissimulanter, hubertim pro exhuberanter, affatim pro abunde aut abundanter, raptim pro rapte seu raptanter aut festinanter, cursim pro currenter (quo barbari vtuntur) seu celeriter: & nonnulla alia. Aut pro suis nominibus pluralis numeri & præpositione per, aut pro ablatiuo singulari, aut pro gerundio in do: vt Generatim, per genera singula aut in genere. Summatim, id est per summas, aut per summam, seu vt dicunt, summando. Viritim, per singulos viros aut singula capita, aut vir cum viro. Nominatim, per singula nomina, aut nomine. Membratim, per membra aut demembrando. Cæsim, per incisiones, aut incidendo. Punctim, per pũctiones, aut pungendo. Tractim, per tractus, aut trahendo. Cateruatim, per cateruas. sic gregatim, turmatim, manipulatim, imò sturnatim, & coturnatim, quibus lepide vtitur Beroaldus. Præterea, domesticatim, vicatim, regionatim, oppidatim, municipatim, prouinciatim: per varias domos, vicos, regiones, oppida, municipia, prouincias. In summa, & ad summam, parum differunt à summatim, nisi in vtendo. nam sic vtimur particula summatim, Dicam de hac re summatim. In summa sic, In summa, ne prolixius de hac re loquar, hoc dictum volo. Ad summã sic, Ad summam, ne agam de singulis, &c. Ad summum verò, id est ad summũ numerum, vltra quẽ plura negamus, vt Annos vixit ad summum sexaginta. id est sexaginta duntaxat, & non vltra. Interdum refertur ad tempus, vt Scies autem cras, ad summum perendie. id est si non cras, non tamen vltra perẽdinum diem. Semel autem, sic à Quintiliano, atque aliis doctis dicitur, vt ab imperitis simul totum. quo modo etiam aduerbium breuiter reperitur dictum, vt litera declarat.

De Aduerbiis in im exeuntibus. CAP. XX.

Addamus de quibusdam aduerbiis in im vocem exeuntibus. Priuatim nihil differt à priuate, si priuate dicere liceret: nihil separatim à separate, si hoc reperiatur: nihil properatim, à properãter, nihil dissimulatim à dissimulanter. Hubertim idem est quod copiose: Affatim, quod abũde: Raptim, quod festinanter: Cursim, quod currendo. Tamen aliud est generatim, quàm generaliter. Hoc enim significat omnia simul quæ sub genere sunt amplectendo: Illud verò per singula genera, seu magis per singulas species. Siquidẽ species genera vocamus, vt Quot sunt genera arborum, vitium: potius, quàm quot sunt species. Virgilius,

Generatim. Generaliter.

Generatim discite cultus.

Varro, Non in volucribus generatim seruatur analogia: non ex aquilis aquilæ, neque ex turdis procreantur turdi. Sic ex reliquis sui cuiusque generis. An aliter hoc fit, quàm in aere, q̃ in aqua? non hîc conchæ inter se generatim innumerabili numero similes. Eodem modo, vt generatim per singula genera dicimus, ita summatim per singulas summas. Aliquando dicimus summatim & generatim, non per singulas summas, generáque, sed per vnam, vnúmve. vt, Dicam de hac re summatim. Cicero de Ora-

Summatim.

tore libro secundo, Infinitum mihi videtur id dicere,in quo aliquid generatim quæritur,hoc modo,expetendáne esset eloquẽtia,expetendíve honores.Cæterum quomodo differat ab illis ad summam,in summa,postea reddam. Viritim,per singula capita virorum, vt, Gracchus diuidebat viritim sex modios frumenti. Tamen de vno aliquando dicimus,vt apud Curtium,Siquis viritim dimicare vellet,prouocauit. Nominatim,per nomina singulorum: vt Assignati sunt coniurati nominatim custodi carceris. Et de vno etiam,vt Tenens cruentum pugionem Brutus,nominatim Ciceronem inclamauit. Membratim per membra. Cæsim,per incisiones gladii.Punctim,per punctiones,infixionésque gladii,siue incidendo & pungendo.Strictim,stringendo singula vel certum aliquid. Carptim,hinc & hinc decerpendo,nõ ipsam seriem sequendo.Tractim,trahendo,non interrumpẽdo seriem. Cateruatim,gregatim, turmatim,manipulatim,per diuersas cateruas,diuersos greges,diuersas turmas,diuersos manipulos. Domesticatim,vicatim, regionatim,oppidatim,municipatim, prouinciatim:per varias domos,varios vicos,varias vrbis Romæ regiones,variáque oppida,varia municipia, varias prouincias. Venio nunc ad id quod promiseram.In summa & ad summã,magis modo vtendi differũt à summatim,quàm significato.Quintilianus in Corpore proiecto,In summa nõ recedo. Fas est mihi etiã inuitis parẽtibus pie facere. Cicero de Offic.lib.1,Ad summã (ne agam de singulis) cõmunem totius generis hominũ conciliationem & cõsociationem colere,tueri,seruare debemus.Differt autem Ad summam & Ad summũ,quòd secundum ad numerũ refertur,vt idem Cicero pro Milone,Quatuor,ad summũ quinque sunt inuenti,qui Milonis causam non probarent.id est nõ plures q̃ quatuor aut quinqueex omnibus.Idẽ ad L.Mescinũ, Noli enim existimare,mihi solitudinẽ non iucundiorẽ esse,qua tamẽ ipsa vti nõ licet,q̃ sermones eorũ qui frequentant domum meã,excepto vno, aut ad sũmũ altero.hoc est excepto vno, aut (vt multũ) duobus.Quintilianus in sensu priore solet vti tali genere dicendi per aduerbiũ,semel.Denique vt semel finiã,sic ferè cõponendũ,quo modo pronuntiandũ erit. Et alibi, Et vt semel omnia cõplectar.Et iterũ,Et vt semel quod est potissimũ dicam, secretum in dictando perit. id est vt in summa dicam. Cuius rei causa est ipsũ illud semel,quod significat vnavice pro omnibus, ita vt postea nõ oporteat quid addi.Ideóq; solet accipi pro immutabiliter & irreuocabiliter.Quod enim semel tantum fit,id non habet regressum vt iterũ fiat. Idem in Mathematico,Quid hæc

Viritim. Nominatim. Membratim. Cæsim. Punctim. Strictim. Carptim. Tractim. Cateruatim. Gregatim. Turmatim. Manipulatim Domesticatim. Vicatim. Regionatim. Oppidatim. Municipatim Prouinciatim In summa. Adsummam. Ad summũ. Lib.5.Epi.21. Semel.

fulgentium ſiderum veneranda facies, quòd quædá velut infixa, ac cohærentia perpetua ſemélque capta ſede collucent, alia toto ſparſa cælo vagos curſus certis emetiuntur erroribus? Virgilius, -qui, nequid tale videret,

Procubuit moriens, & humum ſemel ore momordit. Ouidius, -nulla reparabilis arte

Læſa pudicitia eſt, deperit illa ſemel. Lucanus, -dixítque ſemel naſcentibus author

Quicquid ſcire licet. Semel inquit, vt nullum poſtea verbũ addat. In eundem ſenſum idem Quintilianus accepit Breuiter, vt in Geminis languentibus, Breuiter tamen longæ crudelitatis explicanda ſæuitia eſt: ex omnibus quæ pertulit, leuiſſimũ fuit, quòd occiſus eſt. Plinius maior, A reliqua verò Gallia latere ſeptentrionali, montibus Gebenna & Iura: agrorum cultu, virorũ morúmque dignatione, amplitudine opum, * nulla ei prouinciarũ præferẽda, breuitérque Italia verius quàm prouincia. Et iterum de luſcinia, quæ vulgò dicitur Philomela, Nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo, copulatur intorto, promittitur reuocato, infuſcatur ex inopinato: interdum & ſecum ipſe murmurat: plenus, grauis, acutus, creber, extentus, vbi viſum eſt vibrans, ſummus, medius, imus. Breuitérque omnia tam paruulis in faucibus, quæ tot exquiſitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit.

Breuiter.

Lib.3.cap.4.

*nulli prouinciarũ poſtferenda.

Lib.10.ca.29.

EPITOME.

Tandem, non vacat apud Virgilium ornatus cauſa (nullus enim in vacando conſiſtit ornatus, licet id Seruius velit) nec apud Ciceronem eſt coniunctio expletiua quod cenſet Priſcianus: verum vrgendi & accelerandi vim affert, potiſſimum per interrogationem aut tacitam aut expreſſam, quo modo à doctis ferè vſurpatur. at ſine interrogatione, eſt quaſi id quod dicunt, finaliter, poſt longam moram, quo modo demum & denique accipi poſſunt. Verum denique, tunc præcipuum habet locum, quando multis enumeratis volumus quod ſubdimus vltimum eſſe omnium: quaſi ſit, ſed vt vno verbo concludam, aut, vt ſemel dicam. Demum præcipue cum is & ita iunctum, ſolet accipi pro ſolum, aut omnino: vt Ea demum magna voluptas. Is demum fructus, &c. Id demum poſſum. Ita demum mihi ſatiſfacies, &c. id eſt ſolum. Pro omnino, ſic Plinius, Ea demum ſola auium, &c. Ouidius, denique pro demum poſuit, vt in litera patet.

In eundem de Tandem, Demum, & Denique. CAP. XXI.

TAndem idem ait, poni non neceſſitatis, ſed ornatus cauſa, vt in illo Virgilii,

Sed vos qui tandem, quibus aut veniſtis ab oris?

Nec cuius ornatus, aut quare ſit ornatus, explicat. Idẽ ſentit Priſcianus, dicens, Tandem non ſolum pro aduerbio temporali, ſed etiã pro coniunctione expletiua inuenitur. vt Cicero Inuectiuarũ

libro primo, Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra? Mihi quidem nullum ornamentum videtur esse in superuacuis, & nihil agentibus verbis. Quanquam apud Græcos dictiones nõnullæ sunt, quæ aut numerum, aut sonum implent. quod in hac dictione non est, quæ habet potius vrgens quiddam & accelerãs, eóque ferè per interrogationẽ. quæ exempla vulgo sunt plurima. vt Cicero in Catilinam, cuius oratio sic incipit, Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra? Quo exẽplo vsus est Priscianus. Quidam tamẽ inter primos huius ætatis docti, solent citra interrogationem hoc aduerbio vti, non tam authoritatem sequentes eiusdem Virgilii & in eodem loco, AEneid.1.

Et quo sub cælo tandem, quibus orbis in oris
Iactemur, doceas. Et Horatii, qui ait, Lib.1.Epi.17.
Quanuis Scæua satis per te tibi consulis, & scis
Quo tandem pacto deceat maioribus vti:
Disce docendus adhuc. quàm Ciceronis in Catone maiore dicentis, Qua tandem spe sibi tam audacter obsisteret, respondit, senectute. Et pro Roscio, Quum ab eo quæreretur, quid tandem accusaturus esset in eo. Nonnullísque aliis in locis. Sed tamen vtrunque interrogationem habet, & eam directam latenter ad secundam personam. Nam hic qui loquitur, verba alterius refert. Siquidem Pisistratus à Solone sic quæsiuit, Qua tãdem spe mihi tam audacter obsistis? Et Fimbria ab illo (quisquis fuit) sic petiuit, Quid tandem in eo accusaturus es? Neque verò legem illius dictionis scribo, sed vsum frequentissimum trado. Sine interrogatione autem quid significet, nemo ignorat, vt Virgilius,

Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.

Eiusdem significationis sunt demum & denique, vt notum est. vt idem Virgilius,

Tunc demũ optata gemina super arbore sidunt. Cicero, Quũ excessisset è vita, tum denique viueret. Sed plerunque quum sint multa enumerata, tum subiungimus denique, significantes hoc vltimum esse omnium. vt idem Virgilius,

O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas,
Nil nostri miserere, mori me denique cogis.

Et Cicero, Quum sibi non multitudinem militum, nõ idoneos imperatores, non pecuniam sibi præsto esse viderent, non denique vllam rem quæ pertineat ad bellum administrandum. Demum solet accipi pro solum, siue pro omnino, præcipuéque iũctum cum Is & cum Ita. Cicero in Sallustium, Ea demum magna voluptas est Crispe Sallusti, æqualem ac parem verbis vitam Demum.

agere. M.Fabius, Illud ingeniorum velut præcox genus, non temere vnquam peruenit ad frugem. Hi sunt qui parua facile faciunt, & audacia prouecti, quicquid * illi possunt, statim ostendunt. possunt autem id demum quod in proximo est, verba cōtinuant, hæc vultu interrito nulla tardati verecundia proferunt. Et iterum, Tum illa quoque ex causa, quòd mentem tantæ rei intentam vacare omnibus aliis, etiam culpa carentibus curis oportet. Ita enim demum libera ac tota nulla distringente atque aliò ducente causa, spectabit id solum ad quod accingitur. Et alibi, Iacebat hæc insomnis, inquieta, quum diceret, iam statim apparebit, iam statim veniet, nunquam tamen tardius venit. Miseram me fili, proxima nocte iam veneras. Ecce iam medios sidera tenent cursus, indignor, irascor. Ita mihi demum satisfacies, si apud patrem fuisti. Ideo autem dixi solum, siue omnino, quod Plinius videtur accipere pro omnino, de hirundine, dicēs, Ea demum sola auium, non nisi volatu * depascitur. Quidam volunt ab is & demum componi idem. Ouidius pro demum, posuit denique, libro tertio sine titulo,

*ibi

Declam. 10.

*pascitur

Idem.

Siqua metu dempto casta est, ea denique casta est.

EPITOME.

Stella & sidus non differunt, vt Macrobius vult. quia sidus, etiam de stella vna dicitur: quinetiam astrum: vt, Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum. Sed tamen stella non dicitur de signo, vt sidus. Nec stellam hybernam dicimus, vt sidus. quia à sidēdo & influendo sidus dictum videtur. vnde prospero aut infœlici sidere natos dicunt: non, stella.

In Macrobium de Stella & Sidus. CAP. XXII.

STella & Sidus differunt, si Macrobio credimus, ita scribēti, Nunc videamus quæ sint duo hæc nomina, quorum pariter meminit, quum dicit, Quæ sidera & stellas vocatis. Neque enim hîc res vna gemina appellatione monstratur, vt ensis, gladius. sed sunt stellæ quidem singulares, vt erraticæ quinque, & cæteræ quæ non admistæ aliis, solæ feruntur. Sidera verò quæ in aliquod signum stellarum plurium compositæ feruntur, vt Aries, Taurus, Andromeda, Perseus, vel Corona, & quæcūque variarum genera formarum in cælum recepta creduntur. Sic & apud Græcos aster & astron diuersa significant. Etenim aster stella vna est, astrum signum stellis coactum, quod nos sidus vocamus. Hæc differentia (Macrobii pace) nusquam reperitur, vt apud eūdem Ciceronem de Vniuersitate, Itaque nesciunt hos siderum errores. Et iterum, Toto igitur orbe constituto sideribus, parem numerū distribuit animorū, & singulos adiunxit ad singula. Et libro secundo de natura deorum, Nam quum duo sint

genera ſiderum, quorum alterum ſpatiis immutabilibus ab ortu ad occaſum cõmeans, nullum vnquam curſus ſui veſtigium inflectit. Alterum autem continuans conuerſiones duas eiſdem ſpatiis curſibúſque cõficiat. Quintilianus in Mathematico, Quid hæc fulgentium ſiderum veneranda facies, quòd quædam velut infixa ac cohærentia, perpetua ſemélque capta ſede collucẽt, alia toto ſparſa cælo vagos curſus certis emetiuntur erroribus? Quod non ſenſiſſe Ciceronem (vt Macrobius vult) documento eſt, quòd non propoſuit ſtellas. Debet enim ſpecies generi, pars toti præponi: vt, Dicam de prudentia & virtute huius. Dicam de facie Helenæ & eiuſdem pulchritudine. non autem ediuerſo. Fateor tamẽ nunquã ſtellam Arietẽ dici, Taurum, Andromedam, Perſeum, ſed ſidus. Et hinc eſt quod dicimus hybernum ſidus. Et illud Quintiliani, Nos graue huius anni ſidus afflauit.

EPITOME.

Reſciſcere, non eſt quod Aulus Gellius vult: ſed rem geſtam, poſtquam geſta eſt, ſcire, quam cum gereretur neſciebas. Itaque reſcimus poſt factum. Deprehendimus aut deprendimus, in ipſo facto. vnde deprehenſi in adulterio dicuntur. Horatius, Deprendi miſerum, Fabio vel iudice vincam. Item nautæ, quaſi alienum elementum ingreſſi, deprendi dicuntur à tempeſtatibus in mari. Virgilius, Deprenſis miſeris ſtatio tutiſſima nautis.

In Aulum Gellium de Reſciſco. CAP. XXIII.

RESciſcere Aulus Gellius vult eſſe rem occultam, inopinatã, inſperatámque cognoſcere. Miror de hoc ſolertiſſimo verborũ inueſtigatore atque cenſore, qui vocabulum hoc de facili difficile, de claro obſcurum, de trito nouũ, de expoſito obſtruſum fecerit, ne dicam falſò expoſuerit. Nunquid ſi videã hominem cælo volãtem, vt feciſſe Dædalus, Perſeúſque fertur: aut aliquem è terra prodire, qualis Thages ab Hetruſcis creditur: aut Satyrũ aliquẽ ſemiuirum ſemicaprúmque, quem ſe vidiſſe nõnulli ſcripſere: aut arcana quædam naturæ perueſtigauero, dicã reſciuiſſe? nõ opinor. Eſt igitur propriè reſciſcere, rem poſtquam geſta eſt, ſcire, quam neſciebas quum gereretur, præſertim ad te, tuóſve pertinentem. vt Terentius in Adelphis, -hem tibi,
Reſciuit omnem rem: id nunc clamat ſcilicet.

EPITOME.

Deprecor ſupplicium, non eſt deteſtor, execror, depello, vel abominor, vt idem Gellius cenſet: ſed quaſi dicto, vel facto recuſo, vel verius, precor vt non ſit ita. vt contrarium ſit eius quod eſt precor & comprecor. Sicut defendo me ab ictibus, & defendo ictus, diuerſimode dicimus. De enim (vt prius diximus) tria facit. Nam aut ſignificationem auget, vt Deprecor, pro valde precor: Deamo, id eſt valde amo, ſic demonſtro, depello, deprauo, &c. Aut mutat in contrarium, vt Depono, deteſtor, dedoceo, dediſco. Aut peruertit, & in malum mutat, vt Demẽs, peruerſæ mẽtis. Deuius, peruerſam viã tenens. Amẽs autem, quaſi ſine mente: & Auius, aberrans

à via.& inuius,fine via.delirus,fine lira & regula,aut regulam peruertens.Item reperitur de,pro deorsum:ficut sus,pro sursum siue susum. Vnde antique dictum est apud Aulum Gelliũ,Súsque déque fero.id est sursum & deorsum fero. hoc est pro eodem habeo,& quod dicunt,nihil curo. Deprecor ergo,est aut valde precor vt sit, aut nõ sit.Infinita sunt exẽpla,vbi DE significat deorsum. vt Demigro,deuenio, descendo,despicio,decurro,&c.

In eundem de Deprecor. CAP. XXIIII.

DEprecor supplicium, idem Aulus Gellius ait dictum esse, quasi detestor,vel execror,vel depello,vel abominor.Ego autẽ ita dici puto deprecor, vt precor & imprecor. Precor tibi bonũ,precor tibi malum : sic deprecor liberationem, & deprecor pœnam.illam,vt potiar:hanc,vt vitem.Ouidius libro primo de Ponto,

Sæpe precor mortem,mortem quoque deprecor idem,
Ne mea Sarmarticum contegat ossa solum.

Deprecor dixit, quasi precor mortem non dari mihi in hac terra. Nec mirum id fieri in deprecor, quum fiat in magis vsitatis, vt in defendo.Siquidẽ dicimus,Defende me,quod ferè dicitur,& nonnunquam defendo ictus. vt Cicero de Senectute,Vestitáque pampinis, nec modico tepôre caret, & nimios solis defendit ardores.Quum præsertim mos Romanis sit,etiam mala precandi ne veniãt. Vnde templa Timori,Pallori,Febri,aliísque similibus fuere dedicata,& iis(vt ita dicam) numinibus fiebant sacra.quod etiam Virgilius probat,

Defendo.

Nigram hyemi pecudem,Zephyris fœlicibus albam.

Neque solum deprecari est voce,sed etiam per ea quæ instar vocis obtinere solẽt vultum gestúmque. Etenim Bucephalum,qui præter vnum Alexandrum,omnẽa lium recusabat sessorem, nõ inepte dixeris deprecari alios sessores præter regem.Denique deprecor magis significat,vel dicto,vel facto recuso,quàm illa quæ AulusGellius attigit.

EPITOME.

Situs,non est negligentia,quod Priscianus censet: sed sordes illa atque illuuies quæ innascitur locis humidis,& diu non repurgatis,lanuginem videlicet atque mucoremferẽs,qui & pædor dici potest.Situs etiam,est loci qualitas aut dispositio,pro quo barbari situationem dicunt: & castrum situatum,pro eo quod est situm. Nam etiam adiectiue situs sita situm dicitur.

In Priscianum de Situs. CAP. XXV.

AEneid.7.

SItus (vt Priscianus inquit)dicitur pro negligẽtia, vt Virgili⁹,
Sed te victa situ, veríque effœta senectus.

Sed non ita est: potiúsq; sordes illa & illuuies, qualis nascitur inter opaca domus quæ diu non repurgatur. vnde inquit M

Lib.1.cap.2.

Fabius,Excitãda mẽs,& attollẽda semper est,quæ in huiusmodi

ſecretis aut langueſcit, & quendam velut in opaco ſitum ducit, aut cõtrà tumeſcit inani perſuaſione. Huiuſmodi igitur quidam ſitus ſedet in vultu,capite,totóque corpore vetularum, & habitu præſertim inopum: qualem illum Virgilius intelligit,& Lucanus de malefica anu ait, Fœda ſitu macies. Quod etiam pædorem poſſumus appellare.vt idem Lucanus,

Longúſque in carcere pædor. Et Cicero in Tuſculanis, Pædores muliebres. Et iterũ,Barba pædore horrida. Miror Priſcianum hoc in loco à diffinitione Seruii deſciuiſſe,qui hoc vocabulum propriè diffiniuit,inquiẽs,Situs propriè eſt lanugo quædam ex humore procreata. Fit autem in locis carẽtibus ſole. Situs verò pro loci qualitate manifeſtum eſt,vt de ſitu Meſſanæ,& de ſitu Syracuſarum,& ſimilium. Pædor.

EPITOME.

Docilis,eſt qui facilè docetur:facitque in ſuperlatiuo potius docillimus quàm do ciliſſimus.Docibilis autem,quem Priſcianus vult eſſe qui facile diſcitur, à doctis nõ dicitur.ſed pro eo ſignificato,eſt perceptibilis,aut perſpicuus,& ad diſcendum facilis.& ſi reperiretur,vix differret à docili.Nam ſæpe rem vnam diuerſis vocibus eloquimur.vnde aliquãdo idẽ ſunt æqualis & æquabilis,exitiale & exitiabile,ſenſile & ſenſibile,rationale & rationabile.Penetrale autem,adiectiue(quantum mea,inquit, fert opinio)non reperitur.ſubſtantiue verò,eſt penetrale,id eſt locus penitior & interior domus,quem penetrata domo adimus. Penetrabilis verò,eſt qui facilè penetrat, & qui facilè penetratur. Dialectici autem recentiores dicerent ſenſile, paſſiue accipi,quod & Lucretius facit: ſenſibile verò,quod Lucretius pro eodẽ poſuit, actiue. Vnde animal ſenſibile,quia aptum eſt ſentire: poniturque pro differentia ſubſtantiali animalis. Sicut rationale,pro differentia tali hominis. rationabile autẽ,rationem ſequens,aut iuxta rationem factum.vt,Obſequium rationabile,non rationale.&Homo rationalis eſſe poteſt,qui non ſit rationabilis.Verum bruta irrationabilia ſunt & irrationalia : quia rationem non ſequuntur. vnde & bruta dicta. Bene dixit, Quantum mea fert opinio: quia AEneid.4.reperitur,

At regina pyra penetrali in ſede ſub auras Erecta. Non omnia ergo legit, aut nõ omnium memor fuit:infirmitatis ergo ſuæ memor,inquit,quantũ mea fert opinio.

In eundem de Docilis & Docibilis. CAP. XXVI.

Docilis,idẽ inquit, eſt qui facile docetur: Docibilis, eſt qui facile diſcitur : quomodo Penetralis eſt qui in intimis eſt partibus:Penetrabilis, qui facile penetratur. Non occurrit vbinã legerim docibilis. Eſt enim conſuetũ magis perceptibilis: niſi magis apud eccleſiaſticos,atq; in aliũ ſenſũ,Et erũt docibiles Dei,dictum eſt quaſi dociles. Nam Cyprianus ſuper illud Pauli, Epiſcopum non litigioſum,non cõtentioſum:ſed mitem & docibilem eſſe debere:ait,Docibilis autem ille eſt,qui eſt ad diſcendi patiẽtiam lenis & mitis.Hoc(vt ego ſentio)idem eſt quod docilis.Ratio tamen poſtulat,vt id ſignificet quod ait Priſcianus,eo quidem magis,quòd habemus in eodem ſenſu docilis,vt ſuperuacuum fuerit duas voces adeò confines vni ſignificationi dare:

Penetralis. Penetrabilis. Perceptibilis.

nisi dicimus simile hoc esse illis, æquale & æquabile, de quibus dixi alio volumine. Insuper sensibile & sensile. Lucretius,

Sensile. Sensibile. Exitiale. Exitiabile.

Ex insensibili ne credas sensile nasci. Hæc duo pro eodem accepit. Exitiale & exitiabile. Virgilius in sexto,

Sed me fata mea, & scelus exitiale Lacænæ,
His mersere malis. Ouidius sexto Metamorphoseos,
Dúmque manu tentat trahere exitiabile ferrum.

Rationale. Rationabile. Penetralis. Penetrabilis.

Rationale & rationabile. Quintilianus in secundo, Sed quia caret sermone quæ id faciũt, muta atque irrationabilia vocantur. Porrò penetralis (quantum mea fert opinio) non reperitur, sed penetrale, substantiuúmque est, non adiectiuum. Penetrabilis adiectiuum, qui facile penetrat, vt apud Virgilium, Penetrabile telum, & penetrabile frigus. Tum qui facile penetratur, vt apud Liuiũ lib. 46, Et in asperis locis silex sæpe impenetrabilis ferro occurrebat. Seruius, Quod penetrat (inquit) penetrale dicitur: quod autem penetratur, penetrabile. In quorum priore dissensio, quum non sit neque adiectiuum (vt ipse vult, exponens penetrabile frigus, pro penetrale frigus) neq; significationis actiuæ. Denique (vt ad docilis reuertar) docillimus mea sententia faciet potius, quàm docilissimus, qualia sunt facilis, gracilis, agilis, similis, humilis.

EPITOME.

Numen, non est nutus Dei, nec imperium potestásque cuiusque, sed tantũ Dei. Itaq; Priscianus nõ rectè, & Varro non plene diffiniuit. Cæterũ quantum videor mihi sentire, satis ieiunè author quoque rem explicat. Nam numen, dicitur à nuo, & quia Deus solo nutu quo se velle significat, facit quod vult: ideo numen accipitur pro potestate illa qua ad nutum Deus facit, quòd nutu angelis suis imperat. Sunt autem vnius Dei varia numina, id est variæ potestates, vt inquit Seruius. Vnde dictum est de Iunone, Quo numine læso. id est qua eius potestate læsa, quum plures habeat. Est enim pronuba, Lucina, & regnorum largitrix, aerísque inferioris domina.

In eundem de Numen & Nutus. CAP. XXVII.

NVmen, idem inquit, est Dei nutus. Ante hunc Varro dixerat, Numen dicunt esse imperium, dictum à nutu. Vter horum commodius diffiniuit? Certè numen est imperium, potestásque Dei: non autem nutus neque imperium cuiuslibet. Sed Varronem de imperio Dei suspicor intellexisse.

EPITOME.

Necatus dicitur, non solum ferro, sed quocunque peremptus, vt sit quasi genus. Nectus verò, alia quauis re, quæ adiungi solet, ita vt sit quasi species: nec significat semper plane mortuum, sed propemodum: sicut exanimatus, eũ qui similis est mortuo. vt, Nectus fame, frigore. id est confectus.

In eundem de Necatus & Nectus. CAP. XXVIII.

NEcatus, idẽ inquit, propriè ferro: Nectus verò alia vi peremptus dicitur. Sed ego sentio generalẽ significationem necatus, specialem verò nectus esse. Cicero in Rhetoricis,

& libris ad Herennium,& alibi sæpe ait, Veneno necatus. Quintilianus in 4, Hinc adulter loris cæsus est, fame necatus. Nec vnquã nectus dicitur sine certo genere mortis: vt, Enectus siti Tantalus. nec tam mortuus, quàm propemodum mortuus, sicut exanimatus pro eo qui similis est mortuo. vt, Fame, siti enecti: quæ plurima sunt exempla. Enectus.

EPITOME.

Næ, cum æ diphthongo, quod apud Græcos scribitur ναὶ, & profertur næ: éstque aduerbium affirmãtis, significans certè, aut profectò. Priscianus vult accipi pro valde, sed potius accipitur pro certe aut profecto. Ponitur autem ne. vox negatiua, cũ his verbis, queo, scio, & volo, etiam citra compositionem, ita vt Cicero barbarum putet dicere Non scio, non volo. Reperitur tamen, Non queo: sed frequentius, nequeo: & apud Ciceronem etiam, Haud scio, vt nescio, & haud velim. Nec Valla vsquam legit potissime, sed tantum potissimum: licet Priscianus cõtrà doceat. Ne autem, compositum cum dictis verbis, non habet diphthõgon: quia nequeo primam corripit. vnde à neque, aut nec per syncopen compositum videtur. Nam ne, non corripitur, nisi fuerit coniunctio enclitica, significans an. Nec scribitur diphthõgo nisi significauerit (vt in Græco) certe, aut profecto, seu reuera. quo modo vtitur Persius, quasi ironice dicens, Næ mihi Polydamas, aut Troiades Labeonem Prætulerint. vbi tamen accipi posset pro eo quod est, vt nõ: vt sit sensus, Quare sit turpe & miserabile: nunquid ideo, ne mihi &c. vnde addit nugæ. Præterea dũ aduerbium prohibendi est, etiam producitur. vt, Ne sæui magna sacerdos. Signanter dicit, Quod ego nusquã legi, dubitans an alii legerint: quod certe apud indoctos passim legitur: apud Ciceronem verò si mẽdum non est, semel ita dicentem. Hactenus mihi videor quid sentirem potissime dixisse. de quo etiam prius diximus.

De Næ & Ne. CAP. XXIX.

NAE pro valde idẽ dixit, nec tamen solus. Terentius in Andria, Næ ille illũ haud nouit. Mihi quidẽ videtur idẽ apud nos significare, quod apud Græcos, scribíque cũ diphthongo debere ναὶ, quod est certe. vt apud eundem, Faciunt næ intelligendo, vt nihil intelligant. Quasi dicat, faciunt profecto. Hæc apud Ciceronem dictio frequẽs est, vt de Oratore libro tertio, Næ ille haud sanè quẽadmodum verba struat & illuminet, à magistris istis requiret. Apud Quintilianũ cæterósq; illius æui rarissima. Ne cõponitur cũ queo, cũ scio, cũ volo. Frequentius tamen sine compositione, apposita negatione reperimus illud primum, quàm duo sequentia. Adeò vt barbarũ putet Cicero dicere, Non scio, & nõ volo, licet nõnunquã apud ipsum quoque reperiatur. Ideo frequẽtissime legimus, Haud scio, haud velim. Idẽ Priscianus ait, à potius fieri potissime, quod ego nunquã legi, sed potissimũ. In Oratore ad Brutum. Non scio. Non volo. Potissimum.

EPITOME.

Valeant, non est apud Terentianum Pamphilum pereant, sed discedant à nobis, & à commercio nostro alieni sint: sicut discedunt, quibus Valete dicimus: aut discedamus ab eis, sicut ab his, quibus Valete diximus. Vale enim, est salutatio recedentis, vt salue & aue venientis. Sed salue, potius commune dicetur: eo quòd salutare, & aduenientis & abeuntis est. vnde salutanti nos, respõdemus salue: nec est aliud verbum

ad hoc idoneũ, nisi dicamus more vulgari magis quàm probato, Bene veneris. quũ apud Homerum, χαῖρε, id est aue: pro salue, & vale legatur. Apud nonnullos legũtur, salueo, saluebis, valebis. saluere autem, & valere apud multos. Valens autem, videtur interdum accipi pro ægrotãte. tamen in loco citato è Quintiliano, ego potius pro sano accepero, vt sit, Consuetudo valentis. id est dum valebat. Valitudo autem vel vt apud Horatium scribitur valetudo, est dispositio corporis, tam bona quàm mala, quam qui diuersam habẽt, ægroti sunt: vnde valetudinarii, dicũtur ægroti. ideóque valetudini attribuimus epitheton discretiuum, quum verbo etiam indifferẽter significanti, sæpe purè vtamur, dicẽtes in fine epistolarum, Vale. Sanè in vetere codice legitur Valetudo & Valetudinarii. sed quia Horatio secunda producitur, quasi à valendo, scribam per e: nam à valido fieret validitas aut validitudo, &c.

In Donatum de Valeo. CAP. XXX.

VAleant qui inter nos dissidium volunt. Donatus, Seruius, & quidam alii sic exponunt, Pereãt qui hoc nobis volunt. Quævox & oratio aliena fuerat ab ingenio Pamphili, pio & probo. Cicero, Si deus talis est, vt nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, valeat. Quid enim dicam, Propitius sit? Esse enim propitius potest nemini. Nunquid eo irreligionis, atque eo impudentiæ Cicero venerat, vt deo exitium precaretur? Absit. Lactantii quoque testimonio, qui de his ipsis Ciceronis verbis ait, Quid enim contemptius potuit dici in Deum? Valeat, inquit, id est abeat & recedat, quando prodesse nulli potest. Vides vt Lactantius, quumvult Ciceronem cõtumeliosum fuisse in Deum, nõ tamẽ exposuerit valeat, pro pereat, sed abeat & recedat. Quanquam (vt mihi videtur) nõ significatur per valeat, quòd abeat ille à nobis, sed quòd nos ab illo, Vale dicentes. Enimuero vale, salutatio est recedentis, vt salue & aue venientis. Quomodo ergo verbum salutantis, potest accipi pro mala precatione atque salutatione? Est autem salutare, & aduenientis & abeuntis. Virgilius in nono,

De natura deorũ lib. I.

Salue. Aue.

Hanc ego nunc ignaram huius quodcunque pericli est,
Inque salutatam linquo. Ideóque nonnunquã reperimus salue etiam in discessu, vt in calce epistolarum Ciceronis ad Tironem, Vale mi Tiro vale, vale & salue. Et iterum, Etiã atque etiam noster Tiro vale: Medico, Curio, Lysoni de te scripsi diligentissime. Salue, vale. Virgilius in vndecimo,

-salue æternum mihi maxime Palla, AEternúmque vale.

Nec mirum si in fine loquendi reperiamus salue, quum etiam ille qui aditur & salutatur, dicat salue, quemadmodum qui abit, & qui alterum à se dimittit, dicit vale. Quod etiam Græci faciũt, vt Homerus primo Iliados,

χαίρετε κήρυκες διὸς ἄγγελοι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.

Neque est apud Latinos aliudverbum, quo adeunti nos respon-

deamus,quàm ſalue: niſi more iã vulgari,magis quàm probato dicamus, bene veneritis. Idem verbum apud eundem, pro vale vigeſimotertio Iliados,

χαῖρέ μοι ὦ Πάτροκλε καὶ εἰν ἀΐδαο δόμοισιν.

Cicero ad Atticum indicatiuo huius verbi vſus eſt,dicens,Et ſaluebis à meo Cicerone. Plautus in Truculento in prima poſitione vtitur,Salue,ſatis eſt mihi tuæ ſalutis,nihil moror,nō ſalueo. Martialis etiam dixit, Valebis,

Quum pinguis mihi turtur erit, lactuca valebis,
Et cochleas tibi habe,perdere nolo famem.

Cæterum(vt ad inſtitutum redeam)qui valeant,pro execratione acceperunt,forſitan hoc argumento inducti ſunt,quòd nonnunquam hoc verbum lãguorem ſignificat. vt Idem de Oratore,Sicut medico diligenti priuſquam conetur ægro adhibere medicinam,non ſolum morbi eius,cui mederi volet, ſed etiam conſuetudo valentis,& natura corporis cognoſcenda eſt.Vnde valetudo pro languore frequentiſſime accipitur.& teſtes valetudinarii nominantur.Idem adTerẽtiam & ad Tironem,Valetudinem tuã cura diligenter.hoc eſt lãguorem & infirmitatem. Alibi pro ſanitate, Sed nunc valetudini tribuamus aliquid. Frequenter tamen apponimus adiectiuum vel fauſtum, vel infauſtum, ad diſtinguendum ſtatum corporis:ſiquidem indifferenter ſignificat, more ſui primitiui. Dicimus enim,Vt vales? quomodo valuiſti? qualiter valet filius?Sic,Qua valetudine es?qua valetudine eſt filius? Reſpondebis, Infirma,aduerſa,mala valetudine: vel contrà, bona,incolumi,optima. Valetudo.

EPITOME.

Vas,licet à Varrone pro fideiuſſore diffiniatur: proprie tamen is eſt qui ſponſor eſt alterius in capitis periculo, ſiue idem ſupplicii ſubiturus, ſiue pecuniam ſoluturus,ſi is pro quo vas eſt,id eſt cui vadere eo manente licet,ad diem non redierit.Vadimonium autem, eſt ſponſio ad certum diem ſiſtendi ſe in iudicio, id eſt comparendi per ſe,aut per aduocatos.Obſes autẽ,eſt qui traditur imperio alterius ea conditione, vt ſi dator obſidis à fide recedat, recipienti ſit ius in corpus & vitam obſidis. Vnde vas à vadendo, quia per eum alteri vadere licet,dictus videtur. Obſes verò,ab ob,& ſedeo:quia ſedet,id eſt reſidet apud alterũ ob fidem datã ſeruãdam.

In Varronem de Vas & Obſes. CAP. XXXI.

VAs,inquit Varro, appellatus eſt, qui pro altero vadimoniũ promittebat. Cõſuetudo erat,quum reus parum eſſet idoneus incœptis rebus,vt pro ſe alterum daret.Videtur Varro ſignificare vadem eum eſſe,quem fideiuſſorẽ vocamus: & vadimonium,fideiuſſionem.Noshoc negare ita eſſe quî poſſumus, quum Varro omnium conſenſu ſit Romanorum eruditiſſimus, & linguæ Latinæ peritiſſimus?qui Latinas literas fecit & latinio-

res & literatiores. Quãquam multi sunt, qui eum quibusdam in locis reprehendant. quæ facultas præcipue discipulis Quintiliani adesset, longe Varrone doctioris atque eloquẽtioris. Verum ego non ausim reprehendere, sed tantum affirmare, me non legisse (duntaxat quantum aut recordor, aut intelligo) vadem eum esse, qui vadimonium pro altero dat (si vadimonium significat fideiussionem) sed eum, qui sponsor est alterius in capitis periculo, siue idem supplicium subiturus, siue pecuniam soluturus. vt apud Quintilianum in declamatione, quæ inscribitur Amici vades. Et apud Ciceronem libro quinto Tusculanarũ quæstionum de Pythagoreis amicis, quorum alteri quum tyrãnus diem mortis dixisset, alter pro amico ad visendam matrem ituro vas factus est.

Lib. 3. ab vrbe condita.

Et apud Titum Liuium de Cæsone capitis reo, ita dicentẽ, In vincula coniici vetant. Sisti reum, pecuniámque (nisi sistatur) populo promitti placere pronuntiãt, summam pecuniæ quantã æquum esset promitti, veniebat in dubium. Id ad senatum reiicitur. Reus (dum cõsulerentur patres) retentus in publico est. vades dare placuit. vnum vadem trium millium æris obligarunt. quot darentur, permissum est tribunis. decem finierunt. Tot vadibus accusator vadatus est reum. Hic primus vades publicos dedit. Quod Festus quoque sentit, dicens, Vas sponsorem significat in re capitali.

Vadimoniũ.

Vadimonium (quantum ego sentio) est sponsio ad certũ diem sistendi se in iudicio. id est comparendi per se, vel per aduocatos. vt in oratione Ciceronis pro Quintio datur intelligi, vbi longa est altercatio de vadimoniis: altera parte dicente fuisse sibi vadimonia deserta, altera verò nequaquam à se illa fuisse facta. Et

In pastu cad.

*tandem

Quintilianus de Legato frumentario, qui ad præstitutum diem venerat, inquit, Nisi * tamen ad vadimonium legate venisses, nõ multorum dierum commeatum habebamus. Et hoc ipsum fortasse Varro sensit. Obses autẽ est, qui traditur imperio alterius, ea conditione, vt si dator obsidis à fide recedat, recipienti sit ius in corpus & vitam obsidis. Quod præcipue inter potentes commercium est, qui nõ habẽt superiores, ad quos pro iustitia prouocẽt.

EPITOME.

Decurio, dicitur qui decem præest equitibus: sicut centurio, qui centum præest militibus. Sed duplex est decurio, Romanus & municipalis. Romanus, id est qui Romæ decurio est habitus, longe maior erat quàm municipalis: quia municipalis, cõsiliis in municipiis admittebatur, vt senator Romæ: erátq; maior equitibus municipalibus, sed minor tamen equite Romano, quũ decurio Romanus etiam decem equitibus præfuerit. Eques quoque Romanus, maior erat centurione, id est eo qui centum militibus, sed propriè peditibus præerat. Centurio verò, maior eo qui Græcè δίκαρχος, id est decem hominum princeps dicitur. plus enim est cẽtum præesse, quàm decem.

vnde non rectè decurionem pro decarcho accipias. Eques autem, dicitur vel qui de ordine equestri, vel qui equo militat. Vnde author noster, quem vulgus militem vocat, & peritiores equitem, aut equitem auratum, quum non sit satis aptum ei dignitati vocabulum, decurionem velit appellatum. Equitatus autem, est multitudo equitum, id est equo militantium. Pedes verò, est qui pedester militat. Peditatus, ita militantium multitudo. Miles autem, quicunque militat, sed potius in pugna pedestri: dictus (vt quidam volunt) quasi millesimus, aut è mille vnus. Turma, cõstat ex duobus & triginta equitibus, cui Frõto decurionem præesse voluit. Decuriæ autem, sunt nobiliorum, quia equitum. Centuriæ, inferiorum: quia peditum & vulgarium. Vnde decurio, centurioni præstat: quia præstantius est præesse decem equitibus, quàm centum peditibus. Persius tamen, centuriones pro militibus videtur accepisse, aut reuera pro iis qui centum præsunt. vnde quia stant, varicosos appellauit, dicẽs, Dixeris hæc inter varicosos centuriones. Pomponius iurisconsultus decurionẽ dici putat, quòd decima pars coloniarum deductarum, initio conscribi solita sit.

In eundem de Decurio. CAP. XXXII.

DEcuriones, inquit idem, primi singularum decuriarum dicti, quod probat Tempanius ille apud Titum Liuiũ, quod & ipse approbat Festus. Idémq; ait, Decuriones appellantur qui denis equitibus præsũt. Est ergo dictus decurio à decem, & centurio à centum. Nam (vt ait Pædianus) decuriæ sunt nobiliorum, centuriæ inferiorum. Quidam volunt (quorum est Fronto) decurionem præesse turmæ, quæ cõstat ex duobus & triginta equitibus. Neque belli solum, sed domi quoque decurio dicitur, nomen quoddam præposituræ significans. vt Suetonius in Domitiani vita, Saturius decurio cubiculariorũ. & hoc quidem apud Romanos. In municipiis autẽ (vt mihi quidem videtur) idem est decurio, qui Romæ senator. Nam qui in senatu, & consiliis Reipublicæ municipalis interesse poterant, decuriones erant. Cicero pro Sestio, Qua de causa & tũ cõuentus ille Capuæ huic P. Sestio apud me maximas gratias egit, & hoc tempore beneficium, fidémque hominis testimonio declarant, periculum deprecantur suo decreto. Recita quæso P. Sesti quod decreuerunt Capuæ decuriones. Quòd autẽ differant decurio Romanus & decurio municipalis, ex epistola quadam Plinii Iunioris è primo libro declaratur, dicentis, Esse autem tibi centum millia nummûm censum satis indicat, quòd apud nos decurio es. Igitur vt te nõ decurione solum, verumetiã equite Romano perfruamur, offero tibi ad implẽdas equitis Romani facultates, trecẽta millia nũmûm. Nõ dicitur itaq; decurio, aut quòd decem præsit militibus (vt quidam volunt) quem Græci δέκαρχον vocant, quum decurio sit maior equite, eques centurione, centurio decarcho, vt ex stipendiorũ magnitudine datur in multis libris intelligi: aut in municipiis qui decẽ equitibus præest, quũ sit equite duntaxat Romano minor.

Turma.

Decurio municipalis.

An quia decem præsit equitibus municipalibus? aut hoc erit dicendum, aut Pomponii iurisconsulti opinio sequenda, dicentis, Decuriones quidam dictos aiunt ex eo, quòd initio quum Coloniæ deducerentur, decima pars eorum qui deducerentur, consilii publici gratia conscribi solita sit. Quare eum, quem nunc militem appellamus, aut falsa dignatione afficimus (nam etsi omnes qui militant milites sunt, miles tamen propriè qui pedibus militat dicitur, eques qui equo) aut si vere, decurionem potius appellamus. Quidam horum temporum docti, equitem vocãt, sed rectius decurionem vocarẽt. Nam eques est, aut qui Romæ ex ordine equestri est (quod non facit ad gloriam militarem) aut qui equo militat: cuius nulla dignatio est, quãquam iurisperiti multa ineptissimè fabulantur de dignatione militum: quæ quidem vel nulla, vel communis est omnium siue pedestrium, siue equestrium, qui militiam exercent. Nam de auro gestãdo, vel huiusmodi nugis, nullum verbum est in iure ciuili. Sed hæc omittamus, quæ non sunt huiusmodi scriptionis, dum illud admonuerimus, Romanum decurionem, qui præest decẽ Romanis equitibus, longe præstare cæteris decurionibus, quibus etiam ipse eques Romanus præstat.

Miles.

Eques.

EPITOME.

Exemplum & exemplar, ferè pro eodem sumuntur. Propriè tamen exemplar, est id in quo est quod vel imitemur vel deuitemus. Exemplũ, id ipsum quod est nobis imitandum aut deuitandum. vnde vnius exempli multa possunt dici exemplaria, sicut forma vna dicendi, quam Virgilius in AEneide seruauit, potest dici exemplum, atque in multa exemplaria, quas inepti copias aut duplum vocant, transcribi. Est igitur exemplum, quasi res incorporea existens in exemplari, id est re corporea. Vnde vita Catonis aut eius mors, est nobis exemplum: ipse Cato, exemplar, siue (vt Plinius dixit) exemplarium. Exemplum præterea, vt Aulus Gellius docet, erat grauissimum genus punitionis. Vnde exemplar aliis inspiciendum fiebat, quod & Comicus in Eunucho satis indicat.

In Festum Pompeium, de Exemplum & Exemplar. CAP. XXXIII.

EXemplum (inquit Festus) est quod sequamur, aut vitemus. Exemplar, ex quo simile faciamus. Illud animo æstimatur, istud oculis conspicitur. Mihi autẽ (licet Festus scientissime de exponendis vocabulis loquatur) aperienda tamen est magis horum nominum differentia. Nam & exemplum est, ex quo simile facimus, vt Opera Homeri exẽplum sunt poemata scribere volentibus. Quintilianus libro decimo, Sic literarum ductus, vt scribendi fiat vsus, pueri sequuntur. sic musici vocẽ docentium, pictores opera priorum, rustici probatam experimẽto culturam in exemplum intuẽtur. Et exemplar animo quoque æstimatur.

Cap. de imitatione.

Cicero lib.3.de Oratore, Illa oratio fuit mihi exemplar bene dicendi. Quintilianus in decimo, Cornelius autem Seuerus etiam si versificator quàm poeta melior, si tamen (vt est dictum) ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset, vendicaret sibi iure secundum locum. Horatius in satyra inquit, Cap.1.

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi. Idem Cicero pro Murena, Domesticum te habere dixisti exẽplum ad imitandum. Est illud quidem exemplum tibi propositum domi, sed tamen naturæ similitudine illud ad te magis, qui ab illo ortus es, quàm ad vnumquenque nostrum pertinere potuit. Ad imitandum verò tam mihi propositum exemplar illud est, quàm tibi. Itaque vnum pro eodem penè exemplum & exemplar posuit, & quidem eodem in loco. Cæterum exemplum est ipsa res quam imitamur, aut (si ita sors tulerit) deuitamus in aliquo, vt in Catone, Cato autem ipse exemplar. Illud contentum, hoc continens. Quòd si dicamus ad exemplar Catonis, aut ad exẽplar Epicharmi, sic intelligimus ad exemplar Catonis, quod est Cato: ad exemplar Epicharmi, quod est Epicharmus, siue opus Epicharmi. vt * opus hominis, pro ipso homine. Animam corpúsque filii destruis, quasi aliud illa sint à filio. Exemplum pro exemplari. Est enim contentum pro continente, vt apud eundem, Fuit ille vir exemplum continentiæ. quomodo dicimus, Ille vir fuit norma viuendi. quum tamen non sit norma viuendi vir, sed in viro: ita nec ille exemplum continentiæ, sed in illo. Ideóque exemplaria multa sunt, vnius tamen exempli. vt, Redditæ sunt mihi binæ literæ tuæ eodem exemplo. id est eiusdem formæ: & duo vel tria exemplaria AEneidos, hoc est multi codices eodem exemplo: & exemplar ab exemplari sumitur, non ab exemplo. Nam exemplum incorporale est, exemplar plerunque corporale. Hinc Sallustius, Literas quas sibi nomine Catilinæ redditas dicebat, earum exemplum infra scriptum est. hoc est earum forma infra scripta est, melius quàm earum exemplar. Quòd forma sit exemplum, Paulus iurisconsultus testatur, Si legatum certum petatur, non iubet Prætor verba testamenti edere: ideo fortasse, quia hæredes solent habere exemplum testamenti, id est formã. Cicero ad Appium, Ex his literis, quarum ad me exemplum misisti. Et ad Ciceronem tum Plancus, Exemplar eius chirographi Titio misi. Tum Asinius Pollio, Ex literis cognosces: nam earum tibi exemplar misi. Hi de pagina scripta, quod corporale est, intelligũt: ille de sententia, quæ in pagina cõtinetur, vel potius ex pagina percipitur. Quòd si indistinctè his duobus libet vti, non sanè repugna-

*corpus

bo: quum præsertim Ouidius dicat exempla plura vnius rei, id est exempla pro exemplaribus. Nam vnius rei vnũ atque idẽ exemplũ est propriè, vt dixi: in diuersis licet exemplaribus. Loquens enim de opere suo Metamorphoseos, lib. primo de Tristibus ait, Pluribus exemplis scripta fuisse reor.

Exẽplarium. Reperitur etiam exemplarium pro exemplari. Plinius lib. sexto, Iuba hæc omisit in hoc tractatu, nisi exemplarium vitiosum est. Non de eo autem exemplo dixi, quod adhibetur rei aut probandæ, aut ornandæ causa: quæ significatio nota est omnibus. Vnde pars probationis vocatur ab exẽplis: & in elocutione exemplum inter ornamenta numeratur.

EPITOME.

Persona, in homine est qualitas, qua alius ab alio differimus, tam in animo quàm in corpore, quàm in rebus externis. vnde actores fabularum, personati dicuntur, à personis, id est diuersarũ personarum faciebus simulatis. id est laruis, quas à personando, personas dictas Aulus Gellius putat. licet persona, media longa: pérsono eadem breui dicatur. Vnde Horatius in arte,

Post hunc personæ pallæque repertor honestæ. In Deo quoque, persona dicitur, non substantia, sed qualitas quædam, non vt Græci eam diffiniunt, sed vt Romani.

In Boetium de Persona. CAP. XXXIIII.

PErsona est (inquit Boetius) incõmutabilis naturæ, indiuidua substantia. Existimans se argumentatione collegisse, quare non sit qualitas, nec aliud prædicamentum vllum, sed substantia. Sed huic homini Romano ostendam Romanè loqui nescire. Persona nanque nõ est in Deo magis quàm in bruto, sicut humanitas, sicut alia plura. Sed demus vt in Deo etiam sit persona, quæro quamobrem ea non sit qualitas, siue de homine loquimur, siue de Deo. Nam in homine quidem persona significat qualitatem, qua alius ab alio differimus, tum in animo, tum in corpore, tum in extra positis, quæ à Rhetoricis enumerantur in attributis personæ. Animi: vt quo studio se exerceat, medicinæ, an iuris ciuilis, an militiæ. Et qua mente: iracundus, an moderatus: auarus, an liberalis. Corporis: iuuenis an senex, pulcher an deformis, fortis an imbecillis, mas an fœmina. Extra positorum: diues an pauper, clarus an obscurus, maritus an cælebs, parens liberorum an orbus, & his similia. Ideóque figuræ & sigilla quædam, quæ rostris, aut alia corporis parte aquam fontanam emittunt, quia repræsentant varios hominum vultus & gestus, personæ dicuntur. Et histriones in scena personas accipiunt, quum aut seruum agunt, aut ancillam: aut matronam, aut meretricem: aut senem, aut adolescẽtem: aut patrem, aut matrem, aut filium: aut regem, aut militem: aut lenonem, aut parasitum, & mille huius-

modi, quæ nō ſunt ſingula in ſingulis,ſed plurima. veluti in me eſt perſona humani,liberalis,timidi,iracūdi,hebetis,ſomniculoſi,literati,ſenilis,mariti,ſoceri,generi, patris,filii, fratris,pulchri, fortis,diuitis,nobilis,& interdū contraria. Nam ad fortiſſimum, pulcherrimum,ditiſſimum, non ſum fortis, nec pulcher,nec diues: ſed imbecillis,deformis,pauper. Alia itaque ad hunc perſona ſum, quàm ad eū cui in his omnibus antecello. Et ad Priamum ſum perſona filii,ad Aſtyanacta perſona patris, ad Andromachā perſona viri,ad Paridem perſona fratris,ad Sarpedonem perſona amici,ad Achillem perſona inimici.Quo fit vt adſit mihi multiplex perſona ac diuerſa, ſed vna tantum ſubſtantia . In Deo autem perſonam ponimus, vel quòd nullum aliud vocabulū quadrat:nō natura,quo veteres vtebantur: non ſubſtātia,quo Græci vtuntur:vel quòd vere in Deo triplex eſt qualitas.Atqui hic mihi os comprimet Boetius,neque vocē prodire permittet,dicens qualitatem eam eſſe quæ poſſit etiā abeſſe præter ſubiecti corruptionem.Hanc ego diffinitionem (vt græculam & ineptam) derideo. Dico lucem,vibrationem,calorem in ſole eſſe qualitates: & hoc dico Latine,omnibus qui vnquam Latine locuti ſunt cōſentientibus.quanquam de hac re ſuo loco in noſtro opere de Dialectice diſſeruimus.Tales qualitates ſtatuo in Deo,&has dico eſſe perſonas,quæ ab eo abeſſe non poſſunt,& qualitatē ſignificare,non ſubſtātiam(vt Boetius voluit)qui nos barbare loqui docuit.Hinc enim eſt forſitan adductum vulgus vt ſic loquatur,Tres perſonæ me expectant,video duas perſonas,hic eſt bona perſona.qui ſermo antea fuit inauditus, & hodie nemo niſi imperitus omnino ſic loquitur. Quanquam Boetius ipſe viderit, quomodo perſona eſt ſubſtantia. Sunt autem in Deo tres perſonæ, non & tres ſubſtantias illi adeſſe intelligamus : præſertim quòd neque vlla vox meram ſubſtantiam ſignificat, neque vlla res eſt mera ſubſtantia,vt in eodem noſtro opere oſtendimus.

EPITOME.

Noxæ dedere,eſt ſeruum tradere ad ſupplicium,quod pro noxa meruit, dum dominus mauult eum tradere,quàm pro eo maleficium præſtare.Vnde oritur noxalis actio,quam Paulus in textu diffinit. Noxa autem, nō ſolum culpā,ſed & damnum ſignificat,ac nocumentum.Neq; noxia propriè pro culpa dicitur, quū id nuſquam reperiatur niſi adiectiue noxius, noxia,noxium. Errat ergo in noxia Seruius, & in noxæ dedere Iuſtinianus,aut potius Tribonianus cum ſociis, qui Codicē & Inſtitutiones,eius nomine cōpoſuerūt. Nā ipſe linguæ Latinæ imperit⁹ cēſeri poteſt, quū in Græcia ſemper vixerit, & ſe dominū,cōtra Romanū morē,appellatū voluerit.

In Iuſtinianū de Noxæ dedere. CAP. XXXV.

NOxæ dedere,Iuſtiniani pace, ſiue Triboniani & ſociorum (Nam Iuſtinianus nec iura, nec forſitan Latinas literas

nouit) eſt pœnæ dare, ſiue tradere ob noxam, qua ſignificatur culpa. Ille autem ait, Noxa eſt ipſum corpus quod * punitur. & in eodem loco, Corpus deditur noxæ. Si noxa corpus eſt, quomodo corpus deditur noxæ? Nunquid corpus deditur corpori, aut corpus ſibi? Quanquam quid hæc oratio ad ſignificandum pœnam faceret? Eſt autem hæc pœna ſeruorum, quos domini malunt ad pœnam tradere, quàm præſtare maleficium, quod illi admiſerunt. Paulus ita diffinit, Noxales appellãtur actiones, quæ non ex contractu, ſed ex noxa atque maleficio ſeruorum aduerſus nos inſtituuntur: quarum actionum * ius & poteſtas hæc eſt, vt ſi damnati fuerimus, liceat nobis deditione ipſius corporis quod deliquerit, euitare litis æſtimationem. Vlpianus quoq; addit, vt corpus tradatur viuum igni. Quintilianus in Gladiatore, Alebat deuotũ corpus grauior omni fame ſagina, & inter * dedita noxæ mancipia contemptiſſimus tyro gladiator, vt nouiſſime perderem calamitatis meæ innocentiam, diſcebam quotidie ſcelus. Nam noxa etiam damnum ſignificat. vt apud Ouidium libro decimoquinto Metamorphoſeos,

*nocuit

Noxales actiones.

*vis,

*debita

Nocte nocent potæ, ſine noxa luce bibuntur.

Et Suetonium de Cæſaris vita, Spurinámque irridens, & vt falſum arguens, quòd ſine vlla ſua noxa Idus Martiæ adeſſent. De brutis autem impropriè dicitur, Ea dedi noxæ, vt de capra apud eundem Ouidium libro primo Faſtorum,

Verba fides ſequitur, noxæ tibi deditus hoſtis,
 Spargitur effuſo cornua Bacche mero.

AEneid. 1.

Seruius ſuper illud Virgilii,

Noxia.

Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei: ait noxam pro noxia, id eſt culpa. quaſi per ſe noxa non ſignificet culpam, quam familiaris eius (vt opinor) Macrobius leuem culpã accipi vult. Atque vt ſibi crederemus noxam non culpam eſſe ſed pœnam, ait culpam noxiam dici: quaſi noxiam ſæpius quàm noxam in hac ſignificatione reperiamus, quam dictionem nuſquam reperimus. Quod dixi Iuſtinianum forſitan nec iura, nec literas Latinas ſciſſe, nemo miretur, tum quia ſemper in Græcia vixit, tum quia ſe dominum Iuſtinianum (vt ex numiſmate eius apparet) dici voluit, vt quidam alii Cæſares fecerunt, quod à viro Romano eſt alieniſſimum, & character ipſe literarum, figurarúmque illorum temporum numiſmatis, Gothicum magis redolet quàm Latinum.

EPITOME.

Teſtamentum, non dicitur per veram etymologiam teſtatio mẽtis: ſicut nec ae-

mamentum,armatio mentis:ſed à teſtando deducitur. nam quæ in mentū exeūt, olim exibant in men: vndeaddita tum ſyllaba, fit mentum,vt teſtamen teſtamentum. Nec oratio,rectè dicitur oris ratio: ſed ab oratum oratu, mutando u in io,fit oratio.ſicut ab amatum amatu,amatio: & à lectu,lectio,&c.

In eundem de Teſtamentum. CAP. XXXVI.

TEſtamentum, idem inquit, ex eo appellatur, quòd teſtatio mentis eſt. Quæ diffinitio quorundam iuriſconſultorum fuit,quos ſi iuſtè Aulus Gellius coarguit,quãto ego iuſtius hunc arguere poſſum, qui exploſam atque deriſam etymologiã inculcat? Nam cur à mente potius dicatur,quàm à mento,vel à menta? Quia nihil ad hanc ſignificationem mentum, mentáve facit,inquies. Quid ergo mens ad armentum,ad ſalſamẽtum,ad ornamentum,ad condimentum,ad armamentum,ad pauimentum,ad cæmentum,ad calciamentum,ad veſtimentum,& huiuſmodi infinita?Nec minus inepta videtur mihi hæc etymologia, quàm illa apud Donatum,apud Seruium,apud Iſidorum,Oratio dicta eſt quaſi oris ratio.Quid aratio eſt?quid deuoratio?quid trituratio?quid operatio?quid mille huiuſmodi?nunquid in his ratio eſt? an talia ſunt, qualia cætera à ſupinis profecta, ſatio,potatio,meſſio,lectio? Quid non etiã,ſicut à ſupino ratio venit, reor ratum ratio,ſic ab oratum oratio? Eo magis quòd ſecũdam ſyllabam bis accipi vult,quaſi dicatur oriratio,& non oratio. Non eſt ergo vera etymologia hæc.Neque à mente,neque à mento, neque à menta:ſed potius hæc nomina aſſumunt tum ſyllabam, quum exirent antea in men,vt veſtimen,calciamen,munimen, lenimen,nutrimen,ſpiramen,medicamen,velamen:quibus adiecta tum,fit munimentum,lenimentum,nutrimẽtum,ſpiramentum,medicamentum,veſtimentum,velamentũ,calciamentum. ita teſtamen addita ſyllaba tum,fit teſtamentũ.Quòd ſi à mente deſcenderet teſtamentum, teſtamentia diceremus, quemadmodum dementia & amentia. Nihil habet magis ridiculum hæc, de qua loquimur ſciẽtia,quàm etymologiam, in qua ipſe quoque Varro & luſit,& luſus eſt.

Oratio.

Etymologia.

Varro.

EPITOME.

Syncerum,non eſt(vt Donatus vult)ſine cera & ſine ſucco: ſed potius cum cera à σὺν quod eſt con:non à ſine.nam per y ſcribitur:& ſine,nunquam componitur.Eſt ergo compoſitum ex Græcis dictionibus,σὺν,& κηρὸς,id eſt cera. Nec tamen vſquequaque quadrat etymologia: verum ea ſæpe mendax eſt.Nam licet fides (vt Ciceroni in 1.Officiorum placet)apertè dicatur,quia fiat quod dicitur:tamẽ id coarguit, quòd etiam fides eſt chorda inſtrumenti muſici.Poteſt tamen ſyncerum dici,quod integrum eſt & non fraudatum, ſicut mel cũ cera & fauo. Vnde per tranſlationem fides ſyncera & amor ſyncerus,& mens ſyncera dicitur,quaſi ſolida,integra,& nequaquam fraudata,neq; fucata,ſiue adulterata: vt ſolent res nõ ſynceræ,id eſt non integræ, adulterinum quid in complementum recipere. Frequenter tamen ſince-

rum legimus pro puro,quasi sine carie.

In Donatum de Syncerum. CAP. XXXVII.

SYncerum (Donatus inquit) quasi sine cera, mel simplex & purum,& sine succo. Imò cum cera potius. Syncerum à σὺν componitur, non à sine, quæ nunquam compositionem admittit,quod ipsa etiam scriptio declarat,quæ y habet,non i.Est enim ex duobus Græcis compositum, ex σὺν & cera quæ ab illis dicitur κηρὸς,vel à σύγκηρος cõuertimus.Quo magis venusta atque apta huius authoris etymologia est,indicatur etymologiam plerunque fallacem esse,quia significatio hæc nõ ita absoluta & vera est. Quid venustius atque aptius dici potest, quàm fidem ideo vocatam, quia fiat quod dicitur? Quam etymologiam fallacem esse declarat, quòd hoc nomen, chordam instrumenti musici significat. Et tamen licet dicere syncerum, quasi cum cera mel, quod integrum est & solidum,& nulla sui parte fraudatum: vt si diuidere fructum communium alueariorum cum socio velim, partémque tantum mellis assignem, nimirum non ago syncere, quòd sine cera mella dedi.

Sine.

Fides.

EPITOME.

Mulier,propriè est fœmina à viro cognita:sed generaliter dicitur etiam de virgine atque incorrupta,vt de diua virgine in Euangelio.Raro tamen,nisi de nubili,atque ea quæ viripotens videatur. Ridicula autem est eorum etymologia, qui mulierem dicunt mollem aerem,& propterea interdum penultimam corripere.quod vbi sit non docent.Neque minus ridenda eorum qui dicũt mulierem dictam,quòd mulceat æs:atque ita,vt æs æris,penultimam producere, sicut apud Lucretium, Siue virum soboles,siue est mulieris origo. Sed vt de origine taceamus,certum est potius pro corrupta accipi. quũ mulierosum dicamus hominem nimis affectum ad mulieres,præsertim ob rem veneream.

In Iurisconsultos de Mulier. CAP. XXXVIII.

MVlieris appellatione (Caius inquit) etiam virgo viripotẽs continetur.Vlpianus autem quodam loco ita ait,Quòd si ego me virginem emere putarem,quum esset mulier, emptio non valebit. Hîc mulierem appellat quæ virgo non est. Ille etiã quæ virgo est.Et Vlpiani quidẽ recta locutio est, Ciceronis testimonio:qui obiurgantibus,quòd sexagenarius Popiliam virginem duxisset,Cras mulier erit,inquit.Sed Caii quoque diffinitio locum habet aliquando. vt siquis videns decem fœminas, quarum aliqua virgo sit, ætate tamẽ qua mulier esse possit, dicat, Vidi decẽ mulieres. Quo modo etiam in Euãgelio dicitur,Quid mihi & tibi est mulier?Sed ex Græco sumptum est γυνὴ vel θῆλυς, quo significatur,vel fœmina,vel mulier. Idem quoque Vlpianus inquit, Mulierem ita arctam,vt mulier fieri non possit,sanã non

Quintilianus lib.6.cap.3.

videri constat. Eandem dixit & mulierem, & non mulierem: primum pro ea quæ est fœmina, secundum pro corrupta.

EPITOME.

Munus (de cuius descriptione inter iurisconsultos controuersia ab authore nostro indiscussa est) vt Festus & Varro sentiunt, est interdum donum mutuo animo datum officii gratia. vnde per diminutionem, munusculū dicimus. Est præterea officium & onus, quod ex officio subire tenemur. vnde munera seu munia (sic enim Horatius vocat) militaria: & munus, id est onus & officium debitum militum. E diuerso, immunis, otiosus & sine munere. At contrà, municeps, munus capiens, ex vicino Romæ oppido ciuis, qui quia onera militaria subiret, iure Latio, & etiam ciuitate Romana donabatur. Municipium autem, est vbi municipes cohabitant oppidum. Ius Latium erat, quo magistratus atque officia Romæ petere poterāt. Præterea munera, dicuntur aliquando ludi publici. Vnde Cicero ad Curionem, Nempe non defuit studium declarandorum munerum. id est ludorum. Donum autem, quidam volunt gratis conferri, & esse speciem: munus verò, genus. alii contrà. vtrunque negat author, asserens etiam nullum donum sine causa esse.

In eosdem de Munus & Donum. CAP. XXXIX.

MVnus (Paulus inquit) tribus modis dicitur. Vno, donum: & inde munera dici dari, mittíve. Altero, onus: quod quū remittitur, vacationem militiæ munerísque præstat. inde immunitatem appellari. Tertio, dicitur officium: vnde munera militaria, & quosdam milites * munificos vocari. Igitur municipes dici, quòd munera ciuilia capiant. Idem alibi, Municipes intelligendi sunt & ii, qui in eodem municipio nati sunt. Vlpianus, Municipes quidem propriè appellantur muneris participes, recepti in ciuitatem, vt munera nobiscum facerent. Sed nunc abusiuè municipes dicimus, suæ cuiusque ciuitatis ciues, vtputa Campanos, Puteolanos. Pomponius ita ait, Munus publicum, est officium priuati hominis, ex quo commodum ad singulos vniuersósque ciues, rémque eorum imperio magistratus extra ordinem peruenit. *Marcus autem sic, Munus propriè est, quod necessariò * subimus lege, more, imperióve eius, qui iubendi habet potestatem. Dona autem propriè sunt, quæ nulla necessitate iuris, sed officio & sponte præstantur: quæ si non præstentur, nulla reprehensio est: & si præstentur, plerunque laus est. Sed in hoc ventum est, vt non quodcunque munus, idem donum accipiatur. At quod donum fuerit, id rectè munus accipiatur. Quomodo hi iurisconsulti inter se conueniant, & an aliquid desit alicui horum, Accursius cum Bartholo Baldóque consultet: dúmque mihi (vt more ipsorum loquamur) ambo, trésve respondeant, affirméntque, quod Marcus ait, donum esse speciem, munus verò genus. Idémque contrarium esse verbis Vlpiani dicentis, Inter donum & munus hoc interest, quod inter genus & speciem.

Immunitas.
*munifices
Municipes.
*Martianus
*obimus

Nam genus esse donum, Labeo ait, à donando dictum: munus speciem. nam munus esse donũ cum causa, vtputa *natalium, nuptiarum. Hîc meam non interpono sententiã, ne illos Triumviros doceam contra me respondere. Quòd si me vtique sequi voluerint, respondeant neutrum verum dicere. Nam neque genus, neque species in hæc duo nomina cadit, & nullum mihi videtur donum sine causa esse.

*natalitium, nuptiarium.

EPITOME.

Peculium, est quicquid labore nostro partum est in quacunq; persona: licet in seruis iura velint dominorum accedere cõsensum. Item quicquid propriè alicuius est. vnde quia seruis, & filiisfamiliâs nihil proprium est, nisi dominorum & patris consensu, aut castrense lucrum, id est militia partum: ideo peculiariter, id est specialiter, id peculium vocamus. Nam peculiaris, id est ad peculium pertinens, accipitur pro proprio & speciali. Peculatus autem est furtum rerum ad ipsam Rempublicam vel ad prouentus principis spectantium. Inde depeculor: quod quidam ad sacrilegium etiam transferunt.

In eosdem de Peculium. CAP. XI.

PEculium est, Pomponius inquit, non id cuius seruus seorsum à domino rationem habuerit, sed quod dominus ipse separauerit, suam substantiam à serui ratione discernẽs. Peculium, Celso referente, Tubero sic definit, Est quod seruus domini permissu separatum à rationibus dominicis habet, deducto inde, siquid domino debetur. Idem alio loco, Paterfamiliâs peculium habere nõ potest, quemadmodum nec seruus bona. Ex his verbis apparet, nec dominum habere peculium posse, & solum seruum habere. Idẽ Pomponius & Celsus alibi aiũt, vnde colligi possit, etiam non seruum ac dominum habere peculiũ. Põponius enim ita scribit, Castrense peculium, est quod à parentibus vel cognatis in militia degẽti donatum est: vel quod ipse filiusfamiliâs in militia acquisiuit, quod nisi militaret, acquisiturus nõ fuisset: nam quod erat etiam sine militia acquisiturus, id peculiũ eius castrense non est. Celsus autem sic, Et audisse se rusticos senes ita dicentes, Pecuniam sine peculio fragilem esse, Peculium appellantes, quod præsidii causa reponeretur. A quo non dissentit Vlpianus dicens, Peculium dictum est, quasi pusilla pecunia, siue patrimonium pusillũ. Quid ergo inter has diffinitiones sequemur multiplices, & inter se propemodum cõtrarias? quum præsertim Festus ita scribat, Peculium seruorum est, à pecore dictum, sicut pecunia nobilium. Et Seruius grammaticus, Peculium patrimonium (ita enim maiores dicebant) à pecoribus, in quibus constabat vniuersa eorum substãtia. Vnde etiam pecunia dicta est à peculio, quod propriè tantum est seruorum: & peculium dicimus (licet abusiue) pro patrimonio. Ipse verò tanquam arbiter hono-

Pecunia.

rarius hanc rem diiudicabo, & quidem breuiter. Peculium est quicquid labore nostro partum est, in quacunque persona, licet in seruis iura velint dominorum accedere cōsensum. Et ita sensisse Virgilium sentio in ea parte quam exponit Seruius,

Nec spes libertatis erat, nec cura peculi. Et Horatium, De arte poetica.

Rem poteris seruare tuam. redit vncia, quid fit?

Semis. ad hæc animos ærugo & cura peculi.

Et Ciceronem in Paradoxis, An eorū seruitus dubia est, qui cupiditate peculii nullam cōditionem recusant durissimæ seruitutis? Et illos quoque rusticos senes de quibus Celsus meminit, pecuniam sine peculio fragilem esse, id est sine lucro industria parto. Nam cur habēti pecuniam maior spes præsidii collocetur in pusillo quod reposuit, quàm in ipsa pecunia? quum præsertim peculium pars sit pecuniæ. aut quomodo præstare possit reposita illa pecunia, ne cætera dilabatur? Vel peculium est quicquid proprie alicuius est. A peculio fit adiectiuū peculiaris pro re ad peculium pertinente, siue peculii propria. Sed in vsu iam receptū est pro proprio siue speciali. Quintilianus libro octauo, Quod commune est & aliis nomē, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur, vt Vrbem, Romā accipimus: & vænales, nouitios: & Corinthia, æra: quum sint vrbes aliæ quoque, & vænalia multa, & tā aurum & argentum, quàm æs Corinthium. Idem in vndecimo, Ambulantem loqui ita demum oportet, si in causis publicis, in quibus multi sunt iudices, quod dicimus, quasi singulis inculcare peculiariter velimus. Et in libro 6, Paululū impendamus huic quoque peculiaris operæ. Peculatus, furtū rerū ad ipsam rempublicam pertinentium, vel ad prouentus principis spectantium, sicut sacrilegium, rerum sacrarum. Inde Depeculor, quod quidā ad sacrilegium etiam transferunt.

Peculiaris. Cap. 2. Cap. 3. Cap. 5. Peculatus. Sacrilegium. Depeculor.

EPITOME.

Ager, continet fundum, nec cōtinetur ab eo. nihilque prohibet agrum cum villa, quæ domus rustica est, esse: quia senatores multi in agris vixisse leguntur, sed vero simile est, quòd non sine villa. Aruum differt ab agro: quia aruum sementi datur, ab arando dictum. Fundus igitur quiddam minus est quàm ager. nam prata, vinea, horti, & arboribus tā fertilibus quàm infertilibus loca consita: item pascua, nemora, loca aucupatoria, venatoria, piscatoria: siue villam, siue quoduis aliud ædificiū habeant, siue non, fundi sunt, in agro quidem. in vrbe autem, oppido, castello, vico, tantummodo prædium est. Fundus enim, species est prædii. nam fundus, est possessio rustica. prædium autē, possessio qualis iam descripta est, & rustica & vrbana. Dico, Qualis descripta est: quia possessio, etiam tabernas, hospitia, horrea, & similia etiam in vrbe continet. Fundum autem, est ima pars rei, proprie aliquid liquidum intra se continentis, aut ad continendum factæ, vt est dolium, nauis, & alueus fluminis, lacus, stagni, aut maris. Nam fundum turris, pro fundamēto, author non diceret: quòd aliud est fundum quàm fundamentum: & tamen fundari, ad fundamentum

magis,quàm ad fundum pertinet. Fundamus enim domum,cuius eſt fundamẽtum: nō nauem,cuius tantum fundū.Fundamẽtare enim nō reperitur,& fundare rarius, niſi per tranſlationem pro firmare,& ſtabilire,& validis fundamentis fulcire. Nam pro eo quod eſſet fundamentare,dicimus fundamẽta iacere:intelligitúrque de qualibuſcũque fundamentis.& ſæpe per tranſlationem ſignificat quodámodo dare rei principiũ.Negat verò author reperiri genere maſculino hic punctus,quo philoſophi vtuntur.Punctum autẽ dici pro breuiſſimo tẽpore,nulla quæſtio eſt:neque tamen pro eo dicetur momentũ,quod breue quidẽ,ſed nō breuiſſimũ tẽpus importat. Imò philoſophi punctum dicerent nō eſſe quantitatem,ſed principium quãtitatis continuæ.Et vt recitat Mancinellus,etiam hic punctus reperitur.Verba Mancinelli ſunt,Punctus genere maſculino apud Pliniũ legitur. Is enim lib.2.cap.70,ita ſcribit,Hæ tot portiones terræ,imò verò,vt plures tradidere,mundi punctus.neque enim eſt aliud terra vniuerſa. hæc eſt materia gloriæ noſtræ. hæc ſedes. hîc honores gerimus,hîc exercemus imperia,hîc opes cupimus,&c.Nonius Marcellus in primis vocibus,Stigmatias veteres punctos in notis dici voluerunt.

Mancinellus.

In eoſdem de Fundus, Ager, Villa, Prædium. CAP. XLI.

FVndus Vlpianus ita finit, Locus eſt, non fundus, ſed portio fundi aliqua.Fundus autem aliquid integrum eſt. Et plerũque fundum ſine villa accipimus.Idem alibi,Ager eſt locus qui ſine villa eſt.Modeſtinus verò ſic,Quæſtio eſt,Fundus à poſſeſſione,vel agro,vel prædio,quid diſtet. Fundus,eſt omne quicquid ſolo cõtinetur. Ager,eſt ſpecies fundi,quæ ad vſum hominis * paratur.Poſſeſſio ab agro iuris proprietate diſtat.Quicquid enim apprehendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere,hoc poſſeſſionem appellamus. Poſſeſſio ergo,vſus: ager,proprietas loci eſt: prædium,vtriuſque ſuprà ſcriptæ generale nomen eſt.Nam & ager & poſſeſſio, huius appellationis ſpecies ſunt. Florentinus,Fundi appellatione omne ædificium,& omnis ager continetur.Sed in vſu,vrbana ædificia, AEdes: ruſtica,Villæ dicũtur.Locus verò ſine ædificio in vrbe,Area, in rure autem,Ager appellatur.Idémque ager cum ædificio,Fũdus dicitur . Ecce diuerſæ iuriſconſultorum ſententiæ quum in aliis,tum in hoc,quod Vlpianus ait, plerunque fundum eſſe ſine villa,id eſt ſine ædificio:Florentinus autem agrum cum ædificio eſſe fundum. Modeſtinus obſcure exponit,agrúmque diffiniens cum neutro aliorum cõcordat : ſed ridicule à poſſeſſione diſtinguit,ne dicam imperite, loquens de poſſeſſione, quando ſignificat qualitatem,non quando ſignificat ſubſtantiam:perinde ac ſi quis dicat de virtutibus ac vitiis loquens, Prauum & malum ſic differunt:Prauum eſt id,quod non recta ratione & via fit. Praua enim appellãtur quæ non ſunt recta,vt lignũ prauũ.Malum ve-

*comparatur

Poſſeſſio.

Area.

Prauum.

Malum.

rò genus pomi eſt. Quid hoc foret dictu ineptius, vbi de qualitatibus & actionibus agitur, digredi ad ſubſtantiam, quæ ad rem non pertineat? ita hic quum de fundo, de agro, de prædio, de poſſeſſione diſputat: non de ea ſignificatione poſſeſſionis loquitur, qua proprietas intelligitur, ſed qua actio poſſidendi, ſiue qualitas. Quod ſi ita eſt, quid affinius habet poſſeſſio ad fundum, agrum, prædium: quàm ad nauem, equum, veſtem? Harum nanque rerum ita poſſeſſio eſt, vt illarum: ſed non de huiuſmodi poſſeſſione loquendum erat, quæ præſertim (vt ipſe ait) non eſt ſpecies prædii, vel fundi. Prædium enim fundúſve proprietas eſt, quorum vtrunlibet ſi generale nomen eſt ad poſſeſſionem, profecto non vſus, ſed proprietas dicenda Modeſtino poſſeſſio fuit. Sed quid facias? ipſe aliter poſſeſſionem diffinit. Quòd ſiquis dubitet an poſſeſſio proprietas ſit, accipiat præter ipſorum iuriſcõſultorum etiam Ciceronis & Quintiliani teſtimonia, quorum alter in Paradoxis ita ſcribit, Etenim ſi iſti callidi æſtimatores prata & areas magni æſtimant, quòd ei generi poſſeſſionum minime noceri poteſt. Non de vſu videlicet locutus eſt Cicero, cui certe noceri poteſt, ſed de proprietate. Alter in ſexto de Oratoria inſtitutione, Patris eius dialogos dedit legẽdos, quorum quũ in Priuernati vnus, alter in Albano, tertius in Tyburti ſermonem habitum complecteretur, requirebat vbi eſſent hæ poſſeſſiones. Omnes autem illas Brutus vendiderat. Nemo interrogat vbi eſt vſus prædiorum, ſed vbi eſt proprietas. Nemóque vſum vendit, ſed proprietatem aut vſufructum. De prædio autem Vlpianus ita ſcribit, Prædia vrbana omnia ædificia accipimus, non ſolum ea quæ ſunt in oppidis, ſed etiam ſi fortè ſtabula, vel alia meritoria in villis & in vicis, vel ſi prætoris voluptati tantum deſeruientia: quia vrbanum prædium non locus facit, ſed materia. Proinde hortos quoque (ſiqui ſunt in ædificiis conſtituti) dicendum eſt in vrbanorum appellatione contineri. Planè ſi plurimi horti in reditu ſunt, vinearii fortè, vel olitorii magis, hæc non ſunt vrbana. Etiam de prædio, ſicut de fundo iuriſconſultorum controuerſia eſt. Nec mirum, quum nemo non habeat ſuam de rebus quibuſque, verbíſque ſententiam. Sed de poſterioribus, qui ex operibus illorum excerpſerunt, miror quòd hæc indiſcuſſa reliquerunt. Id (vt ego quod ad me attinet faciam) ita ſentio, Agrũ continere fundum, non contineri à fundo: nihílque prohibet eum cum villa eſſe. Erant in agris ſenatores, & vixerunt multi nobiliſſimi philoſophi in agris, nimirũ nõ ſine villa & habitatione. Differtque ager ab aruo, quòd aruũ ſementi datur. Salluſtius,

Poſſeſſio.

Cap. 3.

Aruum. Quia Numidæ pabulo pecoris magis quàm aruo ſtudēt. Quintilianus, Pauper & diues in agro vicini erant, iunctis hortulis. Et mox, Sed ex omni parte diuitis circũiectus ager vix tenuem ad greſſus meos ſemitam dabat. Quid agimus inquã? vndique vallo diuitiarum clauſi ſumus. Hinc hortuli locupletis, hinc arua, inde vineta, hinc ſaltus. Fundus (vt dixi) minus quiddam eſt. Singula enim proprie prata, ſingulæ vineæ, ſinguli horti, ſingula oliueta, pomaria, ſalicta, arbuſta, paſcua, nemora, loca aucupatoria, venatoria, piſcatoria, ſiue villam, atque ædificium, ſiue piſcinam, atque aluearia, ſiue viuaria habeant, ſiue non habeant, ſinguli fundi ſunt, & hoc quidem in agro. In vrbe autem, ſiue oppido, ſiue vico, ſiue caſtello tãtũmodo prædium eſt, quicquid tale eſt, qualia hæc quæ enumeraui. Nãque eadẽ in agro etiam prædia ſunt. Fundus enim ſpecies prædii eſt. Itaque fundus eſt poſſeſſio ruſtica. Prædium, & ruſtica & vrbana duntaxat poſſeſſio, qualem deſcripſi. Nam videtur poſſeſſio etiam ſignificare tabernas, hoſpitia, horrea in vrbe. Cicero in Philippicis poſſeſſiones vocabat & vrbanas & ruſticas. Puta non tãtum prædia, ſed & cætera, quæ immobilia vulgo appellantur. Addamus ad hæc aliquid de fundum, quod an à fundo fundas, an potius fundo à fundum, ſiue à fundus veniat ambigi poteſt. Quidam fundus à funda dici volunt. Cicero in quodam ioculari libello,

Declam.13.

Fundus.

Prædium.

Fundum Varro vocat, quem poſſit mittere funda,
Ni lapis exciderit, qua caua funda patet.

Niſi hæc ſententia ſit, tam paruum illum fuiſſe fundum, vt funda prehendi, & in morem lapidis iaci poſſet. Fundum igitur eſt ima pars rei, proprie aliquid liquoris intra ſe cõtinens, aut ad cõtinendum facta, vt dolium, vt nauis, vt alueus, vel fluminis, vel lacus, vel ſtagni, vel maris. Nam fundum turris (vt quidam ſcripſerunt) ipſe non dicerem. Fundamentum (vt omnibus liquet) aliud eſt quàm fundum, & tamen fundare magis ad fundamentum, quàm ad fundum pertinet. Fundamus enim domum, non nauem, aut dolium, vt Virgilius,

Fundum.

Fundamẽtũ.
Fundare.

Ille vrbem Argyripam patriæ cognomine gentis,
Victor Gargani fundabat Iapygis aruis.

Nam fundamentare non reperitur. nec fundare quidem eſt ſanè frequens, niſi per trãſlationem. Quintilianus in Gladiatore, Hoc fundatam paternis, auitíſque opibus domum exhaurit. Eſt enim frequentius iacere fundamenta, etiam per trãſlationem. vt idem libro primo, Nam inde & contemptus operis innaſcitur, & fundamenta iaciuntur impudentiæ, & (quod eſt vbique pernicio-

ſiſſimum) præuenit vires fiducia. Et Cicero, In quo templo (quãtum in me fuit) ieci fundamenta pacis. Sine tranſlatione Suetonius de vita Caii, In arce Capitolina nouæ domus fundamenta iecit. Cæterum hoc differunt fundare, & fundamẽta iacere: quòd fundare, eſt validis fundamentis fulcire: Fundamẽta iacere, quaſi qualiacunque fundamenta facere, & quodãmodo dare rei principium. Neque verò ſicut reperitur, Fundus & fundum, ita reperitur Punctus & punctum. Errántque philoſophi, quum punctus & linea dicũt. Nam de punctum quod eſt breuiſſimum tempus, nulla lis eſt, vt Terentius in Phormione, Tum tẽporis mihi pũctum ad hãc rem eſt. Pro eo autem ſenſu, in quem vtuntur philoſophi, Cicero pro Plancio, Nam quòd queſtus es plures te teſtes habere de Volitinia, q̃ quot in ea tribu puncta tuleris. Quidã momentum pro eodem ſignificato accipiũt, cuius eſt punctum: tamen aliter eſt. Breue enim tempus ſignificatur per illud, per hoc verò breuiſſimum. Horatius,

Iacere fundamenta.
Punctus.
Punctum.
Momentum.

-quid enim? concurritur horæ Momento.

EPITOME.

Hæc noualis (quia ſubauditur terra) aut hoc nouale (quia ſubauditur aruum, aut abſolute in neutro genere) eſt ager qui intermittitur, & ceſſat interpoſitis annis. ſeritur enim alternis, non continuis annis. ab innouãdo dictus. aut aruum nouũ quod iam primum proſciſſum eſt, eruta atque eradicata quæ inerat ſylua.

In eoſdem de Noualis. CAP. XLII.

NOualis (inquit Paulus) eſt terra proſciſſa, quæ anno ceſſat: * quæ à Græcis ὁ καὶ ἡ νεὸς καὶ ὃ νέωμα vocatur. In quo authoritatem Varronis ſecutus videtur, dicentis, Ager reſtibilis, qui reſtituitur, ac reſeritur quotannis. Contrà qui intermittitur, à nouando noualis ager. Et Plinii, qui ait, Nouale eſt, quod alternis annis ſeritur. Idem quoque ſentire videtur Feſtus Pompeius, qui dicit, Noualis ager, nouæ relictus ſementi. Sunt qui volunt noualem eſſe aruum, tunc primũ ad ſementem proſciſſum, quorum eſt Seruius, qui inquit, Dicimus & has nouales, & hæc noualia. Propriè nouales tunc primum arua proſciſſa. Quod ita ſenſiſſe Virgilium palàm eſt in illo verſu,

*quã Græci νέατον vocãt.
Ager reſtibilis.

Impius hæc tam culta noualia miles habebit?

Ineptum erat deplorare agrum à barbaris poſſideri, quòd non eſſet reſtibilis, ſed quòd anno interquieuiſſet. Deplorabat igitur agrum, in quo inſtruẽdo magnopere laboraſſet, & nouitate ipſa præter cæteros huberiorem, datum iri in manus alienas, & barbaras, & impias. Quod etiam & ſentit, & declarat in milite Mariano Quintilianus, Mox ingentibus lacertis humum fodere, ſegnem futuris noualibus eruere ſyluam. Hieronymus etiã diffi-

nit in hunc ſenſum,dicens, Nouale,eſt ager nunc primum proſciſſus.Sed Virgilius in ſenſum priorem accipit,quum inquit,
Alternis idem tonſas ceſſare nouales:
Et ſegnem patiere ſcitu dureſcere campum.
Ideóque Seruius alibi ait,Noualia,id eſt noua terra,quæ per ſingulos annos renouatur per ſemina.

EPITOME.

Liber & volumen,interdum accipiũtur pro quouis magno codice,etiam ſi multos partiales libros continet,interdum pro ipſis partialibus libris.potéſtque volumen adhuc minus cenſeri quàm liber: cum liber in volumina diuiſus legatur : Libellus diminutiuũ eſt. ſed interdum peculiariter ſignificat aut infamiæ, aut repudii, aut accuſationis inſtrumentum. Dictum eſt volumen à voluendo,ſicut liber à libro,id eſt interiore cortice quarundam arborum in quo veteres ſcriptitabãt.Et codex,idem eſt quod caudex,id eſt truncus,in quo libri,id eſt cortices multi ſunt,ſicut in magno opere multi libelli.Codicem pro caudice ſeu trunco accepit Iuuenalis dicens,Reſidens in codice pellex.

In eoſdem de Liber & Volumen. CAP. XLIII.

SIcui,Vlpianus inquit, centum libri ſunt legati, centum volumina ei dabimus, nõ centum quæ quis ingenio ſuo metitus ſit, quæ ad libri ſcripturam ſufficerent, vtputa quum haberet Homerum totum in vno volumine, non quadraginta octo libros cõputabimus, ſed hoc vnum Homeri volumen pro libro accipiẽdum eſt.Vlpianus Homeri opus nunc vnum librũ, nunc quadragintaocto libros nominat. Nec tamen ait librum duo ſignificare, ipſum opus,& certam operis partem . Præterea opus ſiue opera Homeri librum appellat, & volumen, quorum vtrunque inauditum eſt. Virgilii AEneis, non liber eſt,ſed duodecim libri. Georgica,nõ ſunt item liber,ſed libri quatuor. Bucolica,vnus liber eſt,idémque vnum volumen. Georgica, quatuor volumina.AEneis,duodecim.Ouidius,
Sunt mihi mutatæ ter quinque volumina formæ.
Sed quid exemplis agimus, quum nuſquã plura afferri poſſint? At Vlpianus putat etiã ſi omnia opera Didymi, quo nemo plura ſcripſit,in vnum codicem conglutinarentur,vnum tantũ debere volumẽ appellari,quod nemo nec poſſet euoluere, nec ferre vellet. Eſt enim volumen vel à volo, quòd in libris voluntas apparet,vel (quod magis ſequerer) à voluo,quòd voluitur,quales libros hodie Hebræi quoſdam habent, qualéſque in veteri & nouo teſtamento lectitamus fuiſſe. Et Romani, qui in libris arborum,id eſt corticibus ſcribebant,quòd libellos illos,quò ferrent commodius,complicabant,volumina fortè appellauerunt. Itaque volumina libellis ſimiliora fuere,quàm libris. Quod ex

eo quoque loco apparet,vbi Plinius de libris auunculi loquens, ait,Libri tres in ſex volumina propter amplitudinem diuiſi.quaſi dicat in ſex minores libros,vt ſint volumina aliquanto minora, quàm libri.Quod etymologia quoque nonnihil probat,vt oſtẽdi. Vnde adhuc durat verbum euoluere libros, pro eo quod eſt aperire libros, lectitandi gratia, quaſi rem complicitam explicare: quemadmodũ reuelare,eſt rem velatam detegere.Niſi dicamus euolui libros propter numerum paginarum.Accipitur autem nũc euoluere libros,ſiue authores,pro eo quod eſt lectitare. Euoluere libros.
* Nec inficias eo libros accipi pro codicibus : & in ſingulari librum pro * quolibet magno codice,etiam ſi is contineat Iliada & Odyſſeam.vt,Tenet rex manu librum: & is ſit Homerus:non tamen recte dicas,Tenet librum Homeri * *quamlibet.

EPITOME.

Probrum,id eſt dedecus.Dedecus autem,eſt crimen & ignominia atque infamia. Opprobrium verò exprobratio atque conuitium,quaſi ob probrum factũ.eſt quoque id facto & verbo.Reperitur autem probrum aliquando pro opprobrio:ſed rarius.A probro,venit exprobro:quod eſt qualencunque culpam impropero,aut ingratitudinem.vnde addi ſolet id quod exprobratur. Imputare autem,eſt frequẽter citra reprehenſionem,ſed vix Ciceroni notum verbum, poſteriorib⁹ notiſſimum: eſtque interdum idem quod computare,pro quo etiam reputo reperitur.

In eoſdem de Probrum & Opprobrium, Exprobrare & Imputare. CAP. XLIIII.

PRobrum & Opprobrium, Vlpianus inquit, idem eſt. Probra quædam natura turpia ſunt, quædam ciuiliter, & quaſi more ciuitatis:vtputa furtum,adulterium,natura turpe eſt. Enimuero tutelæ damnari, hoc non natura probrum eſt, ſed more ciuitatis. Nec enim natura probrũ eſt, quod poteſt etiam in hominem idoneum incurrere.Vlpianus probrum accipit pro infamia tantum, qualis eſt ex furto, vel malè geſta tutela, non pro flagitio , quod principale ſignificatum eſt . Nam probrum idem eſt quod dedecus : quod duo ſignificat . Vnum, quod eſt crimen.vt Quintilianus ſtatim in principio declamationis in milite Mariano inquit, Satis dedecoris, atquè flagitii caſtra ceperunt . Alterum, quod eſt ignominia , atque infamia, quod notum eſt.Similiter accipitur probrum pro crimine. vt Idem libro primo , Iam ſi minor in eligendis cuſtodum & præceptorum moribus fuit cura,pudet dicere in quæ probra nefandi homines iſto cædendi iure abutantur . Pro ignominia,Liuius libro quinto, His freti occurſant portis, ingerunt probra, ægre abſtinent quin caſtra oppugnent. Quæ duo nomina tanquam ſimilia eodẽ loco Cicero coniũxit in Catone Maiore,Mihi verò,& Flacco Dedecus.

neutiquam probari potuit tam flagitiosa, & tam perdita libido, quæ cum probro priuato coniūgeret imperii dedecus. Præterea ne simile quidem est sanè probrum opprobrio. Non enim Latine dixisset Cicero, Quæ cum opprobrio priuato cōiungeret imperii dedecus. quemadmodum in Sallustium dixit, Itaque timēs ne facinora eius clam vobis essent, quum omnibus matribusfamiliâs vestris opprobrio esset, cōfessus est vobis audiētibus adulterium. Est autem opprobrium aliquando facto, sed frequētius verbo. Nam Sallustius (vt vult Cicero) vel ex eo quòd fœminis quibuscū habuisse vsum se, erat notum, vel quòd ipse illis vulgo impudicitiam obiiciebat, opprobrio erat. Horatius,

Sic teneros animos aliena opprobria sæpe
Absterrent vitiis. Quintilianus,

In Odii potione. Modo maledictis, opprobriísque vulgi, modo crebra riualiū cōtentione pulsatus, abigi tamen compescíque non posset. Opprobriis dixit, quasi exprobrationibus atque cōuitiis. Et alibi, Solebat indignatio vestra, cōuitia nostra ferre nō posse. Et matronalis indignatio dicere videbatur, Nō parcis erga me marite verbis. Nullam habet nostri tuus sermo reuerentiam, facile prorūpis in opprobria, facile quodlibet obiicis. Pro eodem ferè posuit opprobria & conuitia. Nec inficias eo, nonnunquam hoc modo accipi probrum, vt Liuii proximum exemplum, & Ciceronis ad Atticum, Epistolas mihi legerunt plenas omnium in me proborum. Sed de hoc significato Vlpianus nō intellexit. A probro

Exprobro. vnum verbum cōponitur, quod est exprobro, quod significat tum qualencūque culpam impropero, vt apud Ouidium libro decimotertio Metamorphoseos,

Sic bene Tydides, qui nomine sæpe vocatum
Corripuit, trepidóque fugam exprobrauit amico.

Tum ingratitudinis, vt Terētius in Andria, Nam istæc commemoratio, Quasi exprobratio est immemoris beneficii. Sed pro hoc significato frequēter nos vitii alieni nomen apponimus: frequenter etiam nomen nostri meriti. Cicero de Amicitia, Quorum plerique aut queruntur semper aliquid, aut etiā exprobrāt, eóque magis, si habere se putant, quod officiose, & amice, & cum labore aliquo suo factum queāt dicere. Odiosum sanè genus hominum officia exprobrantium. Exprobrare ergo beneficia sua,

mputare. est immemorē beneficii accepti inculpare. Imputare verò frequenter ad significationem exprobrantis accedit: sed citra reprehēsionem: quod an apud Ciceronem sit, nescio. In posterioribus

n Paric. pal. verò creberrimū est, vt Quintilianus, Neque ego grauissimum

patrem ſuprema ſua iuueni iactaſſe crediderim, vt hæredem filiũ ſcriberet. non eſt res quæ imputetur. Et alibi, Imputa nobis propitios ventos, & ſecundum mare, ac ciuitatis opulentæ liberalitatem, quæ tantum frumenti vendidit, quantum duobus populis ſatis eſſet. Imputare nonnunquam pro computare reperitur. vt Caius, Qua ratione placuit legata quum legatarii non capiunt, quum apud hæredem ſubſederint, hæreditario iure apud eos remanere intelligi, & omni quadranti imputãda. Marcus, In quarta hæreditatis, quam per legem Falcidiam hæres habere deberet, imputantur res, quas iure hæreditario capit, non quas iure legati, aut fidei commiſſi, vel implendæ cõditionis cauſa accepit. Nã hæc in quarta non computantur: ſed in fideicommiſſaria hæreditate reſtituenda, ſiue legatum datum ſit hæredi, ſiue percipere, ſiue deducere, vel retinere paſſus eſt, ei imputãtur. Reputare quoque, in idẽ ſignificatum. Vlpianus, Præterea ſi matrem aluit pupilli tutor, putat Labeo imputare eum poſſe, ſed eſt verius non niſi per quem egenti dedit, imputare eum oportere. Deinde, Sed etſi ſeruis cibaria præſtiterit, vel libertis, ſcilicet rei pupilli neceſſariis, dicendum eſt reputaturum. Idémque eſt ſi liberis hominibus, ſi tamen ratio præſtandi iuſta intercedat. Item ſumptus litis tutor reputabit, & viatica, ſi ex officio neceſſe habuit aliquò exire, vel proficiſci. Reputare.

EPITOME.

Adulterium, proprie in nupta committitur. Stuprum, in virgine, viduáve, aut etiam nupta. eſt enim coitus lege vetitus, qui duplex eſt. vnus, cum nupta, aut puero, aut cum ſanguine coniunctis, aut cum ſanctimonialibus, quæ duo poſteriora potius inceſtum vocamus. alter cum vim afferimus cuilibet perſonæ, etiam ancillæ. Vnde ſtuprare, per vim corrumpere. ſtupratórque maſculorum, eorum violentus corruptor & ſubactor. pædico autem, pathicorum volentium ſubigi. Adulterium dicitur, quaſi ad alterius thorum factum. Inceſtus, ſecũdum Seruium, ab in & ceſto, id eſt vinculo Veneris, quo legitime nubentes vincit, aut à non caſto: quia ſit cõtra caſtitatem & legem penitus.

In eoſdem de Stuprum & Adulterium. CAP. XLV.

INter Stuprum & Adulteriũ, Modeſtinus ait, hoc intereſſe quidam putãt, quòd adulterium in nuptam, ſtuprum in viduam committitur. Sed lex Iulia de adulteriis indifferenter hoc verbo vtitur. Et hoc quidem continetur in libro de rerum & verborum ſignificatione. Alibi autem idem ait, Stuprum cõmittit, qui liberam mulierem * cupidinis cauſa, nõ matrimonii, *cõſuetudinis * continet: excepta videlicet concubina. *retinet Adulteriũ in nupta, ſtuprum in virgine, vel vidua, vel puero cõmittitur. Quid mirum ſi plures iuriſcõſulti in diffiniendo inuicem diſſentiant, quũ vnus, atque idem ſecum diſſentiat? Hic non videtur ſentire cum lege

Iulia. Sed culpa illorum eſt,qui definitiones huiuſmodi deſcripſerunt:quæ ſi apte fuiſſent conglutinatæ,probari poſſent,vt illa Papiniani dicentis,Lex Iulia ſtuprum & adulterium promiſcuè καὶ συμμικτῶς appellat. Sed propriè adulteriū in nuptam cōmittitur,propter partū ex altero cōceptum, cōpoſito nomine. Stuprū verò,in virginem,viduámve cōmittitur,quod Græci * διαχόρδευσιν appellāt.Cuius definitionē approbo,illud tamen addēs, Legem Iuliam rectè hæc duo promiſcuè appellaſſe: non quòd omne ſtuprum ſit adulterium, ſed quòd omne adulteriū ſit ſtuprum. Neque rectè iuriſconſulti excipiūt ſtuprum à nupta,quū etiam in quotidiano ſermone ſic loquamur. Quale eſt apud Quintilianū,Vxor marito dixit appellatam ſe de ſtupro à priuigno,& ſibi conſtitutum tēpus & locum. Et alibi,Furtiua ſtupra, raptóſque cōcubitus obiicit vel ex falſo maritus. Fas eſt,fieri ſolet. Parcius tamen ſi iam ſit & mater,ſi in fidem caſtitatis vxoria fœcunditate profecerit. Quare ego ita ſentio,ſtuprum eſſe coitū lege vetitum:qui duplex eſt. Vnus cum nupta,aut cū puero,aut cum ſanguine coniunctis,aut ſanctimonialibus. Quanquā hæc duo poſteriora potius appellamus inceſtum. Alter,quum vim afferimus cuilibet perſonæ,etiā ancillæ. Vnde ſtuprare dupliciter accipitur.cuius poſterioris ſenſus teſtimonio eſt lex,quæ ſtupratoribus maſculorum pœnam ſtatuit decem millium, quū pædiconibus nulla eſſet pœna conſtituta.

* διαφθορὰν vel φθορὰν, id eſt corruptionē virginis.

Lib.4.cap.2.

In Infami in matrem.1.

Inceſtus.

Stuprare.

EPITOME.

Stragula, veſtis eſt quæ operit, præcipue lectos, id eſt opertorium lectorū. Quicquid enim inſternebant, ſtragulum priſci vocitabant. Vnde & operimentū equorum, ſtragulum & inſtratum vocari poteſt. vbi adnotandum inuerti aliquádo verba, quia ſternimus veſtes humi, & humum veſtibus. Culcitra autem, tam lanea, ſtupea, & ſiquid eſt huiuſmodi, quàm plumea eſt.

In eoſdem de Inſtratum & Stragula. CAP. XLVI.

I* Nſtratum (Vlpianus inquit) omne veſtimentum contineri, * quo amicimur, Labeo ait. Neque enim dubium quin ſtragula veſtis ſit, omne pallium. Videtur Vlpianus intelligere ſtragulam veſtem eſſe veſtimentum hominis quo amicitur,quale eſt Græcorum pallium. vt enim Romani togati à toga,ſic Græci palliati à pallio vocantur. Ego verò non memini reperiſſe me ſtragulam veſtem in hunc ſenſum, ſed in opertorium lectorū potius,vbi & dormiebant & diſcumbebant. Quod Varro teſtatur de culcitra loquens,Hac quicquid inſternebant,à ſternendo ſtragulum appellabant. Et equorum ſimiliúmque, quorum operimentum etiam Inſtratum vocatur. Hîc illud admonebo,inuerti frequenter ſignificatū verbi,vt in hoc ipſo ver-

*Inſtrato

*quod iniicitur

Toga.

Pallium.

Inſtratum.

bo Sterno. Sternimus quidem vestes humi, ramos arborum, flores, & multa huiusmodi. Tamen frequentius dicimus sterno humũ floribus, ramis, vestibus. Hinc est quare dicimus thoros, lectósque sternere, & equũ sternere, nõ quia sint diuersi sensus, sed quia resoluũtur, vt sit sternere verbi gratia, lectos & equos tapetis, idem quod sternere tapeta lectis & equis. Culcitra autem, est tam lanea, stupea, & siquid est huiusmodi, quàm plumea. Sterno. Culcitra.

EPITOME.

Verberare, est percutere aut cædere verbere, quod est instrumentũ longũ & exile, qualis est virga, baculus, fustis, lora, flagellum, ferula, arundo, &c. Sicut flagellare, est cædere flagello: Fustigare, fuste. Pulsare autẽ, est frequenter impellere aut percutere quauis re, vt pede, manu, lapide, cestibus. nec leuior fit iniuria, pulsando sæpe, quàm verberando. vnde inanis est Vlpiani descriptio, & horum distinctio.

In eosdem de Pulsatio & Verberatio. CAP. XLVII.

INter pulsationem & verberationem, Vlpianus ait hoc interesse, vt Offilius scribit, Verberare, est cum dolore cædere: Pulsare, sine dolore. Sed cum vtriusque venia, non est eiusmodi inter hæc verba differentia. An quum verberamus frumẽta, cum dolore verberamus? aut pulsamus potius, quàm verberamus? Et iumentum quum sentit ex flagellis dolorem, verberatur? quum non sentit, pulsatur? An Entellus ille Virgilianus, sine dolore pulsabat Dareta? Sed (ne multis) quis non videt verberare, esse verbere cædere, quod est instrumentum longum & exile, qualis est virga, baculus, fustis, lora, flagellum, ferula, arũdo, & siquid est simile? Nec aliter dictũ est verberare à verbere, quàm flagellare à flagello, fustigare à fuste. Nam verbera licet pro verberatione accipiantur, tamen rem corpoream proprie significant, vt flagella, quæ sunt proprie summitates sarmentorum. Quintilianus, Ignes ex proximo raptos, verberáque quæ casus obtulerat. Pulsare verò, est graui ac vehemẽti ictu cædere, nec tam instrumento longo & exili, quàm breui ac rotundo, vt pugnis, vt calcibus, vt malleis, vt saxis, quæ manu tenentur, quũ alium percutimus in similitudinem tympanorum, quæ manu pulsantur: nec semel, sed multis ictibus percutere. Nãq; non proprie pulsatũ aliquẽ dixeris, qui semel pugno percussus est. Adeò nõ minor iniuria fit ex pulsatione, quàm ex verberatione, præter eam causam, quã modo dixi, quòd verberatio est multa percussio, quódque plerũq; pulsatio fit in facie. Et ob pulsatos eorũ legatos Laurentes Tatium regẽ occiderunt, qui nõ punisset propinquos suos, qui Laurentibus hanc iniuriam fecerãt. Et ipsa incussio calcium cõtumeliosissima est, sæpe etiã mortifera, vtique si fiat in ægrum, in senem, in puerũ, in prægnantẽ. Taceo si alia Verber. Verbera. Flagella.

re quis alterum pulsauerit,quàm manu,aut pede: quum vicinus meus vxorem solitus sit non modo pistillo, verumetiam mortario æreo pulsare,vt nõ crebrius pulset ipsum mortarium. Dictum est autem à pello, quod est percutio & ferio. vt apud M. Tullium libro primo de Diuinatione,Vt pelluntur animi vehementius,sæpe etiam cura & timore.Et in secundo,Num igitur, quum aut muros Babylonis,aut Homeri faciem cogito,imago illorum me aliqua pellit?

Pello.

EPITOME.

Pellex,ea est dicenda quæ cum eo,cui vxor est,corpus miscet.ideóque non vir, sed vxor pellicem proprie habet.nec ea quæ cum cælibe corpus commiscet,pellex, sed pallace dici solet.Videtur author pellicem,quasi à pellendo dictam, Latine interpretari:aliis nonnullis à pelliciendo,id est valde alliciendo dictam,definientibus. Gellius autem à Græco deducit.

In eosdem de Pellex & Pallace. CAP. XLVIII.

PEllicem apud antiquos Massurius Paulo testãte scribit libro Memorabiliũ,eã habitã,quæ quũ vxor non esset,cũ aliquo tamen viuebat,quã nunc vero nomine amicã,paulo honestiore concubinam appellari.C.Flaccus in libro de iure * Papiniano scribit,Pellicem nũc vulgo vocari,quæ cũ eo,cui vxor sit, corpus misceat.Secundũ quosdã eã,quæ vxoris loco sine nuptiis in domo sit,quã Græci παλλακὴν vocant.Horũ vtrũque vere sensisse & dixisse arbitror. Sed tamen pro suscepti operis officio admonere debeo, pellicẽ apud oratores & poetas eã demũ haberi, quæ cum eo,cui vxor est, corpus miscet . Ideóque Iuno semper prosequitur pellices,quæ sibi vxori Iouem præriperẽt.Vnde Plinius lib. 35, verbo Græco maluit vti (quũ de Alexandro loqueretur,quẽ constat eo tẽpore cælibem fuisse, quũ Apellem scorto donauit) quàm veteri (si verum est)Latino:pallace potius,quàm pellice.Ita autẽ ait,Nãque quũ dilectam sibi ex pallacis suis præcipuã nomine Campaspen nudã pingi ob admirationẽ formæ ab Apelle iussisset.Quo fit vt Curtium vbi de eodẽ Alexandro & aliis loquitur, cæterósq; scriptores opiner pallacen potius quàm pellicem pro concubina cælibis hominis dixisse,culpáque librariorũ in editionibus esse vitiatũ.Suetonius deVespasiano loquẽs, pallacarum dixit nõ pellicum. & alibi quoque. & Titus Liuius, multique alii Græco nomine vtũtur. Sin aliter inuenitur,librariorum (vt dixi)vitio dandũ est.Cuius rei hoc argumentum est, quòd nõ recte quis dicitur habere pellicem, sed vxor. Et est nomen relatiuũ ad alterius vxorem,cuius cum viro rem habet,nõ autem ad masculum.nec recte dicturos fuisse reor oratores illos, qui pallacen dixerunt,si pellicem dixissent,vt patet.

*Papyriano

Cap. 10.

EPITOME.

Cauillatio,est subdola ratio,quam nos conscii nobis, mendacii vincendi causa proferimus,vt à iurisconsultis,& Quintiliano,eiúsque æqualibus accipi solet. Cicero autem pro genere quodam facetiarum,vt eum imitatus A. Gellius,accepit.Titus verò Liuius,vtroque modo. Cicero facetiarum duas ponit species: cauillationem, quæ est æqualiter in omni sermone salsa:& dicacitatem,quæ est peracuta & breuis. Calumniari autem,quod nonnulli non recte pro cauillari accipiunt, est falsa crimina intendere. vtrunque tamen, est quasi per fraudem & dolos vincendi gratia alterum litibus vexare.

In eosdem de Cauillatio. CAP. XLIX.

NAtura cauillationis, quã Græci * σχῶμμα appellauerunt, hæc est, vt ab euidenter veris per breuissimas mutationes disputatio, ad ea quæ euidenter falsa sunt, perducatur. Hæc duobus in locis Vlpianus.Caius autem inquit,Si calumnietur,& moretur & frustretur. Inde calumniatores appellati sunt, qui per fraudem,& frustrationem alios vexarent litibus. Inde & cauillatio dicta est. Caius nullam fecit mentionem de euidenter veris aut euidenter falsis,nec de breuitate. Nec puto faciendam fuisse,quum plerunque cauillatio sit tecta & insidiosa,multísque ac longis frequenter ambagibus vtens, & quæ vix ab acutis deprehendatur. Quare cauillatio est subdola ratio,quam nos conscii nobis mendacii, vincendi tamen causa proferimus. In hunc sensum semper iurisconsulti vsi sunt,& Quintiliani ferè seculũ. Cicero autem pro genere quodam facetiarum,& hunc imitatus Aulus Gellius,Titus Liuius vtroque modo.Ipse quoque Cicero diffinit libro secundo de Oratore dicens,Etenim quum duo sint genera facetiarum,alterum æqualiter in omni sermone salsum, alterum peracutum & breue: superior cauillatio,altera dicacitas nominata est.Cæterũ Caius videtur sentire,idem esse calumniari & cauillari. Quod non sentit Martianus, tantum accusatori tribuens calumniari,quum ait,Calumniari esse falsa crimina intẽdere : quod per legem illam declaratur duodecim tabularum, Calumniator idem patiatur,quod reus,si conuictus esset.

*σόφισμα

Calũniatores.

Dicacitas.

Calumniari.

EPITOME.

Præuaricari,est à præscripto officii sui deflectere atque aberrare, aut perfidia & malitia,aut imprudentia & negligentia.quod qui facit,præuaricator dicitur,non solum actor,sed etiam reus. Deductum autem videtur à præ,& varico,quod est quasi propter varices nõ posse cõsistere,sed genua flectere & claudicare. Varicosus enim dicitur, qui crebras habet varices,id est venas obtortas stando contractas.hinc Satyricus,Varicosus fiet haruspex. Tergiuersari, est versis tergis adhuc pugnare, nec se victum rationibus velle agnoscere,tametsi reuera victus sit, & se victum sciat. Calumnia autem, est cauillatio iam descripta, & quæ fit ex nimis callida iuris interpretatione.

In eosdem de Præuaricator, Tergiuersator, & Calumniator. CAP. I.

PRæuaricatores, Vlpianus inquit, eos appellamus, qui causam aduersariis suis donant, & ex parte actoris, in partem rei * cedunt. A varicando enim præuaricatores dicti sunt. Idẽ alibi, Præuaricator autem est, quasi varicator, qui diuersam partem adiuuat, prodita causa sua. Quod nomen Labeo à * varia certatione tractum ait. Nam qui præuaricatur, ex vtraque parte consistit. In prima diffinitione videtur sentire, præuaricationem in solum actorem cadere: in secunda verò, etiam in reum. Sed forsitã & hic de solo actore sensit. cui assentiri videtur * Martianus, qui ait, Accusatorum temeritas tribus modis detegitur, & tribus pœnis subiicitur. Aut enim calumniantur, aut præuaricãtur, aut tergiuersantur. Calumniari, est falsa crimina intendere. Præuaricari, est vera crimina abscondere. Tergiuersari, in vniuersum ab accusatione desistere. Et pòst iterum, Præuaricatorem eum esse ostendimus, qui colludit cũ reo, & * translatiue munere accusandi defungitur, eo quòd proprias quidem probationes dissimularet, falsas verò excusationes admitteret. Quod nos quidem verum fatemur esse, legémque antiquitus de præuaricatorum pœna fuisse, vt Cicero Philippicarum libro secũdo, Vereor patresconscripti, ne (quod turpissimum est) præuaricatorem mihi opposuisse videar. Cæterum (vt prætercam, quod Cicero idem in partitionibus ait, Præuaricationem diffiniri nunc ab accusatore, nunc à reo corruptelam esse iudicii) reperio nonnunquam præuaricatorem ex parte rei quoque, neque perfidia tantum ac malitia: sed imprudentia etiam, & negligentia peccantem. Quintilianus in septimo, Vt in præuaricationum criminibus, vt absoluatur reus, aut innocentia ipsius fit, aut interueniente aliqua potestate, aut vi, aut corrupto iudicio, aut difficultate probationis, aut præuaricatione. Nocẽtem fuisse confiteris, nulla potestas obstitit, nulla vis, corruptum iudicium non quereris, nulla probãdi difficultas fuit. Quid superest, nisi vt præuaricatio fuerit? Hîc pro perfidia accusatoris accipit, alibi verò aliter. Sed de vna controuersia loqui superuacuum est. Ego in vniuersum neque oratoris puto esse vnquam præuaricari: neq; litem intelligo, in qua pars vtraque idem velit. Ideóque præuaricatorem appellamus, quicunque à præscripto officii sui deflexerit, atque aberrauerit. Plinius lib. decimonono, Arator nisi incuruus, præuaricator. Plinius Iunior ad Cor. Tacitum, Alioqui præuaricatio est transire dicẽda. Præuaricatio est etiam breuiter, & cursim attingere, quæ

*concedunt.
*varicatione
*Marcellus
Calumniari.
Præuaricari.
Tergiuersari.
*trãslatitie
Gap.2.
Lib.9.cap.2.

ſunt inculcanda, infigenda, repetenda. Et Adam præuaricatum fuiſſe dicimus. Tergiuerſari verò non eſt (quantum ego intelligo) ab accuſatione deſiſtere. Illi videntur ex hoc trahere ſignificationem, quòd qui terga vertunt, à pugna deſiſtunt. Veruntamen non protinus qui terga vertunt, à pugna deſiſtũt, vt Parthi. Itaque qui vertentes terga, adhuc tamen pugnant, nec rationibus volũt ſe victos agnoſcere, tergiuerſantur. Cicero de Officiis libro tertio, Atque in his tamen tribus generibus quoquo modo poſſunt, non incallide tergiuerſantur. Prudentiã introducũt, ſcientiam ſuppeditantem voluptates, depellentem dolores. Fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, quum tradunt rationem negligendæ mortis, perpetiendíque doloris. Etiam temperantiam inducunt, nõ facillime illi quidem, ſed tamen quoquo modo poſſunt. Dicũt enim voluptatis magnitudine doloris detractionem fieri. Nunquid qui hoc dicunt, aut deſiſtũt ab accuſatione, aut accuſaſſe ſe indicant? Idem pro Roſcio Comœdo, Attende quæſo Piſo, Fannium inuitum, & huc atque illuc tergiuerſantem, teſtimonium cõtra ſe dicere cogo. Erat autem Fannius accuſator, quem, ſi omnino ab accuſatione deſiſteret, non inſequeretur iure patrocinii Cicero: ſed victum, nolle tamẽ dare manus, obiurgat. Liuius libro ſecundo ab vrbe condita, Mouebant hæc conſulem, ſed tergiuerſari res cogebat. id eſt nõ agnoſcere veritatẽ: & eam quibuſcunque rationibus poterat diſſimulare, & quaſi ſubterfugere. Tertium autẽ verbũ ab eodẽ * Martiano diffinitũ (de calumnia loquor) meretur & ipſum aliquam emendationem, quod non modo apud Ciceronem pro cauillatione accipitur, non illa quidem mouente riſum, ſed ea qua Cicero ipſe non vtitur. vt de Officiis libro primo, Exiſtũt etiã ſæpe iniuriæ calumnia quadã, & nimis callida & malitioſa iuris interpretatione. Ex quo illud, Summum ius ſumma iniuria. ſed etiam apud Quintilianum nonnunquam: vt ibi, Quanuis exiguo diuiſus ſpatio impune opem nõ feret, nõ ſuccurret, vt hac ſaltem ſe calumnia defendat: non abii, non reliqui, non abſceſſi, neque pede (vt aiunt) vno à parente diſceſſi. Alióſque complures, quorum & Caius eſt, vſu quoque probante, per quem vtraque pars iurat de calumnia vitanda. Nimirum de cauillatione, eò magis quòd calumniari pro cauillari dicimus: quæ vox quatuor primas literas habebat eaſdẽ cum calumniari. Poſtremo probatur hoc ex illo Digeſtorum loco, cuius titulus eſt, Si mulier ventris nomine calumniæ cauſa in poſſeſſione fuiſſe dicatur. Calumnia ſcilicet, ibi intelligitur dolus malus.

*Marcello
Calumnia.
Cauillari.

EPITOME.

Ferimus proprie corpore nostro. Portamus,& nostro corpore,& iumẽtis nostris. Agimus animalia portãtia,id est impellimus. sed agere, multa significat. Agere enim causas, est cõtendere in iudicio. vnde actor & reus dicti. Agere res,id est lites aut negotia sua. Agere mulas,id est eas impellere,vt faciũt mandræ,& muliones qui mercimonia transportãt. Agere autem animã,est eam expirare, & vi quadã expellere.

In eosdem de Ferri, Portari, Agi. CAP. LI.

FErri proprie dicimus, Caius inquit,quæ quis corpore suo baiulat. Portari ea,quæ quis iumento secum ducit. Agi ea,quæ animalia sunt. In hoc ipse Caio assentior, nisi quòd portare est suo etiam corpore,interdum etiam magis quàm ferre. Quis enim neget iumenta portare? quæ quum homines imitantur,& ipsi portare dicuntur. Terentius in Andria, Mi homo, quid istuc obsecro? quò puerum portas? Horatius,

-ne fortè sub ala
Fasciculum portes librorum,vt rusticus agnum.

Deporto. Et ab hoc composita, vt Deportauit Verres amicam de prouincia, deportauit Pompeius beneficio Ciceronis tertiũ triumphũ. Reporto. Multi imperatores victorem exercitum reportauerunt,quasi reduxerunt. Agere autẽ non vno modo dicitur,sed de vno tamen non tacebo. Martialis libro primo Epigram. In Attalum.

Semper agis causas,& res agis Attale semper,
Est,non est quod agas,Attale semper agis.
Si res & causæ desunt,agis Attale mulas,
Attale ne quod agas desit,agas animam.

Cælius ad Ciceronem, Hortensius quum has literas scripsit,animam agebat. id est expirabat.

EPITOME.

Conuitiũ,significat maledictũ cõtumeliosum & acerbũ nimis: quod iurifcõsulti à collatione vocũ,quasi à conuocando, dum videlicet cõuitiantes simul inclamant, quasi cõuocium,volunt dictũ: quo modo per c scribendũ erit. Alii à con,& vitium, quod à vito aut à vitupero deducitur, dũ alter in alterũ cõtumeliã & maledictum ingerit ac regerit. sed receptũ est vt conuitiũ etiã maledictũ reputetur, etiam si nõ referatur. Addit incidentaliter, materiam significare omne lignum ad ædificandũ vtile, etiam viuentem adhuc arborem, non tamen lapides, aut cæmentum.

In eosdem de Conuitium & Maledictum. CAP. LII.

COnuitium apud Vlpianũ iniuriam esse Labeo ait,quasi maledictum iniuria non sit. Addit idem Labeo, Cõuitium dicitur, vel à concitatione, vel à cõuentu, hoc est à collatione vocum. Quum enim in vnum complures voces conferuntur, conuitium quasi conuocium est. Sed quod additur à Prætore, aduersus bonos mores, ostendit non omnem in vnum collatam vociferationem Prætorem notare, sed eã quæ bonis moribus improbatur, quæq; ad infamiã vel inuidiã alicuius spectat.

Et iterum, Conuitium autem non tantum præsenti, verum absenti quoque fieri posse, Labeo scribit. Proinde siquis ad domum tuam venerit te absente, cõuitium esse factum dicitur. Item si ad stationem, vel tabernam vẽtum sit, probari oportere. Fecisse conuitium non tantum is videtur, qui vociferatus est, verum is quoque qui cõcitauit ad vociferationem alios, vel submisit qui vociferarentur. Et paulo pòst, Ex iis apparet non omne maledictum cõuitium esse, sed id solum quod cum vociferatione dictum est. Et siue vnus, siue plures dixerint: conuitium est, quod in cœtu dictum est. Quod autem non in cœtu nec cum vociferatione dicitur, conuitium propriè non dicitur, sed infamandi gratia dicitur. Ex ipsa nominis etymologia argumẽtum significationis Labeo sumpsit. Sed quum falsa sit etymologia, falsa erit & definitio. Quúmque falsa sit definitio, falsa erit & etymologia. Quis enim Labeoni credat conuitium à concitatione, aut à conuentu dictum, aut collatione vocis, quasi cõuocium, quũ sit alia propria magis siue etymologia, siue expositio per cõpositionem à con, & vitium, vel à conuito, quasi vitandum, & vituperationis causa factum? Habet autem conuitium VI non breuem, vt vitium, sed longam, vt vito. Et licet conuito aliud significet quàm conuitiũ, si modo significat idem quod inuito, non obstat, quum à suo quoq; simplici, quod est vito, in significatione magis distet, quàm cõuitium à suo, siue illud sit vito, siue vitium. Ipsa quoque præpositio Con, in bonam & malam rem accipi solet. vt Conficio, Con. pro perficio, & pro eo quod est consauciando trucido. Inde confectores ferarum. Cõuitium igitur, à vitium, vel potius à vito descendit, vt vitupero. Tametsi non omnino repugnem scribi per c, vt quibusdam placet, non per t. Et hoc quidem de etymologia: quæ si pro Labeone, Vlpianóque, non pro me faceret, tamen definitioni repugnare auderem, nusquam reperiens apud summos viros hanc differentiam custoditam inter conuitium & maledictum. Inter quæ (siqua est) hæc erit, quòd cõuitiũ est maledictum contumeliosum. Quintilianus libro septimo, Sic autem præpa- Cap.3. rabit actione prima iudicum animos, vt noluisse potius obiicere, quàm non potuisse credatur. Eóque satius est, omni se antè actæ vitæ abstinere conuitio, quàm leuibus aut friuolis, aut manifeste falsis reũ incessere, quia fides cæteris detrahitur: & qui nihil obiicit, omisisse credi potest maledicta tanquam superuacua: qui vana congerit, confitetur vanum in antè actis argumẽtum. Ex his verbis plane datur intelligi, nec vociferatione vtique fieri conuitium, nec aliud esse quàm maledictum. Cicero pro Cælio,

Maledictum autem nihil habet propositi, præter contumeliam: quæ si petulantius iactatur, conuitium: sin facetius, vrbanitas nominatur. Illud autem verbum inuidiam, quo Labeo siue Vlpianus vtitur, quid mirum si Accursius non intelligit, qui in Institu-
Materia. tionibus, vbi dicitur, Appellatione autem ligni omnis materia significatur, ex qua ædificia fiunt: sic interpretatur, vt cæmenta, vt lapides: immemor à iurisconsultis exponi materiam pro ligno ad ædificia vtili. quãquam & Cato, & Varro, & Columella, & Plinius, qui de agricultura scripsere, aliíque vnam etiam arborem, particulámq; illius, materiã appellant, & breuiter omne lignum.

EPITOME.

Versicolor, omnis generis & tertiæ inflexionis, aut versicolorius, a, um, significãt illud quod est varii coloris, & præsertim quod se vertendo colorem mutat, vt columbi collum, & pauonis collum, & cauda, & aqua maris. Versicoloria tamen indumenta leguntur: quia varii coloris, non quòd colorem vertendo variarent.

In eosdem de Versicoloria. CAP. LIII.

Versicoloria apud Iurisconsultos vocantur, quæ natiuum colorem mutauerũt: vt vestes si albæ sint aut nigræ sub-
Coloriæ. nigræve, quales ex lana non tincta solent esse, coloriæ: si in aliũ colorem tinctæ sint, versicoloriæ nominantur. Cæterum vix in hũc sensum reperimus. Nam Cicero collum columbi, pauonísque, & eius caudam versicolorem vocat, & nõnulli aquam maris, vel quòd versat & mutat colorẽ subinde, vel potius quòd
Cap. 6. sit discolor. vt apud Plinium libro 36, Subit mentem non fuisse tum authoritatẽ maculoso marmori, quam fecere è Thaso Cycladum insularum vna, æquè & è Lesbo. liuidius hoc paulò, versicolores quidem maculas habens. Et in eodem, Primum (vt arbitror) versicolores istas maculas Chiorum lapidicinæ ostende-
Cap. 26. runt, quum extruerent muros. Et in eodem, Veluti quum calculi
Calculi. Abaculi. fiunt, quos quidam abaculos appellant, aliquos etiam pluribus modis versicolores. Et in decimoquinto, Ingẽs postea turba prunorum, versicolor, nigra, candicans, hordearia appellata à comi-
Cap. 13. tatu frugis eius. Et in vicesimoquinto, Versicoloribus viperarum maculis. Et in vicesimooctauo, Nullum animal pauidius existimatur, & ideo versicoloris esse demutationis. Per quod apparet collum columbæ, pauonísque, & caudam, aquámque non ideo versicolorem dici, quòd versat colorem, sed quòd diuersum colorem habeat. Alioqui satis habuisset Plinius dicere, Et ideo versicolor est, nec adiũgere demutationis. Neque verò vestes ab hac significatione communi excipiendæ sunt, putandæque solæ ipsæ versicolores ita demum dici, si lana tincta confectæ fuerint, vt
Lib. 10. cap. 1. apud Quintilianum, Dum in his, de quibus erit quæstio, memi-

nerimus, non athletarum thoros, sed militum lacertos esse: nec versicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur vti, vestem bene ad forensem puluerem facere. Apud Titum verò Liuium est secundo Punico bello, Interdictum fuisse matronis, ne versicoloribus vestirentur. Quod qualiter accipiendum sit, Valerius Maximus libro nono significat, dicens, Quam fœminæ tollere cupiebant, quia iis nec veste varii coloris vti, nec auri plus semuncia habere, nec iuncto vehiculo propius vrbem mille passus, nisi sacrificii gratia vehi, permittebatur. Idem Liuius alibi ait, Corpus alteri magnitudine eximium, versicolori veste, pictísque & auro cælatis refulgens armis. Profectò de varii coloris veste locutus est. Et iterum, Tunicæ auratis militibus versicolores: argentatis, linteæ candidæ. Nam illud Virgilii, Versicoloribus armis, exponit Seruius de pictis, per quod bellicosus ostenditur.

EPITOME.

Apud, designat locum & personam sine motu: diciturque res apud aliquem esse, qualitercunque sit. Penes autem significat, quasi in manu & potestate, & interdum quasi in vnum: vnde penitus deductum videtur. ideóque tam ad laudem quàm ad dedecus spectat. vt, Te penes imperium est. Vita, & salus mea penes te est. Penes fratrem tuum omnis culpa, id est in fratre tuo, per quem culpa commissa est. Dixi Apud, significare sine motu. id enim (authore Donato) differt ab ad: quòd ad, ferè cũ motu significat, vt Vado ad patrem, & fui apud matrem. ponitur tamen interdum pro apud, ídque sine motu. Virgilius,

Et formosus oues ad flumina pauit Adonis. Opus ad Herennium non credo Ciceronis.

In eosdem de Penes & Apud. CAP. LIIII.

PEnes te, vt Vlpianus ait, amplius est, quàm apud te. Nam apud te est, quod qualitercunque à te tenetur. Penes te est, quod quodãmodo à te possidetur. Et ante hunc Festus Pompeius, Apud & penes in hoc differunt, quòd alterum personã cum loco significat: alterum personã & dominiũ ac potestatem, quod trahitur à penitus. Personam cum loco Festus accepit pro personam & locum, vt apud Platonem, & apud forũ: id est in Platone, & in foro. quorum vtriusque diffinitionẽ probo. Illúdque addo, penes, dum tantum ad personam refertur, nõ modo dominium adesse significare, verumetiam laudẽ ac vituperationẽ. De laude, vt Cicero in Bruto, Cuius penes quos laus adhuc fuit, nõ fuit rationis ac sciẽtiæ. De vituperatione, vt Quintilianus in Gladiatore, Vereor ne iniquis existimatoribus inexpiabilis illius, & sæpe reprehensi odii culpa videatur penes patrem, qui tam facilè irascitur. Illud quoque quod crebro vsurpamus, fides penes authores sit, & in laudem, & in vituperationem simul accipitur, quasi laus veritatis, aut vituperatio falsitatis penes authorem sit,

ad quem spectat fidem rei, cuius author est, facere. Ad me certè ista vel laus, vel vituperatio non spectat, qui hoc nō affirmo, sed ad alterum authorem relego. Quod de laude & vituperatione dico, idem accipio de commodo & incommodo. vt Liuius, Vt penes eosdem pericula belli, penes quos præmia essent. Nonnunquam etiam loco seruit, sicut apud Ciceronem libro quarto ad Herēnium, Ita petulans es atque acer, vt ne ad solarium quidem (vt mihi videtur) sed penes scenam, & in eiusmodi locis exercitatus sis. Penes scenam, id est apud scenam.

EPITOME.

Omnes à quibus progeniti sumus, maiores nostri dici possunt, etiam proximi parentes. Qui verò post nos erunt, posteri & minores. Patres autem, non rectè deducuntur vsque ad tritauos: sed proximi duntaxat patres nostri meritò dicuntur. Sicut ergo non soli ante atauos, maiores dicuntur: sic nec soli post atnepotes, minores, sed quicunque nobis ætate minores erunt.

In eosdem de Patres, Maiores, Posteri & Minores. CAP. LV.

PAtres, inquit Paulus, vsque ad tritauos proprio vocabulo nuncupantur apud Romanos. Vlteriores, qui nō habēt speciale nomen, maiores appellantur. Item liberi, vsque ad trinepotem: vltra hos posteriores vocantur. Sed cū venia Pauli, neque vsus in hoc, neque ratio cōsentit. Omnes enim qui ante nos fuerunt, vtique qui liberos reliquerunt, atque id in nostra ciuitate, maiores dicuntur: qui verò post nos, posteriores. Cicero in Sallustium, Ego meis maioribus virtute mea præluxi: vt si prius noti non fuerint, à me accipiant initium memoriæ suæ. Tu tuis vita, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras: vt etiā si fuerint egregii ciues, certè venerint in obliuionem. Nunquid Cicero ait se præluxisse illis tantum, qui supra tritauum fuerunt, Sallustium verò tenebras offudisse? An potius vt quisq; à Cicerone, atque Sallustio recētissimus erat, ita illi maxime horū vtrunque vel præluxisse, vel tenebras offudisse? An siquis claris maioribus ortus quæreretur, non multo magis is dicatur, qui patrē, auum, proauum, abauum, atauum, tritauum, claros: cæteros autem obscuros habuit: quàm qui ista ecōtrario? Hoc ne ipse quidem Paulus negaret. Insuper patres nō opinor vsque ad tritauos posse deduci. Quum enim dicimus patrum memoria aliquid factū esse, de proxima ætate semper intelligimus, non de illa etiam sexta. Dixi de maioribus & patribus. Videamus de posterioribus, siue posteris. Idem Cicero eundem locum sic prosequitur, Quare noli mihi antiquos meos obiectare. Satius enim est, me meis rebus gestis florere, quàm maiorum opinione niti: & ita viuere, vt ego

ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum. Ita (opinor)non pertinebat ad filium, nõ ad nepotem, non ad pronepotem, non ad abnepotem, non ad trinepotem Tulliana nobilitas,& virtutis imitatio: ſed à filio trinepotis inceptura,quia ab eo poſteritas Tulliana initium acceptura erat,quum potius tunc eſſet acceptura occaſum. Idem alibi, Nec verò dubitat agricola (quanuis ſit ſenex) quærenti cui ſerat, reſpõdere diis immortalibus,qui me nõ accipere modo hæc à maioribus voluerũt,ſed etiam poſteris prodere.Taceo quòd Caius Caligula volebat ſolos poſteros filios eſſe,nec iura conceſſa poſteris ad nepotes peruenire.Sed ne cauſari queat nõ poſitum exemplum poſteriorum,ſed poſterorum eſſe,Quintilianus in duodecimo,Maluit enim vir ſapientiſſimus quod ſupereſſet ex vita ſibi perire,quàm quod præteriſſet: & quãdo ab hominibus ſui temporis parum intelligebatur,poſteriorum ſeſe iudiciis reſeruauit. Neſcio tamen an potius legendum ſit poſterorum, vt intelligamus, hoc quàm illud nomen eſſe vſitatius, & non modo ad eos qui ex nobis geniti ſunt, ſed ad vniuerſos qui poſt nos erunt,pertinere.In eũdem opinionis errorem incidit Seruius,qui in octauo AEneidos ait,Minores nõ dicimus,niſi quoties graduum deficit nomen,vt pater, filius, nepos,pronepos,abnepos,atnepos. Vbi iſti gradus defecerũt,meritò iam dicimus minores,ſicut etiam dicimus maiores poſt patris,aui,proaui, atauíque vocabulum. De maioribus ſatis modo diſputauimus. Alterius nominis ratio eadem vno exemplo ſatis probabitur,eóque (quia cum Seruio expoſitore Virgilii agimus) Virgiliano ex primo AEneidos,

Hunc lætum Tyriíſque diem,Troiáque profectis
Eſſe velis,noſtróſque huius meminiſſe minores.

Quis non videt Didonem locutam de parẽtibus qui tunc erant, eorúmque filiis, natíſque natorum, & qui naſcerentur ab illis: non autem de filiis atnepotum,& deinceps,qui illius diei meminiſſe non poterant, niſi id à parentibus accepiſſent?

EPITOME.

Victus, licet à iuriſperitis etiam amictum contineat: tamen propriè ea duntaxat quibus viuimus ac veſcimur continet.eſt quoque genus vitæ,mores conuiuentium concernens.Similiter penus,non aliud quàm quo homo veſcitur,complectitur. licet iidem iuriſperiti largius accipiant.

In eoſdem de Victus & Penus. CAP. LVI.

VIctus verbo(Vlpianus inquit)continentur quæ eſui,potui, cultuíque corporis,quǽque adviuendum homini neceſſaria ſunt. Veſtem quoque victus habere vicem Labeo ait. Cætera quoque (ait Caius) quibus viuendi, curandíve corporis

nostri gratia vtimur, ea appellatione significantur. Ne hoc quidem aut ratio, aut vsus probauit. Victus à viuendo venit. At viuere sine vestitu, cultúque corporis licet, vt in AEthiopia: sine esu potúque nō licet. Ideóque semper distincta hæc duo reperimus, & semper addi alterum (de Vestitu loquor) quia alterum quod est victus, hoc etiam significatum non complectitur: alioqui nō diceretur victus & vestitus. Significat etiam victus, genus vitæ, quantum ad mores, vt quibus cum quis viuat, & à quibus instituatur, & quibus moribus. At neque de penu iurisconsultis assentior, multa quæ ad victum non pertinent, penui cedere volentibus. Potior apud me breuis illa Ciceronis definitio valebit in libris de natura deorum, Est enim omne quo vescuntur homines, penus.

EPITOME.

Pignus Latinum vocabulum, & hypotheca Græcum, idem ferè significant, id videlicet quod à debitore datur creditori in securitatem & firmitudinem. sed pignus, ferè de re mobili: hypotheca, de re immobili in vsu est. Accipitur quoque pignus pro eo quod certaturi, aut lusuri deponūt in manu sequestri, vt cedat victori. Item pro fœdere & vinculo amicitiæ charitatis & fidei. vnde acceptum, vt liberi & charissimi quique, qui vinculum charitatis & fidei inter coniuges alióſque præstant, pignora dicātur. Facítque pignus, semper pignoris: licet pignero, & oppignero, & repignero, atque impignero, in ERO, non in ORO exeant. Nam tempero, refrigero, &(vt author vult) penetro, nomina habent in ORIS, non in ERIS. Est autem pignerare, à primo significato deductum, dare pignus, hoc est arrhā, seu arrhabonem. Et oppignerare, & impignerare quidam accipiunt pro eo quod est pecuniam accipere dato pignore, aut deposito. Repignerare autē, recipere pignus pretio soluto.

Reperitur etiam pigneror deponentaliter. Cicero lib. 1. de Repub. Patria ipsa sibi ad vtilitatem suam pigneraretur. Nec recipiēdus est versiculus ille notus, qui tamen à Nestore approbatur, Pignora natorum dicuntur, pignera rerum.

In eosdem de Pignus & Hypotheca. CAP. LVII.

INter pignus & hypothecam tantum nominis sonus differt. Hæc Martianus. Vlpianus verò, Propriè pignus dicimus, quod ad creditorem transit: hypothecam autem, quum nō trāsit possessio ad creditorem. Ego magis cum Martiano sentio. Iustinianus cum Vlpiano in Institutionibus, dicēs, Nam pignoris appellatione eam propriè rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, maximè si mobilis sit. At eam quæ sine traditione, nuda conuentione tenetur, proprie hypothecæ appellatione contineri dicimus. Sed non esse hanc differentiam ex eo argumētum est, quòd alterum Latinum, alterum Græcum, suæ vtrunque deseruiens linguæ. Pignus autem non tantum creditori datur, sed inter paratos secum decertare mutuo offertur, & apud sequestrum deponitur. Virgilius in Bucolicis,

-ego hanc vitulam (ne fortè recuses,

Bis venit ad mulctram, binos alit hubere fœtus)
Depono. tu dic, mecum quo pignore certes?

Qui tamen sensus rarissimus est. Nam illo figurato crebrius vtimur, vt apud eundem,

Ipse pater dextram Anchises haud multa moratus
Dat iuueni, atque animum præsenti pignore firmat.

Quasi dicat, securum fecit, vt qui dat pignus. A priore significato dicimus pignero & oppignero, hoc est, do aliquid arrhaboni, quã quidam arrham appellãt. Et repignero, quod est recipio pignus soluto debito. Propter hæc verba quidam (quorum est Priscianus) existimant pignus in hunc sensum, & in alium proximum habere genitiuum pigneris: in illum, quo significamus filium, & per abusionem coniunctissimas sanguine personas habere, genitiuum pignoris. Vnde enim oppignero & repignero (inquiunt) haberemus, nisi pignus pigneris faceret? Non inepta quidem ratio, sed quid respõdebunt, quòd quum habeamus fœnus fœnoris, facit tamẽ fœnero & fœneror? Idem Priscianus ait, antiquos dixisse etiam fœneris. Nec tamen vt ei credamus, exemplo probauit. Quid quòd ex frigus frigoris fit refrigero? quid quòd ex tẽpus temporis fit tẽpero? ex litus litoris fit oblitero? ex penus penoris (vt sentio) fit penetro? addita t, quasi ad locũ penoris intro. Tam enim penus quàm penetro breui prima syllaba est. At mihi quidem propria & vera pignoris significatio esse ea videtur, vnde verba deriuantur. Nihil enim illi alii significato cum his verbis. & filii (vt sentio) non alia ratione appellati sunt pignora: nisi quòd pignus quoddam inter coniuges sunt, tum vinculi, ne aliter fortè diuortium fieret, tum charitatis. Cuius rei argumẽtum est, quòd legimus sæpe pignora filiorum, vt apud Suetonium in Tyberii vita, Communis filii pignora. Et iterum, Tam marium, quàm fœminarum pignora.

Pignero. Oppignero. Repignero. Oblitero. Penetro.

EPITOME.

Ferruminare, est consolidare & cõglutinare, præcipue per eandem materiam vt iurisperiti volunt, sed interdum etiam per aliam. Vnde ferruminatio, talis conglutinatio: & ferrumen, tale gluten. Plumbatura autem fit per solum plumbum. vnde plumbare, est plumbo consolidare.

In eosdem de Ferrumino. CAP. LVIII.

FErruminatio, Cassius apud Paulum ait, per eandẽ materiam facit cõfusionem: plumbatura non efficit. Idem sentire videtur Põponius, dicens, Si tuum scyphũ alieno plumbo plumbaueris, alienóve argẽto ferruminaueris, nõ dubitatur scyphum tuũ esse, & à te rectè vẽdicari. Scyphũ enim argenteum intellexit. Cum his plerique nõ sentiunt, quorum est Plinius, qui lib. 10. ait,

Nanque surculo super bina oua imposito, ac ferruminato alui glutino, subdita ceruice medio, æqua vtrinque libra deportant alió. Ferruminato dixit, quasi agglutinato materia illa. Idem vndecimo, Et medulla ex eodem videtur esse in iuuenta rubens, in senecta albescens: non nisi cauis hæc ossibus, nec cruribus iumentorum aut canum. quare fracta nõ ferruminantur. quasi nõ glutinantur, nec coalescunt, & colligantur. Idem 31, Carris Arabiæ oppido muros domósque massis salis faciunt aqua ferruminantes. quasi glutinantes. Idẽ 35, Calcis quoque vsum bitumen præbuit, ita ferruminatis Babylonis muris. Idem 36, Ruinarum Vrbis ea maxima causa, quòd furto calcis, sine ferrumine suo cæmenta componuntur. quasi dicat glutine. Et in eodem, Vitrum sulfuri concoctum ferruminatur in lapidem. quasi conglutinatur in formam lapidis. Idem 37, Infestantur plurimis vitiis, scabro ferrumine, maculosa nube, occulta aliqua vomica, præduro fragilíque centro. quasi glutino, & cõmissura, siue iunctura, siue ligatura. Ergo ferruminatio non vbique per eandem materiam facit confusionem, sed interdum quoque per aliam. Plumbatura per solum plumbum efficit confusionem, vt ipsum indicat nomen, si hæc confusio dicenda est.

Cap. 37.

Plumbatura.

EPITOME.

Seruus, nouitius est iam primum venditioni expositus. Veterator autem, seruus qui diu seruitium tulit. Atque ita quia nouitius ad omne ministerium aptior & habilior est, quàm veterator certo aliquo ministerio imbutus illiq; suetus: ideo carior esse solet, quàm veterator. Qui autem seruos aut pueros puellásve, sed & equos, aut similia animalia parat & vendit, mango dicitur. Errant autem qui mangones dicunt pueros scutiferos, aut hastiferos, aut stabularios. Nec satis aptè loquũtur qui religiosos nõdũ aut paulo ante professos, nouitios appellant: quum nouitii propriè sint serui: sed tamen & aliis rebus cõiunctum legitur: vt, Opus nouitium, quod Plautus etiam nuperum diceret.

In eosdem de Veterator & Nouitius. CAP. LIX.

SEruus, vt est apud Venuleium, tam veterator, quàm nouitius dici potest: sed veteratorem non spatio seruiendi, sed genere, & causa esse æstimandum Cælius ait. Nam quicũque ex vænalitio nouitiorum emptus, alicui ministerio præpositus sit, statim eum veteratorum numero esse. Nouitium autem nõ tyrocinio animi, sed conditione seruitutis intelligi, nec ad rem pertinere Latine sciat loqui nécne. Nec ob id veteratorem eum esse quòd liberalibus studiis eruditus sit. Apud Vlpianũ sic scribitur, Præcipiunt ædiles, ne veterator pro nouitio væneat. Et hoc edictum fallaciis venditorum occurrit. Vbique enim curant ædiles ne emptores à venditoribus circũueniantur. vt ecce plerique solẽt, mãcipia quæ nouitia nõ sũt, quasi nouitia distrahere, ad hoc

ſcilicet, vt pluris vendant. Præſumptum eſt enim ea mācipia quæ rudia ſunt & ſimpliciora eſſe, & ad miniſteria aptiora & dociliora, & ad omne miniſterium habiliora: Trita verò mancipia & veterana difficile eſſe reformare, & ad ſuos mores formare. Quia igitur vænalitiarii ſciunt, facilè decurri ad nouitiorum emptionē, idcirco interpolant veteratores, & pro nouitiis vendunt. Quid tam contrarium, quàm hæ duæ iuriſconſultorū ſententiæ? Quid magis abſurdum, quàm non dico inter eas nō iudicaſſe, ſed eas, aut ambas ſcripſiſſe, aut contrarias eſſe non vidiſſe? Et quanto plura in rebus (vt coniectura ducimur) eſſe debent, quum in verbis tot ſint, & tam manifeſtè contraria? Ego vt inſtituto officio fungar, & inter hos duos ſententiam feram, quando alterius diffinitio à me tolli non poteſt: potior mihi videtur Vlpiani opinio, & cum cæteris ſcriptoribus conuenire. Vænalitiarii mangones dicuntur vænalium hominum. Martialis, Vænalitiarii mangones.

Millia pro puero centum me mango popoſcit.

EPITOME.

Tametſi Latine quotannis pro ſingulis annis, aut per ſingulos annos, ſeu (vt quidā loquūtur) annuatim, dicatur: tamen minus Latine dixeris, Quot diebus pro quotidie, & quot menſibus, pro in ſingulos menſes, aut ſingulis menſibus, &c. Mancinellus tamen oſtendit etiam quot diebus & quot menſibus ab Latinis dictum. cuius priuſquā verba recitem, meminerimus illud quod dicitur, vel quotdiebus legetur: eſſe à legor legaris, non autem à legor legeris. Verba Mancinelli ſunt, Sicuti quotannis dicitur pro ſingulis annis, ita & quotdiebus & quotmenſibus pro ſingulis diebus menſibúſve dici poteſt. Vnde Cato in re ruſtica cap. 43. ſic ait, Si voles vinea cito creſcat, & olea quam ſeueris: ſemel in menſe ſarrito ſulcos, & circum capita oleagina quotmenſibus (donec trimæ erunt) fodere oportet. eodem modo cæteras arbores procurato. Et Plautus in Sticho inquit, Mancinellus.

Vos meminiſtis quotcalendis petere demenſum cibum,
Qui minus meminiſtis quod opus ſit facto facere in ædibus.

Varro præterea de lingua Latina, vbi de via ſacra loquitur, ſic ait, Qua ſacra quot menſibus feruntur in arcem. Apuleius lib. 11, Quot dies obibam culturæ ſacrorum myſterium. Hæc hactenus Nicolae Rubee doctorum antiſtes, mihi notanda (curſim nanque Laurētii opus perlegimus) occurrerunt. Siqua alia fortè occurrent, iis adiiciemus. Poterunt quoq; alii linguæ Latinæ ſtudioſiſſimi plura forſitan deprehēdere: tu verò hæc qualiacunque à nobis primum animaduerſa, hilari fronte ſuſcipies. Viue & vale, méque vt facis ama. Datum Venetiis, pridie Calendas Februarias, Milleſimo quadringenteſimo nonageſimoſecundo.

In eoſdem de In annos, Quotannis, ac ſimilibus. CAP. LX.

NIhil intereſſe, Pomponius apud Vlpianum ſcribit, Vtrum in annos ſingulos, vel quotānis, an in ſingulos mēſes, vel quotmēſibus, an in ſingulos dies, vel quotdiebus legetur. Ipſe quoque huic ſentētiæ accedo: proinde etſi annui legētur tot aurei, idem erit dicendum. Corrumpere eſt illud Vlpiane, atque Pomponi Latinā linguam, non iuuare. Quis vnquā dixit, quot-

diebus,& non potius quotidie? quis etiam quotmensibus,& non singulis mensibus? Cur etiam non addimus quothoris,quotnoctibus, quotlustris? Quòd siquis hoc modo loquatur, intelligemus quidem ex ipsa verborum serie quid velit:tamen vt barbare loquutum reprehendemus,& ne deinceps ita loquatur,admonebimus. Non autē formulam aliis loquēdi trademus,vt vos facitis.Iabolenus melius, Vini,inquit,falerni quod domi nascetur, quotannis,vel in singulos annos, binos culeos hæres meus Titio dato. Quidam aduerbium hinc ducūt,quod est annuatim,vt Plinius libro duodecimo,dicens, Herodoto teste qui tradit, singula millia talentûm annuatim thuris pensitasse Arabes regibus Persarum:si codex verus est.

Annuatim.

EPITOME.

Turba, propriè, & primum significat perturbationem, vt verbū turbo,& Græcū τύρβη(nam τυρβάζω idem quod turbo significat)declarant.Secundario tamen,significat cœtum turbationem facientem,aliquādo duorum hominum.Statius in Achilleide,Nos duo turba sumus. Rixa verò, tametsi vt plurimum est duorū corrixatio: tamen inter plures quoque reperitur.Errant autem qui pro instrumēto quod pueri scutica agunt, & vulgus trochum appellat, quum aliud sit: turbonis, nō turbinis, genitiuum habere docent:quum turbo turbonis sit gladiatoris duntaxat nomen,vt apud Horatium in primo Sermonum, Turbonis in armis. Nec rectè sentiunt qui pro carduo, cardonem dicunt.

In eosdem de Turba & Rixa. CAP. LXI.

INter turbam & rixam, testimonio Vlpiani, rectissime Labeo ait multum interesse.Nāque turbam multitudinis hominum esse perturbationem & cœtum:Rixam,etiam duorum.VideturVlpianus & Labeo sentire turbam suapte natura significare multitudinem.Ideóq; turbam in altero sensu esse perturbationem multitudinis.Ego verò primum & naturalem sensum esse pro perturbatione, quod docet verbum ex ea significatione ductum,turbo,perturbo,disturbo,deturbo,conturbo,quæ nequaquam ad solam multitudinem referuntur.Et turbo turbinis,& homo turbidus,qui est iracundus. Contráque vinum, & multa alia turbida dicuntur. Ipsáque Græca origo τύρβη approbat hunc eundem sensum. Cæterum, quia multitudo non ferè vacat perturbatione,& ipsam appellamus turbam:vt colluuiem, homines viles & contemptos dicimus,& fæcem & sentinam: nō quòd homines sint sordes,fæx,sentina:sed quòd sordidam & abiectam vitam agant. Terentius in Andria,

Turbo.
Turbidus.

Act.2.sce.3.

Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet.
Tum illæ turbæ fient.

Inter quos hæ turbæ fiēt?nempe inter Simonem & Pamphilum, in quem omnis culpa transferetur. Ergo turba erit inter duos:

At idem in eodem ait, -di voſtram fidem, Act.4.ſce.5.
Quid turbæ eſt apud forum? quid illic hominum litigat?
Ego non nego aliquādo turbam inter multos, quemadmodum rixam non ſemper inter duos, cuius multa exēpla ſunt: ſed etiam inter plures, vt apud Liuium, Eo anno Romæ quum per ludos à Sabinorum iuuentute per laſciuiam ſcorta raperētur, concurſu hominum rixa, ac propè prælium fuit. Et nō longe pòſt, Quum cōuerſus in patres impetus eſſet, cōſulū intercurſu rixa ſedata eſt. Sed Terentius fortaſſe ideo adiecit, quid illic hominum litigat? Quia per verbum turbæ nō ſatis ſignificatū erat perturbationem eſſe multorū. Quanquam & illud turbæ nō minus pro multitudine hominū accipi poteſt, quàm pro perturbatione: quum præſertim de perturbatione adiiciat, quid illic hominū litigat? Sed de vno loco nō attinet diſputare, vbi infinita ſuppeditāt. Dixi à turba fieri turbo, cuius genitiuū grāmatici quidā volunt eſſe pro ludicro illo inſtrumēto, turbonis. Turbo. quod vel ex hoc falſum eſſe, documētū eſt, quòd formā acumine faſtigiato vocamus turbinatā, ad ſimilitudinē ligni illius. Fallūtur igitur grammatici in turbo turbonis, quomodo in cardo cardonis, quod nec ipſū inuenitur. Cardo.

EPITOME.

Exauthorare, eſt ducem ab imperio ſuo dimittere, vel miſſum facere militem, illúmque donare plerūque miſſione militiæ. De hoc igitur vocabulo, de quo prius latius dictum eſt, non rectè ſentit Iulianus iuriſconſultus.

In eoſdem de Exauthoro. CAP. LXII.

IGnominioſa autem miſſio (ſi Iuliano credimus) toties eſt, quoties is qui mittit, adiicit nominatim ignominiæ ſe cauſa mittere: ſemper enim debet imperator addere, cur miles mittatur. Sed & ſi eum exauthorauerit, inter infames efficit, licet non addidit ignominiæ cauſa ſe eū exauthoraſſe. Pace tamen Iuliani, exauthorare, eſt ducem ab imperio ſuo dimittere, vel miſſum militem facere, illúmq; donare miſſione militiæ plerūque. vt apud Quintilianum in milite Mariano, Pater huic emeritis bello ſtipendiis, tum quum tota ſubnixum Numidia fregimus Iugurtham, exauthoratas armis manus, agreſti labore ſubegit. Titus Liuius ab Vrbe condita libro trigeſimoquinto, Volonum quoq; exercitus qui viuo Graccho ſumma fide ſtipendia fecerat, velut exauthoratus morte ducis à ſignis diſceſſit. Et in 29, Vbi hoc modo exauthoratū equitem cū gratia imperatoris viderūt, ſe quiſq; excuſare, & vicariū accipere. Et in ſexageſimoſecundo, Vbi is veniſſet, omnes milites exauthorati domum dimitterētur, præter quinq; millia ſociûm, his quos obtineri circa Ariminum

prouinciam satis esse. Idem lib. 45, Postero die cōcione aduocata, de rebus à se gestis, & de iniuria tribuni bello alieno se illigantis, vt suæ victoriæ fructu se fraudaret, quum disseruisset, milites exauthoratos dimisit.

EPITOME.

Depectus, non semper est turpiter pactus, vt de, peruersionem significet, sicut in demens & desipiens: sed pro simplici accipitur potius, cum quodam incremento, sicut demiror, deambulo, demonstro, deosculor, depingo, deposco, deuito, degusto, demoror, demulceo, & multa alia.

In eosdem de Depectus. CAP. LXIII.

Depectus (si Vlpiano credimus) dicitur turpiter pactus. Mihi autem pro simplici potius accipi videtur, id quod in multis fit, vt demiror, deambulo, desumo, demonstro, deosculor, depingo, deposco, deuito, degusto, demoror, deprecor, demulceo. Quòd siquando reperiatur pro turpiter (quod non memini legisse me) id fit nō magis vi præpositionis, qua hoc verbum componitur, quàm vi ipsius verbi, quod citra compositionem nonnunquam turpem pactionem significat. Cicero in Paradoxis, Si quotidie fraudas, decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis, si socios spolias, ærarium expilas, si testamenta amicorum expectas, ac ne expectas quidem, atque ipse supponis: hæc vtrum abundantis, an egentis signa sunt? Exemplum verò quòd depectus non significat turpiter pactus, sed tantum pactus, apud Terentium in Phormione, Ita me di bene ament, vt mihi liceat tandiu, quod amo frui, Iam depecisci morte cupio. Tale est hoc Terētianum, quale est illud Virgilii,

Vitámque volunt pro laude pacisci.

Illud quoque apud Marcum Tullium, secundo Rhetoricorum, Quidam quum circunsideretur, neque effugere vllo modo posset, depectus est cum hostibus, vt arma & impedimēta relinqueret, milites educeret. Itáque fecit, armis & impedimentis amissis, præter spem milites conseruauit. Non est accipiendum pro turpiter pactus, ab authore esse positum. Quippe qui causam narrat de qua controuersia est, an ille turpiter pactus sit. non autem factum hominis damnat. & aliquoties factum hoc, paulo pòst pactionem vocat. & in libris ad Herennium, hāc eandem rem gestam ita exponit, vt quod erat sui officii, neq; accuset, neque excuset, sed tantummodo pactum inter Pompilium & Gallos ita fuisse significet, háncque controuersiam ab accusatore, atque ab reo declamandam proponat.

EPITOME.

Omnis lapis pretiosus tam lucidus quàm non lucidus, si magnus est, vocari potest gēma: si paruus, gēmula aut lapillus. Myrrhina quoq;, inter gēmas reponit Plinius.

Margaritam autem siue margaritum, multi gēmam negant: est tamen lapillus. nec sic distinguitur, vt Seruius in litera docuisse ostēditur: sed est margarita quæ in concha nascitur, & cōchylium dicitur, à vulgo autem perla: à Plinio verò atque Solino appellatur vnio, quòd semper distincta nascitur. est autem vnio sic, masculini generis, vt omnes consentiunt. sed pro vnanimitate, nescit an lectum sit: & si legatur, non tamen erit fœminini generis, sicut nec talio, stellio, curculio, & senio, quod illi simile est. Persius,

Scire erat in votis quid dexter senio ferret. Sanè talio fœminini est generis. Gellius lib. vltimo, Acerba talio visa fuerat, &c. sic & alibi, & alii quos vidi omnes. Nec mirum: quæcunque enim verbalium significationem primo gerunt, licet per translationem aliud signent, & formam verbalium nō seruent, fœminina sunt, vt ratio, natio, cœnatio etiam pro loco, legio, regio, rebellio, religio, ditio, concio, &c. Sed quæ opificem vt lucrio, tabellio, pellio: aut animal, vt carpio, stellio, curculio: aut aliud corpus primum significant, vt pugio, quaternio, homuncio, masculina sunt.

In eosdem de Gemma & Lapillus. CAP. LXIIII.

Gemmas, lapillósque Vlpianus sic distinguit, dicens, Gemmæ sunt perlucidæ materiæ, quas (vt refert Sabinus ad Vitellium) Seruius à lapillis eo distinguebat, quòd gemmæ essent perlucidæ materiæ, veluti Smaragdi, Chrysolithi, Amethysti: lapilli autem cōtrariæ superioribus naturæ, vt Obsidiani, Veientani. Margaritas autem, nec gemmis, nec lapillis contineri satis constitisse idem Sabinus ait, Quia cōcha apud Rubrum mare & crescit & coalescit. Myrrhina autem vasa in gemmis non esse Cassius scribit. Hoc falsum esse pace horum quatuor iurisconsultorum, quum omnes authores probant, quorū Plinius titulum de gemmis non translucētibus fecit, & myrrhina in gemmis numerat, & omnes lapides pretiosos, præter margaritā, vno nomine (quod tātum lingua Latina habet) gemmas appellat, tum ipsa ratio. Nam quis non videt, lapillus, quod generale nomen est, omnium paruorum lapidū, sed subintellectione pretiosus, idē esse quod gemmula? Nam gemmas etiam accipimus multorum cubitorum inueniri, quas vt verè lapides, nō lapillos, appellare possumus: ita quum minutæ fuerint, lapillos appellare debemus. Quòd si lapides tam grandes translucidi non fuerint, siue perlucidi, quales sunt imperfecti, nunquid vocabimus eos lapillos? Quid hoc magis ridiculum? Quòd si etiam omnis lapis perlucidus gemma est, etiam parium marmor, quod in modum vitri translucidum est, gemma erit. Postremò reperimus eiusdem coloris lapides quosdam permixtim constare ex perlucidis & non perlucidis, & ita permixtos natura, vt non possis partem appellare gemmam, partem lapillum. Curtius libro octauo quum dixisset, Gemmas margaritásque mare litoribus infundit: paulo pòst de eisdem Indis ait, Lapilli ex auribus pendentes, profectò perlu- Margaritæ. Myrrhina.

cidi intelligendi ſunt.Et iterum libro decimo de rege Indo,Pendebant ex auribus inſignes candore ac magnitudine lapilli. Margaritam verò ſiue margaritum, quis negare lapillum poſſit, qui ſemper eſt puſillus lapis? Ego quidem candidos illos lapillos ex Indiæ regis auribus pendentes,margaritas interpretor. Horatius quum inquit,

Nec magis huic intra niueos, viridéſque lapillos: de margaritis & ſmaragdis intellexit. Margaritam autem,ſicut lapillis forſitan nego, ita gemmis fateor contineri, quod ferè omnes concedunt.Seruius tamen grammaticus, quaſi multi aliter ſentiant, inquit, Sanè multi ſeparant gemmam à margarita, vt Cicero, Nullam gemmam aut margaritam.& gemmas volunt dici diuerſi coloris, margaritas verò albas: vel gemmas,integras:margaritas, pertuſas. Hæc Seruii opinio ab omnibus & ab ipſa veritate diſſentit. Eſt enim margarita, quæ in concha naſcitur, vnde conchylium dicitur,quam vulgò perlam appellãt.Hæc etiam vocatur vnio (vt idem Plinius ait) quia nunquam niſi diſtincta reperiatur, éſtque generis maſculini. Nam fœminini illud, quo nunc quidam pro vnanimitate vtuntur, nec authoritate nititur (neſcio enim apud quem reperiatur) nec arte,quum deberet eſſe maſculini potius generis,vt talio,ſtellio,curgulio.

Margarita.

Conchylium.

Vnio.

EPITOME IN PRAEFATIONEM AD TORTELLIVM.

Quoniam tanta eſt huius pronominis SVI, eiúſque poſſeſſiui SVVS in oratione vis atque poteſtas, quanta fingitur Plutonis in rerum poſſeſſione: non contemnendum eſt ſequens de reciprocatione eorundem opuſculum, quum eius cognitio ſit perquam neceſſaria, & in primis difficilis, quippe in qua maximi quique dormitaſſe comperiuntur. Reddit ergo ipſum Tortellium cæteróſque lectores ex difficultate & vtilitate operis attentos. Sed priuſquam id facit, beneuolum reddidit ex eius ad quem ſcribit,meritorum & dignitatis commemoratione. Docilem verò ex ordine procedendi. nam pollicetur ſe Priſciani præcepta, vbi minus recipienda ſunt,refellere:& ſua de hac re diligentius tradere.Vtitur autem iucũda comparatione huius pronominis SVI & SVVS ad Plutona: qui tertius quidem deorum, ſed tamen ditiſſimus eſt habitus. de qua tamen re, longa eſt apud Macrobium de ſomno Scipionis concertatio, quomodo Dis ſeu Pluton dicatur, quum ſit inferorum & mortuorum deus.verum inferos hîc eſſe cõtendit,& duplicem eſſe mortem:de qua re apud ipſum videre licet.Quãtum verò ad hãc cõparationem,certum eſt in fabulis eſſe Saturnum filios ſuos deuorare ſolitum: materna tamen induſtria receptos tres, Iouem qui in Dictæis montibus ſeruatus, ob id, cæli moderationem obtinuit: Neptunum,qui inter naues ſeruatus, maris imperium ſæuúmque tridentem ſortitus eſt: & Plutonem in ſubterraneis cõſeruatum, & ob id,inferorũ deum,

Ditémque vocatum : aut quòd in visceribus terræ lateant ferè mortalium diuitiæ: aut quòd tunc demum verè beati credebantur ac diuites quum ad Elysium fuerint translati. Verum harum potestatum voluerunt esse communionem: ita vt singuli, superni, inferni, & medii dici possint. vnde & insignia triformia habēt: Iupiter telum trisulcum, id est fulmen: Neptunus tridentem, videlicet fuscinam: & Pluton, seu more nostro Pluto (nam quæ apud nos in o exeunt, ferè in o N exeunt apud Græcos, vt Pluton, Ciceron, Caton, &c.) Cerberum canem tricipitem. Omnis autem (vt Augustinus quoque testatur) rerum partitio fit per meum, & tuum, ac suum: quibus ablatis, omnia fuerint communia. sed finem facio.

LAVRENTII VALLAE AD IOHANNEM TORTELLIUM Aretinum, cubicularium apostolicum, de Reciprocatione Sui & Suus, libellus plurimum vtilis.

S Ingularis tua, Iohannes Tortelli, tum erga me beneuolentia, tum de meis, quantulæcunque sunt, literis, opinio, iisque præcipue quæ ad eloquentiā spectāt, facit, vt quicquid de elegātia linguæ Latinæ, qui primus ad eloquentiam gradus est, adnoto, id omne ad te potissimum scribam: quum præsertim nihil eius generis, tā exiguum proficiscatur à me, quod non tuo, nescio, iudicio dicam an amori, magnum esse videatur. Non repudiabis igitur hoc tāquam exiguum, quod de pronomine Sui cū eius deriuatiuo adnotaui, velut apēdicem quæstionis illius, vbi quæ sunt huic cum genitiuis primæ & secundæ personæ communia (quemadmodum scis) disseruimus. Nam illic, quæ trium omnium: hîc verò, quæ vnius tantum propria sunt explicantur, eatenus prorsus, quatenus pertinet ad reciprocationem. Hui, dicet aliquis, perexigua, perexilisque materia, nec satis scribi digna. Isti ego (vitandus est enim in principio maximè contemptus operis) affirmo non talem sibi introgresso eam visum iri, sed magnam, profundam, sinuosam, similémque Labyrintho cuidam, etiam si Minotaurus non inesset, vt verè liceat Virgiliano versu dicere,

Hic labor ille domus, & inextricabilis error.

Vbi vtinam non plerique falleremur, non modo plebeii, sed etiam principes in dicendo, ac Theseo pares, qui filo illo Ariadnes, aut non vtimur, aut abutimur. Neque de nostra tātum memoria, verum de aliquot iam proximis sæculis loquor, in quibus vix quispiam vitio hoc nō laborauit, vel vtendi isto pronomine, quum nō oportet: vel nō vtendi, quum oportet. At quàm vsitato, quàm necessario, quantæ etiam dignitatis vocabulo? Etenim

(vt ſuperſedeam de genere hoc toto dicere) quantum grammaticis, dialecticis, philoſophis vtique in iis quæ metaphyſica vocãt, quantum theologis, iuriſperitis, oratoribus, quantum denique omnibus ſermone vtentibus conducit rerum verborúmque interpretatio, quod proprium eſt eloquentiæ? Certè hoc cuius vim iúſque interpretamur, tanti faciendum eſt inter cætera vocabula, quãti Pluton inter reliqua numina trium maximorum deorum, & vnus & frater tertius. Rides viciſſim comparationis hyperbolem. Tu verò vel per me licet rideas, tecũ etiam riſurum, quum (vt inquit Horatius) ridẽtem dicere verum Nil vetat. Rideas inquam, non derideas. Nam & propius ad veritatem accedet mea ſuperlatio ridicula, quàm tua cum detractione deriſio. Nec nihil bella, nec inconcinna, nec inepta ſanè comparatio erit. Siquidem quemadmodum tres filii Saturni (ſi vetuſtati credimus) omnia inter ſe diuiſere, vt Iupiter cælum, Neptunus maria, Pluton inferos ſortiretur: ita tria pronomina & inter ſe germana, & inter cæteras voces primaria, tum omnem perſonarum numerum complectuntur (EGO ſimile Ioui, cuius prima eſt dignitas: TV ſimile Neptuno, cuius ſecunda: SVI ſimile Plutoni, cuius tertia) tum omnia deriuatiua per totidem caſus ſingula ſibi vendicant. Nam quid eſt quod non meum, aut tuum, aut ſuum dici queat? & licet SVI non contineat tertiam omnino perſonam, tamen illius veluti fons eſt, pérque ipſum ea tota nuncupatur, ditius nimirum ac locupletius vtroque aliorum. Quoniam plures voces poſſidet tertia perſona, quàm reliquæ. Et hinc quoque Plutoni comparandum, qui Dis à diuitiis, & eadem cauſa Græce Pluton appellatur. Et eo quidẽ magis, quòd ſicut Pluton defectum lucis ſentit, eiúſque imperium omne ex alieno pẽdet orbe, quòd hinc illuc animæ deſcendunt, ſine quibus non exiſteret illius regnum: ita ſui, & defectum nominatiui habet: & niſi regimẽ eius aliunde pendeat, nequit ſubſiſtere. & (quod ad rem maxime facit) quemadmodum Plutone præſide bene maléque factorum iudicia exercentur, ſic in vſu dictionis huius bene maléque loquentes præcipue iudicantur. vt qui ex hoc iudicio abſoluti diſceſſerint, ii optimo iure tanquam ad Elyſium eant, cúmque Virgiliano Anchiſa dicant,

Lib.1.Serm. Satyra 1.

Quiſque ſuos patimur manes, exinde per amplum
Mittimur Elyſium, & pauci læta arua tenemus.

Quare ſi pronomen iſtud tãto Deo cõparari poteſt, cur eius tractatio perexigua, pérque exilis exiſtimetur? Libuit iocari Iohãnes dum noſtram materiam, munus videlicet in te meum, non

esse tantopere contemnendam ostendere voluimus. Sed id ipsa tractatio planum faciet, méque non modo potuisse illam Labyrintho comparare, sed fortassis etiam intus Minotaurum, id est desperationem habenti. De cuius natura & vsu cum alii veteres grammatici nonnulla, tum Priscianus (cui inter cæteros ferè tribuitur palma) permulta præcipit, & haud scio an vlla de re diligentius: vt mirer sic lapsam loquendi consuetudinem defluxisse de via. Nos huiusmodi erroris causas (vt aberrantes reducamus in viam) quoad facultas feret, aperire, & siqua præterea tradi poterunt, fortè diligentius tradere conabimur.

EPITOME.

Cum Græci longe aliter vtantur pronominibus quàm Latini, sua autem cuique linguæ sit seruanda phrasis: non imitabimur Græcos in sermone Latino, sed Latinos. quod qui non fecerunt, non recte locuti sunt, nec docte præceperunt. Græci enim pronominibus primitiuis, etiam pro deriuatiuis vtuntur. quod nobis non licere, præscriptum est, multísque cōpositis quæ nobis absurdissima forent. Quinetiam sui, apud Græcos nominatiuum habet inusitatum quidem ὅς. cuius genitiuus profertur οὗ sui. datiuus οἷ sibi. accusatiuus ἓ se. In duali accusatiuo solum σφὲ, id est se. in genitiuo & datiuo σφῖν, id est sui & sibi. In plurali nominatiuo σφεῖς, Latine exprimi non potest. in genitiuo σφῶν sui. in datiuo σφίσι sibi. in accusatiuo σφᾶς se. In deriuatiuo autem, à singulari numero ἑὸς suus. & à plurali σφέτερος, id est suus. pro quibus vtuntur & reciprocis compositis ἑαυτοῦ, ἑαυτῷ, ἑαυτὸν in singulari, id est sui, sibi, se. & per coalitum duarum vocalium αὑτοῦ, αὑτῷ, αὑτὸν, sui, sibi, se. In plural autem ἑαυτῶν, ἑαυτοῖς, ἑαυτοὺς, sui, sibi, se. & similiter per cōtractionem αὑτῶν, αὑτοῖς, αὑτοὺς, sui, sibi, se. dicitur & pro eodem in plurali citra compositionē σφῶν αὐτῶν, σφίσιν αὐτοῖς, σφᾶς αὐτοὺς, sui ipsorum, sibi ipsis, se ipsos.

IN QVO DISTENT SVI ET SVVS INter nos & Græcos. CAP. I.

P

Rincipio (quoniam Priscianus pleraque ad Græcā figurā reuocat, & hoc in primis pronomen de quo agimus) indicādum est multa esse quum alibi, tum verò hîc, inter nos Græcósque dissimilia. Primum apud illos sui, id est οὗ, οἷ, ἓ, σφὲ, σφῖν, σφεῖς, σφῶν, σφίσιν, σφᾶς, nō sanè frequenti in vsu. & suus, id est ἑὸς, καὶ σφέτερος, in minus frequenti esse, apud nos verò frequentissima, & quamvsitatissima. Itémque pro his duobus apud eosdem aliud pronomen, id est αὑτοῦ, αὑτῷ, αὑτὸν, vsurpari: quod proprie est ipsius, ipsi, ipsum, ipso. vel ex vtroque compositum, ἑαυτοῦ, &c. Et licet nonnihil differat, tamen crebro illud pro hoc poni, vt vix scias quid inter ipsa intersit. Neque me fugit ad signandam differētiam illud aspirare solere quum pro hoc ponitur. sed nescio an omnes id scriptores obseruarint. Certe nec omnes editiones seruatum

habent: & quæ habent, vix vbique: & si vbique haberent, non tamen in totum linguæ Latinæ responderet. Præterea hoc ipsum compositum primæ secúdæque personæ accõmodari, non solũ tertiæ, vt πρόσεχετε ἡμῶν ἑαυτοῖς. apud nos (si verbum sit è verbo) absurdissimum, attendite nobis sibi, siue nobis sibiipsis, quũ tantũdem significet nobisipsis. Postremo apud Homerum, & siqui sunt alii, sexcentis in locis reperiri οὗ, οἷ, ἕ, hoc est, sui, sibi, se: pro eius, ei, eum, eo: siue pro illius, illi, illum, illo. cuius authoritatem imitatum nostrum inuenio neminem. Ita & suam naturam interdum deserit hoc pronomẽ, & in locum suũ aliud succedere patitur. Quod nobis adeò denegatum est, vt sicuti mei & meus, tui & tuus: ita sui & suus nequeant alterũ pro altero poni, quũ non Latina sit sed barbara oratio, ego amo amicũ mei vel tui, hic amat filiũ sui: pro meũ, tuũ, suũ: & hic me credit omnia facere amore meo, odio tuo, inuidia sua: pro mei, tui, sui: quæ apud Græcos non est differentia. Siquidem (vt alibi probauimus) sui, vt mei, tui, nostri, & vestri, passiue semper accipitur. Suus verò, vt meus, tuus, nostrum, vestrum, noster, vester, possessiue vel actiue. quod Priscianũ ignorasse ob Græcam forsitan imitationẽ quàm mirũ tam verum est. Quũ ergo tot sint quibus à Græca, nostra dissentit oratio, non quid illi dixerint est intuẽdum, ne in eundem in quẽ nonnulli (sicut ostendam) errorem incidamus: sed quid nostri, quorum authoritatem imitamur.

EPITOME.

Ad cognoscendã naturã Sui & suus, non opus est distinguere tria constructionũ genera quæ Priscianus distinguit, quum satis sit vnam reciprocationem nosse.

Non esse tria genera constructionis prædictorũ pronominum, sed reciprocationem sufficere. CAP. II.

HAEc præfatus, ad rem ipsam venio, cuius Priscianus tria genera facit. Vnum, quod vocat reciprocum, quum pronomen in seipsum reflectitur, vt, Cato amat se. Alterum, quod vocat transitionem, quum per deriuatiuũ eius loquimur: vt, Cato amat suũ filium, siue Catonem amat suus filius. Tertium, quod vocat retransitionem, quum accedit alterum verbũ, vel in primitiuo, sic, Cato precatur me vt sui miserear. Vel in deriuatiuo, sic, Cato precatur me vt sui filii miserear. Sed optimum fuerit eius ad literam subiicere verba, eáque aliquanto longius repetita (quoniam non in vnius tantum quæstionis vsum repetentur) quæ hæc sunt, Possessiua verò modis construuntur tribus, quum verba vel à possessore in possessionem, vel à possessione in possessorem, vel extrinsecus transferuntur. A possessore in

poſſeſſionem, vt Doceo meum filium, doces tuum diſcipulum, docet ille ſuum auditorem. A poſſeſſione verò in poſſeſſorem, vt Paret mihi meus filius, paret tibi tuus cliēs, paret illi ſuus ſeruus. Extrinſecus, vt Doces tu vel ille meum filium, doceo ego vel ille tuum filium, doceo ego vel tu ſuum vel illius filium. Sed melius hoc per retranſitionem: vt Rogat ille me vt doceam ſuum filium. Quum enim ſuum ſit relatiuum, exigit vt prius cognoſcatur perſona poſſeſſoris ſui ad quam referatur. Et ſciēdū, quòd omnia poſſeſſiua, poſſeſſoris quidem perſonam ſecūdum primitiuum ſignificant. Poſſeſſio verò ipſa tertiæ eſt perſonæ, vt Meus, tuus, ſuus, quomodo & nomina, quibus iūguntur, vt Meus pater, tuus filius: excepto vocatiuo qui ſolus in primæ perſonæ poſſeſſiuis inuenitur, quum ſecundæ copulatur perſonæ, vt Mi pater, ô mea Tullia, ô noſter Chremes. Omnia tamen poſſeſſiua in genitiuos primitiuorum non ſolum nominibus, ſed etiam verbis trāſitiuis ſociata poſſunt reſolui: vt Amicum meum moneo, pro amicum mei: & Euandrium filium Turnus interfecit, pro Euandri filium: & Daunius filius ab AEnea victus eſt, pro Dauni filius. Hoc autem intereſt inter poſſeſſiuum pronomē, vt Meus, tuus, ſuus, & primitiuum mei, tui, ſui: quòd voce poſſeſſiui genus & caſus, & numerus ipſius poſſeſſionis oſtenditur, & ſubſtantiua quidem verba poſſeſſiuis coniuncta ad poſſeſſores referuntur, vt Tuus ſum filius, & meus pater es, & ſuus eſt illius ſeruus. Et aliquanto poſterius, Nos verò primitiuis quidem, id eſt ſui, ſibi, ſe, à ſe: vel per reciprocationē, vt Sui potitur, ſibi indulget: vel per retranſitionē vtimur, vt Hortatur me ille vt ſui potiar, rogat te ille vt ſibi indulgeas. Poſſeſſiuis verò, quum in ea poſſeſſiuorum fiat tranſitio, vt ſui ſerui miſeretur, & ſuo ſeruo prodeſt, & ſuū ſeruū diligit. Nec aliter tamen poteſt ſupradictū poſſeſſiuū tertiæ perſonæ conſtrui cū aliis extrinſecus perſonis, niſi per retranſitionē (quomodo & primitiuum eius) id eſt, niſi prius à poſſeſſore eius proficiſcatur in aliā verbi perſonā, & ſic ab illa rurſus ad poſſeſſionē tertiæ, ſicut & ad ſe: vt, Rogat me ille vt ſuus ſeruus miniſtret mihi vel tibi, precatur me vt ſui patris miſerear, petit te vt ſuo proſis filio, obſecrat Cicero Varronē vt ſuū erudiat gnatum. Et notandū quòd quū à tertia in tertiā fit tranſitio perſonam, in dubiū venit poſſeſſio ad quā pertineat earū: vt, Rogat iſte illum ne ſuo noceat filio, ambiguum, cuius filio ſuo, iſtius an illius: id eſt, an rogantis, an eius qui rogatur. quomodo & apud Græcos, παρακαλεῖ Πλάτωνα Ἀριστοτέλης ἵνα τὸν ἑαυτοῦ φίλον παιδεύσῃ, dubiū ſit vtrum Platonis an Ariſtotelis ſuum. Hæc ille.

Non video quid opus fuerit hac diuiſione,quum & alia genera & aliæ ſpecies eſſe poſſint,vt poſterius apparebit, neq; hæc ipſa ſatis inter ſe diſtincta ſint.Quæ enim ſpecies hæc erit? Cato cupit me amicum ſibi vel ſuum,optat te coli à ſe, & à ſuis,ait domum tuam ſe authore extructam, ſiue ſua pecunia, relinquam reipublicæ teſtimonium meæ in ſe voluntatis,rex eſt domi ſuæ lætus ſua gloria,ſua quenque delectant, terra per ſe ſtat: & alia plura:vt fortaſſe ſicut expeditius, ita ſatius fuerit hæc omnia appellare reciprocationem, quod propemodum Priſcianus ipſe confitetur,quum longe pòſt inquit, Non aliter tamen hoc fit, niſi prius à tertia perſona verbum aliquod (vt diximus) proficiſcatur ad aliam extrinſecus perſonam, & ſic ab illa per retranſitionem ad eam reciprocetur aliud verbum:vt,Rogat me ille, vt ad ſe veniam:petit te,vt ſibi des:hortatur milites imperator,vt ſe largo potiantur. Quapropter hoc tanquam generali vocabulo (ſi modo auſim dicere) ſolo vti poſſumus.

EPITOME.

Reciprocatio,dicta eſt quaſi eius quod emiſſum eſt,in ſeipſum receptio:ſicut ſpiritus reuerberatus reciprocatur, & vnda alluẽs litus, & Euripus ad priſtinũ curſum rediens. Eſt autem Euripus, pars maris reflua inter Bœotiam & Phocidem,quod quotidie ſepties & toties noctu reuertitur impetuoſiſſime.Vnde Seneca in Hercule OEtheo, Euripus vndas flectit inſtabilis vagas, Septémque curſus flectit,& totidem refert.

Vnde dicta ſit Reciprocatio. CAP. III.

QVod ex eo dictum eſt, quòd ſicut reciprocatur ſpiritus quum recipitur, & vnda viciſſim alluens litus,& Euripus ad priſtinum ſubinde curſum rediẽs,reciprocus eſt:ita hæc pronomina alterum primitiuum,alterum deriuatiuum, ad id vnde prodierant reuocantur.Quod Græci ἰδιοπαθὲς & ἰδιοπάθειαν vocãt. Priſcianúſque interpretatur ſui paſſum & ſui paſſionem, tum dure,tum minus apte. quia ſui (vt diximus) tantummodo paſſiue accipitur.Satis autem erat reciprocum & reciprocationem dixiſſe.

EPITOME.

Fit autẽ ſolœciſmns per ſui & ſuus duobus modis:altero, dum hæc ponuntur vbi nulla eſt reciprocatio:altero,dum non ponuntur vbi eſſet. Priore autem modo frequentius peccatur in ſuus,quia per omnes caſus: quàm in ſui:per quod nunquam ferè peccatur in datiuo & accuſatiuo. huiuſmodi exempla ſunt, Iohãnes nõ venit,ſed filius ſuus. Nõ eſt Iohannis,ſed filii ſui.Non dedi Iohanni,ſed filio ſuo. Non amo Iohannem,ſed filium ſuum. Non amor ab Iohanne,ſed à filio ſuo.Per ſui ſic,Monuerat me Iohannes,ſed nõ eram tunc memor ſui. Quinetiam nonnulli tam barbari ſunt vt dicant, Ego dixi ſibi, Ego non verberaui ſe. ſed rarius. in his omnibus ponitur reciprocũ vbi non eſt reciprocatio.Altero modo ediuerſo peccamus,dicẽtes, Iohannes non amat liberos eius:pro ſuos. Iohãnes nõ eſt memor

eius: pro eo quod est sui. quam rem latius alibi aperiemus. Solœcismus quid sit, alibi docuimus. Non esse dicendum soloecismum, licet sic scribatur, docet Iuuenalis, dicens, Verba, solœcismum liceat fecisse marito.

Quomodo solœcismus admittatur in Sui & Suus. CAP. IIII.

ET hac quidem quomodo sit vtendum, ex superioribus liquet. Quonam autem modo aliqui abutantur, Priscianus ostendit, inquiens, Tertiæ verò personæ possessiuũ sine voce altera significante possessorem suũ, non potest adiũgi alii personæ per se. Si dicam, Seruus suus ministrat mihi vel tibi, solœcismũ facio. Propemodum ipse præceptor hoc pronomine abusus est. Ego dixissem ipsius, vt referatur ad possessiuum, potius quàm suus, quod referri videtur ad vocem alterã, quod ille non sentit. De quo latius postea. Sed cur de primitiui solœcismo omisit exempla? quæ res multum faciebat ad hoc vitium deuitãdum, vt, Ego dixi sibi, non est sibi curæ respublica, tu fuisti secum. pro eo quod est, ego dixi ei, non est ei curæ respublica, tu fuisti cum eo. An quòd temporibus eius in hoc nunquam, aut vix vnquam peccabatur? Quippe quum hac quoque tempestate minus in sui peccetur quàm in suus. Sicut enim datiuo & ablatiuo postposita præpositione cum, prout exẽplis docui, & nonnunquam forsitan genitiuo, vt Feci amore sui, vulgus vtitur: ita non vtitur accusatiuo ablatiuóque. Quis enim è vulgo sic loquitur? vidi se, pergo ad se, indigeo se, redeo ad se? profectò (quod sciam) nullus. vt si rectè ratiocinamur, minor sit eius pars in qua peccatur, vtpote non planè per duos casus: at verò in suus per omnes. per nominatiuum, quale fuit Prisciani exemplum, & in apposito, vt hoc est opus suum. per obliquos, vt ego sum amicus patris sui, tu non places filio suo, legisti librum suum, pone hoc ad pedes suos, libris suis fruor, in hortis suis cœnauimus: pro eius, siue ipsius, siue illius. quæ dici non Latine, siqua ratio est, reddi ista potest. In primitiuo quidem, quòd (quum inter hunc modum loquendi quem reformidant, & illum quo vtuntur, nihil intersit) palàm est eos (semper enim falsitas se ipsa cõuincit) sua confessione peccare. vt nuper quẽdam literarum Græcarum ignarum, quem, quòd negaret propter loquendi cõsuetudinem dicẽdum esse Aristoteles, ita sum percontatus, Nónne Aristotelicus omnes dicunt? Qúmque ille respondisset, etiam: Ergo, inquam, etiam vestro testimonio dici debet Aristoteles, non Aristotiles, vt fieri possit Aristotelicus. In deriuatiuo autem, quod consequens est, quum hoc sit eiusdem naturæ, quod illi tãquam

genitori, vel domino, vel duci non licet, id huic vel filio, vel seruo, vel militi non licere.

EPITOME.

Prima causa ob quam multi peccauerunt, est: quia viderunt summos authores, vt Virgilium, interdum dormitasse. Dicit enim AEneidos quarto, Nanque suam patria antiqua cinis ater habebat. pro ipsius aut eius. Et in eiusdem 3, Viuite fœlices, quibus est fortuna peracta Iã sua. pro vestra. nisi subaudiatur particula VT, sic, Viuite fœlices, vt quibus est fortuna peracta Iam sua. Aut ordo sit, Viuite: fœlices supple enim sunt, quib⁹ est fortuna peracta Iam sua. Aut certe reciprocatio potuit esse in eo quod sublatũ est, vt sit, Viuite fœlices, quibus est fortuna peracta Iam sua, non poterunt non dicier esse beati, &c.

Prima causa cur Sui & Suus abutamur, pro Eius vel Ipsius vel Illius. CAP. V.

VErum hîc quispiam, neque hac mea ratione cõtentus, neque Prisciano satis fidei habens, aget nobiscum authoritatibus, opponétque Virgilianum illud,

Tum breuiter Barcen nutricem affata Sichæi:
Nanque suam patria antiqua cinis ater habebat.

Quod haud dubie illi simile est, Seruus suus ministrat mihi, siue seruum suum vidi, & cætera quæ protuli paulo antè per omnes casus exẽpla. Vbi, etsi abest ad quod referatur suus, id tamen subauditur. nemo enim dicit suus, nisi de eo cuius habita sit mentio: vt si roganti, Vbi est Titus? respõdeas, Nescio, seruus suus est hic, vel seruum suum vidi. In quo si solœcismus est, & in versu Virgiliano sit necesse est. Sin in hoc non erit, falsò ait Priscianus in illo esse. Quid igitur ad hoc dicemus? Si Virgilium damnamus, tantum virum, & poetarum Latinorum longe principem, quis ferat? & nõ eius authoritatem qualibet ratione potiorem existimet? Sin Priscianum: iam omnis huius rei ars subuertetur, nullámque, aut superuacuam maximorum authorum fuisse dicamus obseruationem oportet. Ego etsi video Priscianum (si modo animaduertit) hoc dissimulasse, tamen ipse non dissimulabo, aut iam non dissimulaui potius. quippe qui superioribus exẽplis simile esse confessus sum. Sed vel poeticam licentiam excusandã reor, vel operis imperfectionem. Etenim credere libet Virgilium quum talem quendam versum faceret,

AEneid. 4. Nanque suam patria liquerat tellure sepultam:

impeditum prima syllaba verbi longa, mutasse formam dicendi, atque ita in solœcismum (si dictu fas est) incidisse. An non illud huic ex superiore libro, etsi non persimile, tamen non dissimile prorsus est?

AEneid. 3. Viuite fœlices, quibus est fortuna peracta

Iam ſua. pro veſtra, poſitum eſt ſua. Quòd ſiquis dicat poſitum eſſe pro propria, rectéque hoc dici, vt id recte diceretur,

Viuite fœlices, quibus eſt fortuna peracta Iam propria:

hic nihil dicit, quum ſuum etiam pro proprio acceptum naturã tertiæ perſonæ non mutet, nemóque ſic loquatur, Eſt mihi aut eſt tibi ſuus ſcribendi mos: quũ tamen dicamus, eſt mihi aut eſt tibi proprius ſcribendi mos. Nã in illo hui⁹ eiuſdẽ poetæ verſu, AEneid.6.

Quiſque ſuos patimur manes: non refertur id ſuos, ad primam perſonam, quia ſic reſoluenda eſt oratio, nos patimur manes, ſed quiſque noſtrum ſuos. Eiuſmodi paſſim reperiuntur exempla: vt Quum in bibliotheca nos ad ſuum quiſque ſtudiũ libros euolueremus. Nempe quum libros euolueremus, & ad ſuũ quiſque ſtudium illos euolueret. Non eſt autem huic Virgiliano de quo diſputamus, Ouidianum illud ſimile,

Reſpice Laerten, vt iam ſua lumina condas: vbi nonnihil rationis eſt, quod vtrũque verbum eidem ſuppoſito ſeruit. Hæc igitur Virgilii authoritas (& ſiqua ſunt eiuſmodi apud alios loca, quorum nonnulla poſterius attingam) prima extitit cauſa (vt iam cauſas enumerare incipiam) vulgaris erroris. Epiſt.1.

EPITOME.

Secunda cauſa eſt, quia multi libri corrupti ſunt, ita vt nos authores erraſſe putare poſſemus: cum in ſcriptoribus ſit error. Quæ res effecit vt non ſolum reciprocatione abutamur, aut eam perperam omittamus: verũ etiam encliticam coniunctionem non ſuo loco ponamus, vult enim ſemper poni in fine. poteſt autem poni in medio: ſed non in ſolo. vnde ineptus eſt verſiculus ille,

Dant duo bos, impos, compos, cuſtóſque, ſacerdos. qui aptior eſſet, ſi more Virgiliano hypermetrum feciſſet ſic, ſacerdóſque, &c.

Secunda eiuſdem cauſa. CAP. VI.

Altera, quòd nonnullis in locis, ſiue hominum, ſiue temporum culpa libri corrupti ſunt. vt apud Ciceronẽ in Salluſtium, Quòd ſi iſtius vita memoriam vicerit, aliam patres conſcripti, non ex oratione, ſed ex moribus ſuis ſpectare debetis. Quem locum (niſi emendetur) non confido me expoſiturum. Atqui ſe exponere poſſe confidunt, vt in tota ſententia, ſic in verbo ſuis, quid ratio poſcat non reſpiciũt. Nec ſolum communis eſt huiuſmodi menda librorum, ſed etiam priuata in ſuis cuiuſque codicibus. Nec aliunde factum eſt vt Que encliticam quidam præponãt (quorũ ſunt Ebrardus & Alexander) niſi quòd Virgilium male legunt: vt in illo verſu,

Se ſatis ambobus Teucríſque venire Latinis. pro Latiníſque.

EPITOME.

Tertia cauſa eſt, quia ſæpe non reſpicimus quomodo accipiatur ſuus, aut quo referatur reciprocũ: atq; ita putam⁹ malã eſſe reciprocationẽ vbi bona eſt. Vt AEn.1. En Priamus, ſunt hîc etiã ſua præmia laudi. vbi ſua, nõ refertur ad Priamũ, ſed ad

laudi, id est virtuti sunt sua, id est propria & debita præmia, sicut cum dicitur, dicā suo ordine, id est proprio & debito. quam rem pluribus exemplis declarat litera.

Tertia causa. CAP. VII.

ATque hæ quidem causæ citra nostram forsitan culpam sunt. Totidem autem quæ sequuntur, nobis vtique assignandæ sunt, nonnihil ex duabus superioribus alimenti sumentes. Prior, quando nō præuidemus quo referatur hoc pronomen, quadā ambiguitate decepti. vt apud Virgilium,
En Priamus, sunt hîc etiam sua præmia laudi. Et apud Quintilianum, Itaque accedam in plerisque Ciceroni, atque in iis ero quæ indubitata sunt breuior, in quibusdam paulum fortasse dissentiam. Nam quum etiam iudicium meum ostendero, suum tamen legentibus relinquam. quasi id suū de Cicerone dicatur, non de legentibus. Et alibi dum idem author cur Ciceronis exēplum contraxerit, inquit, Quæ quia erant longiora, nō suis verbis exposui: suis acciperent plerique pro Ciceronis, quum sit accipiendum eo modo quo illud, exponam altercationem nostrā suo ordine, ac suis verbis. Idem quoque in primitiuo contigit, vt apud eundem, Nam & de filio nihil aliud perdiderat misera, nisi dies: nec iam timebat, ne ille quo fruebatur, mori posset planctibus lachrymisque (penè improbe dixerim) parcius vtebatur, nec sibi permittebat dolor lugere venientem. Nam id sibi ad dolorē refertur, nō ad matrem. Permulta sunt huius generis exempla, in quibus errandi ambiguitas est causa, ex quadā rei similitudine nobis labantibus. vt quia illud bene dicitur, Adolescēs assidue à me increpatur, obiurgatur, castigatur, hoc suis non placet: videatur & hoc bene dici, Adolescentem assidue increpo, obiurgo, castigo, quod suis nō placet: quod ipsarum statim iudicio auriū probabile est. Hoc autem secus & perinde est ac si dicas, me increpare adolescentem assidue, obiurgare, castigare suis non placet: nisi quis velit verba hæc actiua passiue resolui posse, & huius generis locum illum esse Ciceronis, Qui autem annus ei primus ab honorum perfunctione, aditum omnium consensu ad summam authoritatem dabat, is eius omnem spem, ac omnia vitæ consilia morte peruertit. Fuit hoc luctuosum suis, acerbum patriæ, graue bonis omnibus. Illud transeo, quòd in neminē nisi stultum cadat, vt hoc non intelligat, quale est apud Quintilianum, Tu prima docuisti sibi non parcere, potius quàm plus flere. vbi subauditur, illum, vt sit, Tu prima docuisti illum sibi non parcere, seu suis.

Lib.9.cap.4.

In sepulchro incantato.

EPITOME.

Quarta causa erroris est,quòd quia interdum indifferenter loqui licet,summósque authores locutos inuenimus, putamus perperam semper indifferẽter loqui licere,cum sit differentiæ ratio. Verbi gratia,indifferenter dicere licet, Omnes optãt quod sibi,& quod eis,aut ipsis vtile est. vbi videtur quasi duplex ordo.alter sic,Omnes optant sibi quod vtile est.alter sic, Omnes optant quod vtile est eis. quo modo in priore non liceret dicere eis,nec in posteriore sibi.Et in illo,Vt mihi ignosceret Tubero,cum de se eadem dicerem:si sic mutetur, Vt mihi ignosceret Tubero,cum eadem dicerem de se: non videatur apta locutio. Aptius tamen tunc reciproco vtimur, quando verbum quod reciprocationem fugit,non est tertiæ personæ: vt in Andria,Orare iussit si se ames hera,iam vt ad sese venias. vbi minus apte dicas, Orare iussit Pamphilum si se amet hera,&c. quia dubium sit an Pamphilus an hera sese amet.

Quando verò per inter loquimur, sæpe indifferenter & reciproco & non reciproco vtimur antecedente præsertim genitiuo,datiuo,vel ablatiuo:nõ autem nominatiuo vel accusatiuo,quo præcedente aptius sequitur reciprocum.

Vt litera declarat.Causa autem videtur,quia in plærisque exẽplis duplicia sunt verba,quorum alterum,reciprocum petit,alterum refugit potius.

Interdum tamen vbi vnum est verbum,indifferenter loqui licet, vtique non intercedente copula,quia ea intercedente nulla est reciprocatio.In cæteris si substantiuum pronominis respicit ad suppositum,dicẽdum est suus:sin ad appositum,sæpius illius aut ipsius,quàm suus.

Ad suppositum,vt Tuetur nos Deus propter suam clementiam:non eius.Ad appositum,Amamus Deum propter bonitatem eius.

Interdum tamen etiam ad appositum,reciprocum damus.

Vt Cæpi leonem in antro suo,& in antro eius.

Si verò apposito addatur adiectiuum,aut verbum,ad quod reciprocatio fieri debeat,vtemur ea.

Vt,Inueni leonem iratum ob amissam prædam suã.id est,quia amisit prædam suam.Scio neminem patienter ferre contemptum sui.

Quando verò suus,est substantiuum significans necessarios,familiares,aut propinquos:aut quando accipitur pro proprio,vix eo abuti possemus.

Vt Cõperi illum inter suos,aut cum suis.Nihil dixit locis suis,aut tẽpore suo

Quarta causa. CAP. VIII.

POsterior (quæ eadem quarta est) causa, quòd videmus indifferens esse,an quis dicat,omnes optant quod sibi vtile est, vel quod ipsis vtile est. Ille repetit quod suum, siue quod ipsius est. Quisque vult quod sibi, vel quod ei, siue ipsi expedit, prodest,conducit, placet. ídque apud summos quosque scriptores. Cicero pro Marcello, Multi dubitabãt quid optimum esset, multi quid sibi expediret. Idẽ pro Ligario, Legatus in pace profectus,in prouincia pacatissima ita se gessit,vt ei pacem esse expediret. Idem in Philippicis, Dicit enim siquis eorum qui prius se rogati essent grauiorem sententiam dixisset, in eam se iturum. Quintilianus in Milite Mariano, Neque ignorauit quæ manerẽt eum pericula. Dixi de is,dicam de ipse,addámque de ille.Cicero pro Rabirio,Nec enim cuiquam eius consilium vehemen-

tius, quàm ipsi displicet. Et in Officiorum tertio, Vas factus est alter, vt si ille non reuertisset, moriendum esset ipsi. Et in Officiorum primo, Homo qui erranti comiti monstrat viam, quasi de suo lumine lumen accendat, facit vt nihilominus ipsi luceat quum illi accenderit. Idem pro Marcello, Est verò fortunatus ille, cuius ex salute non minor penè ad omnes, quàm ad illum ventura sit, lætitia peruenerit. Quintilianus in Pariete palmato, Quapropter nō petit vt illum miserum putetis, nisi & innocens fuerit. Et in milite Mariano, Affirmo tibi C. Mari: non sic nuper repugnasset, si illum tribunus voluisset occidere. Adiiciam vnum de libris ecclesiasticis exemplū, de quibus postea locuturus sum, Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis, Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi In sanctitate & iustitia coram ipso. Aliquando videre licet vbi desyderes eum, ibi esse se: & rursus vbi se, ibi eum. Cicero pro Ligario, Atque hæc propterea de me dixi, vt mihi Tubero, quum de se eadem dicerem, ignosceret. Et per amphiboliam libro Officiorum primo, Nam negligere quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. Nónne licebat hîc dicere, quid de eo quisque sentiat, vt in illo eiusdem pro L. Sylla? Quid est huic quod eum in hac vita teneat? E diuerso alibi, Hic igitur Titus Ligarius qui tum nihil aliud egit, neque enim hoc diuinabat, nisi vt tu eum studiosum & bonum virum iudicares, nunc à te supplex fratris salutem petit. Vbi ego citius dixissem se, quàm in illo eiusdem ad Atticum, Subquerulas literas miserat, quòd quædam cōstituta à se rescinderem. quum non minus belle diceretur, quòd quædam ab eo siue ab ipso. Hanc eandem differentiā agnoscas interuentu præpositionis, sed magis in ipse quàm in is. Quintilianus quinto Institutionum, Nec libenter exemplum, quod in se fortasse recidat, facit. Idem in sexto, Quanquam aliqui reperiuntur, qui ne id quidem, quod in ipsos recidere possit, euitent. Sæpe duo hæc coniuncta reperias, vel nulla, vel aliqua interueniente præpositione, & præcipuè inter. vt Idem in decimo, Quum sit diuersa non earum modo inter seipsas conditio, sed in singulis etiam partibus causæ: síntque alia leniter, alia aspere, alia concitate, alia remisse, alia docendi, alia mouendi gratia dicenda, quorum omnium dissimilis atque diuersa inter se ratio est. Huius præpositionis & illa proprietas est, quòd nihil interest, an se, an in ipso vtaris, quum antecedit vel genitiuus (vt in proximis exemplis, & in hoc Tulliano, Nec mihi cæterorum iudicio videtur so-

lum, ſed etiam ipſorum inter ipſos conceſſu, ita tributum fuiſſe) vel datiuus, aut ablatiuus: vt apud eundem Quintilianum, Circa quem inexplicabilis & grammaticis inter ipſos & philoſophis pugna eſt. Et iterum, Nam in magnis quoque authoribus incidunt aliqua vitioſa, & à doctis inter ipſos etiam mutuo reprehenſa. Secus quoties antecedit nominatiuus, accuſatiuúſve, vt apud Ciceronem, Vt enim pulchritudo corporis apta cōpoſitione membrorum mouet oculos & delectat, hoc ipſo quòd inter ſe omnes partes quodam lepôre conſentiunt. Et iterum, Damonem & Pythiam Pythagoreos ferunt hoc animo inter ſe fuiſſe. Vbi ego non auſim dicere inter ipſas & inter ipſos. Nam illud ab hoc genere diuerſum eſt, quale apud Quintilianū, Nemo igitur dubitauerit, longe eſſe optimum genus Atticorum, in quo, vt eſt aliquid inter ipſos commune (id eſt iudicium acre terſúmque) ita ingeniorum plurimæ formæ. Hactenus exempla de Sui: nunc de Suus proferam. Cicero Officiorum (vnde modo protuli exempla) libro primo, In primíſque verſutum & callidum factum Solonis, qui (quò & tutior eius vita eſſet, & plus aliquanto reipublicæ prodeſſet) furere ſe ſimulauit. Et in eodem, Illa tamen præſtare debebit, quæ erunt in ipſius poteſtate. Rurſus in tertio, Quid Agamemnon? quum deuouiſſet Dianæ quod in ſuo regno pulcherrimum natum eſſet. Et in eodem, Piſcatores ad ſe conuocauit, & ab eis petiuit, vt ante ſuos hortulos * poſtera die piſcarentur. Inuſitatius in eodem, *poſtridie Quid dominus nauis, eripiétne ſuum? minime: non plus quàm ſi nauigantem in alto eiicere de naui velit, quia ſua ſit. Nec minus inuſitate pro L. Sylla, ſi modo ſyncera ſcriptura eſt, Sylla ſi ſibi ſuus pudor & dignitas non prodeſſet, nullum auxilium requiſiuit. Vtrunque probatur ex altero: illic quidem licuiſſet dicere, quo tutior ſua vita, & quæ erunt in ſua poteſtate: hîc autem quòd in ipſius regno, & ante ipſius hortulos, & quia eius illa ſit, & ſi ei ſuus pudor. Cæterum in iis teſtimoniis duplicia verba fuere. quid, vbi ſunt ſingula? Nempe idem fieri videtur: nec differre vtrum dicas, Cæpi columbam cū pullis ſuis, an cum pullis eius. Inueni turturem in nido ſuo, an in nido eius. Expuli leonem ex antro eius, an ex antro ſuo. Necaui lupam & catulos ſuos, an catulos eius, ſiue ipſius. Tuetur nos Deus propter ſuam clementiā, an propter eius ipſiúſve clementiam. Ante domum ſuam me inclamauit, an ante domum eius, ipſiúſve, & ſimilia. Ego verò ita ſentio, quum interuenit copula, non licere vti ſuus. quia nulla tūc eſt reciprocatio. Ideóque non catulos ſuos dicendū, ſed eius.

In cæteris, si substantiuum pronominis respicit ad suppositum, suus vtique dicendum : sin ad appositum, sæpius eius dici , siue ipsius,siue illius.Ad suppositum: vt, Tuetur nos Deus propter suam clementiam,non propter eius : quemadmodũ dicimus,tuetur nos Deus sua bonitate,non eius bonitate. inclamauit me ante domum suam,non ante ipsius : quemadmodũ dicimus, Eiecit me domo sua, non domo ipsius siue eius. Ad appositum: vt, Amamus Deum propter bonitatem eius:allocutus sum hominem ante domum eius, libentius dixerim, quàm suam . Item, Cæpi columbam cũ pullis eius:inueni turturẽ in nido eius: expuli leonem ex antro eius:nec tamẽ ratio obstat,quin & suo dicatur, ac ne authoritas quidem Ciceronis de repub. libro sexto, Itaque ego illum de suo regno, ille me de nostra republica percontatus est.Terentius in Adelphis,Suo sibi hunc gladio iugulo. Nisi siquod addatur apposito adiectiuũ, verbúmve ad quod fieri reciprocatio debeat.quod genus est,Inueni leonẽ iratũ,ac sæuiorem ob amissam prædam suã:Video columbã tristẽ in periculo pullorum suorum : Nosti illum minus suo q̃ suorum casu perterritum:Sentio hominem ambulantem per domum suam: nõ per domum eius. Item,Scio illum dolere fortunam suam.Et in primitiuo quoque : vt Opinor hunc agnoscere cõtemptum sui. Illud transeo,neminem posse errare quum suus est substantiuũ, vt eius,aut ipsius,aut illius vtatur:vt,Comperi illum cum suis,siue inter suos . quinetiã vix erratur quum accipitur pro proprio: vt,De hac re dixi suo loco, nõ ipsius : &,Referã hæc omnia suis locis,ac temporibus,non eorum.

EPITOME.

Ediuerso multi in reciprocatione posuerunt non reciproca:quorum quibusdam fuit errandi occasio, quòd viderunt apud Græcos genitiuum αὐτοῦ,id est sui aut ipsius, esse communem tam reciprocis quàm non reciprocis. Vnde incaute transferentes, nec attendentes apud Latinos esse discrimen,errauerunt, & multos in errorem traxerunt.

Causa cur Eius,Ipsius,Illius abutamur pro Suus. CAP. IX.

ATque ex iis quidem quæ commemoraui, nõ modo factũ est,vt multi pro eius, siue ipsius,siue illius,vterentur suus: verumetiam vt econtrario pro hoc illis abuterẽtur(de quo solœcismo nullam facit Priscianus mẽtionem) qualia sunt mea proxima exempla: vt Video columbam tristem in periculo pullorũ eius,vel columba luget pullos eius. & quale Donati grammatici(vt grammaticos potissimũ suæ artis admoneam,si modo

Donati grammatici libellus eſt de vita Virgilii, in quo alterius quoque generis vitia deprehendas) ait enim loquens de Virgilio, Voluit etiam eius oſſa Neapolim trāſferri, vbi diu & ſuauiſſime vixerat. Ac paulo pòſt, Tranſlata igitur iuſſu Auguſti eius oſſa (prout ſtatuerat) Neapolim, fuere ſepulta via Puteolona intra lapidem ſecundum, ſuóque ſepulchro id diſtichon, quod fecerat, inſcriptum eſt. Et iterum, Item rogauit, quo pacto quis altam fœlicémque eius fortunam ſeruare poſſet. Superius verò, Quod quum magiſter ſtabuli Auguſto recitaſſet, duplicari ſibi in mercedem panes iuſſit. Et alibi aliquoties ſibi vel ſuo pro eius, & eius pro ſuo vel ſibi. Verum è Græca quoque figura non minimum cauſæ acceſſit huic errori, id quod me pollicitus ſum oſtenſurū. Nam quum pro vno αὐτοῦ liceat dicere tum ſuus, tum eius, tum ipſius, tum illius (non tamen quodlibet ſemper) tardus aut indiligens interpres, quando hoc & quando illud competat, non diſpicit. Quo vitio in interpretatione quidē eccleſiaſticorū librorū omnes interpretes decepit lingua peregrina. Sed nos indigni reprehenſione, qui maioribus credimus: Illi verò digni qui maioribus ſuis credere noluerunt. Quo magis ex iis præcipue vitioſa à me ſunt exempla proferēda, vt errorem noſtrum, vbi fontem eius agnouerimus, deuitemus. quum tamen ex hoc nec cōtumelia vlla fiat libris eccleſiaſticis, Hebræa tātum aut Græca lingua loquentibus: neſcio an honor potius habeatur: nec magna eorū traductoribus, ſi modo dignitatis horum ratio habenda eſt, qui vel incerti ſunt, vel ignoti, vel inter ſe diſſidentes. Hoc mihi diſſimulandum non fuit, vel ob id, ne quis mihi iſtorum obiiceret authoritatē. In pſalmis igitur (quos Hieronymus certe nō tranſtulit) vbi pleraque huiuſmodi recte tranſlata ſunt, illud non recte, A gloria eorum expulſi ſunt. pro à gloria ſua. Et iterum, Qui exacuerunt vt gladium linguas eorum. pro linguas ſuas. Et iterum, Saturati ſunt filiis, & dimiſerunt reliquias paruulis eorum. pro ſuis. Et iterum, Perierunt propter iniquitatē eorum. pro ſuā. Neque verò me latet in quibuſdā codicibus recte legi, ſua, ſuas, ſuis, ſuam. Sed ego rem, non hominem noto. nec nō ibi, Et abſtulit ſicut oues populum eius. quod melius alibi legitur ſuum. ſicut ibi quoque, Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt prophetarum eius. alibi melius, Per os ſanctorum prophetarum ſuorū, qui à ſæculo ſunt. In his omnibus Græce eſt genitiuus αὐτοῦ, αὐτῆς, αὐτῶν, hic pluralis, ille ſingularis. Aliquādo etſi eius, ſeu ipſius, ſeu illius tolerari poteſt, tamē latinius eſt ſuus, vt in eiſdem pſalmis, Neque deſcendet cum eo gloria eius. pro

ſua.tametſi aliqui non legũt eius. Et iterum, Deſyderium cordis eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. pro ſui & ſuorum. Et iterum, Brachium eorum nõ ſaluauit eos. pro ſuũ. Et iterum, Benedicite domino omnes angeli eius, benedicite domino omnes virtutes eius, benedicite domino omnia opera eius. pro ſui, ſuæ, ſua. quale eſt illud in Apocalypſi, Opera enim illorũ ſequũtur illos. quod ego citius dixiſſem, opera enim ſua. Huius tamen generis non eſt, ſi interuenit verbum, ad hunc modum: Quòd pater non amarit te, ſiue patrem non amaſſe te, probat ipſius teſtamentum, potius quàm ſuũ, vt eſt apud Quintilianum libro primo. Quo modo & ipſum & Virgilium quoque ſcripſiſſe manus eorum docent. Nam in illo apud Pſalmos, Omnia à te expectant vt des illis cibum in tempore, dante te illis colligent. illis pro ſibi poſitum eſt. de ſecundo illis magis loquor, quod ſibi quoque trãſlatum inuenio. Suo autem pro eius (quod ſuperioris generis vitium eſt) illic, Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ſuo malignus. Et iterum, Si autem dereliquerint filii ſui legem meam. quãquam lego in quibuſdam editionibus vtrobique eius. Et iterũ, Anima autem mea exultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutare ſuo. Nam id ſuo, ad Dominũ refertur, nõ ad animam, quemadmodum Græce αὐτοῦ. at ibi neſcias an varietate gauiſus interpres ſit, an cõſilio mutauerit. Quoniam ſecundum altitudinem cæli à terra corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timẽtibus ſe. Et in eodem pſalmo paulo pòſt, Miſericordia Domini ab æterno, & vſque in æternũ ſuper timẽtes ſe: & iuſtitia illius ſuper filios filiorum his qui ſeruant teſtamentum eius. Et, Memores ſunt mandatorum ipſius. Pro his quinque noſtris, ſuam, ſe, eius, ipſius, illius, vnum eſt pronomen Græce αὐτοῦ, αὐτῶν, αὐτῆς. Idem quod modo dixi, quod num aſpiretur, nécne, non attinet dicere, vt taceam raris in codicibus pſalmorum reperiri hanc diligentiam. Nam cæterorum eccleſiaſticorum librorum in nullis adhuc reperi, nec eam (iudicio meo) ſatis exactam. Vter tamen ſermo melior, ſuper timẽtes ſe, an ſuper timentes eum? Lucis duntaxat gratia, ſuper timentes eum, vel ipſius interpretis teſtimonio, qui priorem quodammodo poſteriore correxit: niſi varietatis gratia id fecit. Huius generis ille quoque locus eſt, Stabunt iuſti in magna cõſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerũt. quòd ſi dixiſſet aduerſus eos qui ipſos anguſtiauerunt, obſcuritatem deuitaſſet. vt taceam quòd magis ad verbum etiam tranſtuliſſet.

EPITOME.

Sæpe autem per reciproca Sui & Suus, generatur amphibolia, id est dubia sentẽtia, dum nescitur vtrum respiciat reciprocatio: quæ vitabitur si pro reciproco ponatur (vbi fieri licet) is, ille, aut ipse: vt exemplis docet author.

Quomodo vitetur amphibolia in Sui & Suus. CAP. X.

ENimuero euitatur obscuritas hæc amphiboliæ per aliquod ferè trium pronominũ, Is, Ipse, Ille, quæ cum aliis duobus Sui & Suus, modo pugnant modo conueniunt, ritu Troianorum puerorum, vt est apud Virgilium, AEneid.5.

Et nunc terga fuga nudant, nunc spicula vertunt
Infensi, facta pariter nunc pace feruntur.

Mutaui modo se in ipsos, mutabo alio exemplo in eos, vt fecit interpres superius in Psalmo, si tamen mutasse dicendus sit. Cicero in Bruto, Is soceri instituto, quem (quia cooptatus in augurum collegium non erat) non admodum diligebat: præsertim quum ille Q. Scæuolam sibi minorem natu generũ prætulisset. Nam id sibi (vt Quintiliani verbis vtar qui eum notat) & ad socerum referri, & ad Fannium potest. Lib.7.cap.10. At si dixisset ei, de Fannio vtique locutus intelligeretur: aut si ipsi, aut si illi, sic, præsertim quum is Q. Scæuolam illi. Et ego quidẽ deuitare cupio amphiboliam. At Priscianus (cuius hoc erat * officii) quũ eam notat, *officium non modo id non facit, verũetiam in ipsam incidit paulo pòst, dum ait, Vel quũ transitum facit in aliquos sibi coniũctos. vt ille miseretur eorũ qui secũ viuũt, vel sibi parentiũ, vel secũ degentium, dat sibi fauentibus, incusat secum certãtes, & inuidet se indigentibus. Nam id sibi & id se (quũ tam pluralis sit numeri, q̃ singularis) quò referatur ambiguũ est. sed hæc amphibolia, in primitiuo est: illa quam ipse notat, in deriuatiuo, Rogat iste illũ ne suo noceat filio. Quasi verò nihil ad rem faceret, illud de Cicerone & Varrone, aliud ambigui protulit exemplum.

EPITOME.

Suus est illius seruus, aut doceo suum illius seruum, non dicemus. neque ab alio quàm à Prisciano vsurpatus est huiusmodi sermo.

Suus est illius seruus, & similia, male dici. CAP. XI.

IN quo etiam exponendo, quod in illo non fecisset, errauit, vt ad aliam quæstionẽ transeamus. Errauit enim inquiens, ambiguum cuius filio suo, istius, an illius. cuiusmodi est quod superius dixit, doceo ego vel tu suum illius seruũ. Et iterum, Suus est illius seruus. Et iterum, Suus illius, istius, ipsius hominis. Inque alia longe post materia, nisi substantiuis vel vocatiuis verbis adiũgantur, sicut & nomina, Meus es filius, meus vocatur seruus, tuus nominor parens, tuus est pater, suus illius sum

filius, ſuus illius es filius, ſuus illius eſt filius. Et aliquanto poſt nõ ſemel, quæ verba mox ſubiũgam, quorum Priſciani exemplorũ vnum eſt, Suus Virgilii verſus. ſimile illi, Vtrum Platonis an Ariſtotelis ſuum? Quod ſermonis genus (quantum memini) nuſquã inueni. eóque mallem aliena prompſiſſet exempla is qui hoc tradit, quàm ſua finxiſſet. Ad hoc probandum ea quoque facient quæ de coniuncta huic materia diſputauimus.

EPITOME.

Diſcretionis, vel abundantiæ cauſa non eſt addendum ſuus: additur tamen cum notat proprium. vt Suus eſt cuique mos, ſuus eſt Homeri vel Homero mos. Nõ autem quando poſſeſſionem, quale eſſet, ſuus eſt Homeri liber, aut filius. in quo ſuus, redundat. quod non idem eſt quod abundat, vt Priſcianus abutitur: qui pro innumeris tertiarum perſonarum vocibus, innumeras tertias perſonas eſſe dixit.

Suus neque diſcretionis, neque abundantiæ cauſa poſſe addi ad Ciceronis vel iſtius filius, ſed potius redundare. CAP. XII.

Iam verba, quæ modo promiſi me ſubiuncturum, vtrique atque adeò multiplici quæſtioni ſeruient, & idcirco prolixius recitentur, quæ hæc ſunt, Diſcretionis quoque cauſa, vel abundãtiæ ſolet cum genitiuo poſſeſſoris addi nominatiuus poſſeſſiui. vt Suus eſt Homeri mos: intelligitur enim non alterius. & Suus Ciceronis filius hæres eſt patris cõſtitutus. ſuus dicitur ad diſcretionem illius qui ſecundũ leges non eſt ſuus, id eſt ſub poteſtate patris legitimi non eſt. Quòd autẽ ſuus pro vniuſcuiuſque proprio accipitur, vſus confirmat. Virgilius Georg. I, Molles ſua thura Sabæi. Terentius in Phormione, Quot homines tot ſententiæ, ſuus cuique mos eſt. Sin autem in poſſeſſionem fit à poſſeſſore tranſitio, obliquis poſſeſſiui vtimur. vt Cicero miſeretur filii ſui, præbet ſuo filio, aſpicit ſuũ filium, potitur ſuo filio. Sin extrinſecus fit tranſitio in poſſeſſionem tertiæ perſonæ, ſufficit genitiuo vti ipſius poſſeſſoris, vt Miſereor filii Ciceronis, dono filio Ciceronis, accuſo filium Ciceronis. Licet tamẽ etiam addere poſſeſſiui caſus conſequentes, vel diſcretionis cauſa, vel abundantiæ: vt egeo ingenii ſui Ciceronis, benedico ingenio ſuo Ciceronis: & ſimilia. Illud quoque ſciendum, quòd quũ in aliis omnibus poſſeſſiuis liceat primitiui genitiuo pro omni eorum vti caſu, quod oſtendimus in hoc quoque poſſeſſiuo pronomine tertiæ perſonæ, quomodo in aliis tunc vtimur, quũ ipſe poſſeſſor aliquid agat in poſſeſſionem ſuam, & quum in aliam perſonam tranſitum oſtendatur facere pro ſua poſſeſſione: vt Amat ille ſuũ filiũ, & amat ſui filiũ: benedicit ſuo filio, & benedicit ſui filio: petit à me vt proſim ſuo filio, & vt proſim ſui filio.

Priſciani verba ex lib. 17.

Si ipſa tamen poſſeſſio in poſſeſſorem faciat tranſitionem, non eſt congruum vti primitiui genitiuo pro poſſeſſiuo: quia vim habet compoſiti Græci, vt Ciceroni redit ſuus filius: non ſatis commodè per hoc dicitur, Ciceroni redit ſui filius: nec, Ciceronem laudat ſuus filius, pro ſui filius, & ſimilia. quia nec apud Græcos bene dicitur, κικέρωνα φιλεῖ ὁ ἑαυτοῦ ὑός, niſi more Attico pro ſimplici compoſitum accipiatur. Et ſciēdum quòd quia primitiuum eius tam ſingulare quàm plurale eſt, licet in poſſeſſiuo & vnū & plures poſſeſſores eius intelligere, pro ſignificatione genitiui ad poſſeſſorem pertinentis. vt Suus illius, & ſuus illorum. nec mirum ſi per tranſitionem Romani vtuntur his pronominibus, Sui, ſibi, ſe, à ſe, & eius poſſeſſiuo, vt oſtendimus, necnon ſi ad coniunctionem Sui, ad alias etiam perſonas aliquid agat: vt Ille vocat me ad ſe, ducit te ſecum, trahit omnia in ſe. vel quum trāſitum facit in aliquos ſibi coniunctos: vt, Ille miſeretur eorum qui ſecum viuunt, vel ſibi parentiū, vel ſecum degentium: dat ſibi fauentibus, incuſat ſecum certanteis, & inuidet ſe indigentibus. Et videntur hæc omnia poſſeſſiuorum vim habere, & ſimilia, nec incongruè huiuſmodi conſtructionem habuiſſe. Quum Attici quoque ſoleant huiuſmodi compoſitis vti in conſtructionibus. Xenophon ἀπομνημονευμάτων primo, Ἀλλὰ Σωκράτης γ' ἔφη ὁ κατήγορος τοὺς πατέρας προπηλακίζειν ἐδίδασκε, πείθων συνόντας αὑτῷ σοφωτέρους ποιεῖν τῶν πατέρων. Quòd autem etiam genitiuo vel datiuo, qui loco ſit genitiui poſſeſſoris, bene additur etiam poſſeſſiuum (vt ſuprà diximus) non ſolum noſtrorum, ſed etiam antiquorum vſus comprobat. Virgilius in Bucolicis,

Et me Phœbus amat, Phœbo ſua ſemper apud me
Munera ſunt lauri, & ſuaue rubens hyacinthus.

Terentius in Adelphis, Suo ſibi hunc gladio iugulo. Plato in Timæo, μήτ' ἄρα ἀργύρειον μήτε χρυσίον μήτ' ἄλλο μηδὲν κτῆμα αὐτοῦ ἴδιον. Et (quod mirum eſt) hoc ipſum τὸ ἴδιον etiam primæ & ſecundæ adiūgitur perſonæ apud illos, vt Iſæus ἐν τῷ πρὸς Ευκλείδην, οὐκ ἂν τὰ ἴδια τὰ ἐμαυτοῦ: pro quo nos dicimus, meum proprium, & tuum proprium. Dicitur tamen etiam ſuum proprium illius, vt non putetur abundare ſuum, ſed indubitabilem diſcretionem ſignificare. Illud quoque notandum, quòd tertiæ perſonæ poſſeſſiuum ad innumerabiles (vt diximus) refertur perſonas. quippe quum ad omnia tertiæ perſonæ pronomina, & ad omnia nomina & participia poteſt referri, vt ſuus illius, ſuus iſtius, huius, eius, ſuus Virgilii verſus, ſua diſcentis diligentia. Primæ autem perſonæ poſſeſſiua & ſecundæ, non egent per ſe prolata adiunctione

alicuius genitiui, quum vim genitiui finiti in se habeant. quomodo nec suus eget genitiuo sui primitiui quem in se possidet, sed extrinsecus alterius vocis propter multitudinem tertiarum personarum. Præter rem fuerit hîc notare, quod ait, atque adeò innumerabileis tertias personas, quum tantum vna sit, sed huius personæ innumerabiles voces. Primū, aliud est Suus illius filius, &c. Aliud, Suus est Homeri vel Homero mos, & suus cuique mos. Et apud Catullum, Suus cuique innatus est error: quoniam hîc accipitur suus pro proprius, illic minime. Deinde nulla illic reciprocatio, quæ hîc est: quippe intercedente verbo inter suus & genitiuum datiuúmve: sic, Homeri vel Homero est mos suus, siue mos suus est Homero: cuique est mos suus, siue mos suus est cuique: cuique est innatus suus error, siue suus error est innatus cuique: Phœbo sunt semper lauri sua munera apud me, siue lauri sua munera sunt semper Phœbo apud me. De quo genere cōstruendi, posterius quid sentiam apparebit. Nā illud exemplum, India mittit ebur, molles sua thura Sabæi: inutile exemplum est, in quo nō accipitur sua pro propria: sed quomodo quum dicimus, Mittunt suos legatos, suos milites, suas naues, sua agmina. quo etiam modo accipitur in Terentiano exemplo, Suo sibi hunc gladio iugulo. quod sibi nulla nisi festiuitatis cuiusdā gratia additum est. nec ita cohæret cum hoc ablatiuo datiuus sui primitiui, vt fit in illis genitiuis, suus illius, suus Aristotelis, Platonísve, nullo pacto separabilibus. Nā si separes, iam alterum genus loquendi erit, de quo nō loquitur Priscianus hoc loco, suúsque significabit quod proprius. Separes autē interiecto verbo, ad hūc modum, Suus est illius mos, sua est istius natura, suus est Aristotelis modus, suum Platonis genus, suus est Virgilii versus, sua est discentis diligentia, sua docentis. Et sine verbo substantiuo, suus tenet dolor patrem, suus matrem. nec procul ab hoc abest Virgilianum illud,

Fessósque sopor suus occupat artus.

Quapropter non eadem (vt Prisciano placet) ratio dicendi, Suus est Homeri vel Homero mos, vsitatissimum loquendi genus, & suus Ciceronis filius, hæres est patris institutus. quod dici ratio vetat. Nam quòd ait, ad discretionem illius qui secundum legem non est suus, id est, sub potestate patris legitimi non est: nulla ratio est, nisi & doceat sic locutos esse, vel legum latores, vel principes, senatúmve, aut populum, vel prætores, vel iuriscōsultos: qui etiam definitum reliquerunt, qui sui dicātur vel hæredes, vel serui, nūquam hoc pronomen cum genitiuis huiusmodi copulan-

tes.Et(vt rationem quoque addam)ſuus hæres,ad eum cuius quis hæres eſt,refertur:ſicut ſuus ſeruus ad eum cuius quis eſt ſeruus. Vt ſi dicam,Nemo poteſt ſuum inſtituere hæredē ſeruū ſuum:& ſua tutela ad illū refertur cuius tutela eſt . nec aliter dicitur ſuus ad diſcretionē alterius,quàm meus,tuus,alienus.Quū ergo nihil agat ſuus,ſi apponatur ad Ciceronis filius, palàm eſt redundare, nō aliter quàm in altero exēplo, Egeo ingenii ſui Ciceronis,Benedico ingenio ſuo Ciceronis:vbi ſuus redundare non diffitetur Priſcianus,ſed pro redundantia dixit abundantia. Sanè abundantia interdū aliquid cauſæ habet,redundātia nihil.Nā quo dictionem, non dico abſurdam, ſed otioſam ac ſimilē membro quod integro corpori (veluti ſextus in manu digitus) adnaſcitur? quā ipſe quoque qui ait,tacitè reformidat,longe pòſt, quū de vocatiuis pronominū agit,inquiens, Itaque quanuis ad ipſam rerū naturam rectè videatur poſſe dici,ô ſue fili Euādri,& ô ſua vxor Euandri : vt ſi dicā Euandrie fili,& Euandria vxor,quū in hoc duæ tertiæ intelligantur perſonæ,poſſeſſoris & poſſeſſionis:vſus tamē deficit.Cur Priſciane vſus deficit?nēpe quia deficit ratio,atq; ipſa rerū natura:quoniā ſue & redūdat,& reciprocationē(quod ipſius propriū eſt)perdit.At tu vis addi etiā propriū,nec tamē tūc redundare ſiue abūdare ſuum, ſed indubitabilē ſignificare diſcretionē. Harum rerū(quū ratio tecum non faceret)ſi nulla vſpiam reperiebas exempla,tradere præcepta nō debuiſti. Si reperiebas,& illa debebas proferre:quod feciſſes(opinor)ſi reperiſſes.

EPITOME.

Suus autē,probari poteſt nō carere vocatiuo,licet in vſu nō ſit,quū vocādi caſui decēter cohæreat.vt Defendite Cæſarē ô ciues ſui.Quod tamē loquēdi gen⁹ mihi durū videtur,nec reciproco locus eſſe,quū aptius dixeris ô ciues eius.Sicut in nominatiuo Defendāt Cæſarē ciues eius.In paſſiuo autē ſic Defēdatur Cæſar à ciuib⁹ ſuis.

Suus non caret vocatiuo. CAP. XIII.

QVòd ſi vſus & vitandæ redūdātiæ,& cōſeruādæ reciprocationis cauſa reſpuit talē vocatiuū,ô ſue fili Euādri,quid faciet neutra obſtante iſtarum cauſarū?profectò vocatiuum oportet admittat,quū natura (Priſciano quoque teſtāte) nō refragetur.At quo pacto reperiemus nec redūdantem & reciprocum vocatiuū?id verò iā ſuperius oſtēdimus. Si enim illic,Benedicite domino angeli ſui, id angeli vocatiui eſt caſus, perinde ac ſi diceretur,ô angeli ſui.Et quale eſſet,Defendite,adiuuate,protegite Cæſarem vita periclitātem ô amici ſui, ô milites ſui,ô ciues ſui:quid ni vocatiuū ſuus habere dicendū eſt? Quòd ſi nulla huiuſcemodi reperiantur exempla , nec mirum , quia rarò ſit opus hoc ſermone:& ratio tā valida eſt,vt ipſa poſſimus eſſe contenti.

EPITOME.

Non ſolum per nominatiuum, ſed etiam per alios caſus loquimur, quando ad ſuum poſſeſſorem poſſeſſio tranſitionem facit,& non ad alium: vt, Ciceronis ſuum filium piget.

Non tantum per nominatiuum quale eſt, Videt illum ſuus filius, licere loqui, ſed etiã per alios caſus. CAP. XIIII.

SIcut in ea quæſtione quæ reliqua eſt ex Priſciani verbis, ſic paulo antè dicentis, Eſt tamen aliqua differentia in poſſeſſiuo tertiæ perſonæ, cuius nominatiuo tũm vtimur quando ad ſuum poſſeſſorem poſſeſſio tranſitionem facit,& non ad aliũ: vt Indiget illius vel Ciceronis ſuus filius: Præſtat illi vel Ciceroni filius ſuus: videt illum vel Ciceronem ſuus filius: bene meretur de illo & de Cicerone ſuus filius. Similiter paſſiua quæ à poſſeſſore ſolo fiunt, nominatiuum poſſeſſionis exigunt: vt, Amatur ab illo vel à Cicerone ſuus filius. Necnon tã nominatiuo, quàm aliis caſibus poſſeſſiui licet vti, quum poſſeſſorem oſtẽdimus extrinſecus facientem tranſitionem ad aliquam aliam perſonam pro ſua poſſeſſione. vt, Rogat me ille, vt ſuus legat apud me filius, & vt ſuus doceatur à me filius, & vt ſui miſerear filii, & vt ſuo donem filio,& vt ſuum ſequar filium,& vt ſuo potiar filio. Nam cur ad nominatiuum coarctat hanc regulam? An nõ hoc per accuſatiuum eiuſdẽ generis eſt? Piget Ciceronis ſuum filium, Rumor eſt Cæſari inſidiari familiares ſuos, Conſtat ſuum eſſe Homeri morem, Fugere Pompeium ſua intereſt, Fratris iam pigere incipit vxorem ſuam. Nam per accuſatiuum Latinius dici quàm per nominatiuum, ſic, Fratris iã incipit vxor ſua pigere, alibi docuimus. Cui ſimile eſt illud Quintiliani in milite Mariano, Nec ſi ſit vitæ cupidiſſimus, pœnitere eum facti ſui poteſt.

EPITOME.

Quoties propriũ nomen, pronomen, aut aliud ad quod fiat reciprocatio, præponitur cum verbo ſuo,& ſequitur aliud ſuppoſitum cum verbo: licet illi ſuppoſito addere SVVS, propter reciprocationem in priorem ſermonem: aut aliud pronomen, vt eius, illius, ipſius, propter ſecundum. Quando autem vnus tantum caſus ſine verbo præcedit, ſi ad ipſum fieri poteſt reciprocatio, nõ habet locum aliud pronomen. Exemplum prioris. vt, Ille aut Iohannes aut ſeruus tuus rogat te, vt ſuus, aut vt eius apud te legat filius. Exemplum ſecundi: vt Pythagoram venerabantur diſcipuli ſui: non, diſcipuli eius. Item, Quando per ablatiuum in deſignatione ſequelæ poſitum loquimur: indifferenter vtimur reciproco propter priorem partem,& non reciproco propter poſteriorem, quæ in ſuppoſitum ſeu verbum reſolui poteſt. vt, Beatus eſt ille, tot ſe vel tot eum amantibus.

Quædam reliquiæ præceptorũ, quando indifferenter, quando differenter vtamur his pronominibus. CAP. XV.

HArum porrò duarum Priſciani regularũ quas nũc ad literam ſubieci, in poſteriore licet pro Suus vti eius, ſiue ipſius,

id eſt genitiuo.vt,Rogat me ille,vt eius legat apud me filius,& vt ipſius doceatur à me filius.In priore non itẽ,quod ſuperius quoque ſignificauimus. Etenim(vt diuerſa promam claritatis gratia exempla)non auſim dicere,Pythagoram venerabantur diſcipuli eius,ſed ſui.'nec,Quẽque decet ipſius defenſio, ſed ſua,ſiue ſui. vt apud Valerium Martialem,

Et ſua riſerunt ſæcula Mæonidem.

Nam id quod in principio negaui ſub ſpeciem trãſitionis cadere,ſua quenque delectant, ſua cuiuſque ſunt, ſua cuique reddantur: iam admonuimus non poſſe mutare pronomen , quia tunc ſubſtãtiuum eſt.Illud autem ancipitis vſus eſt(quod in poſterum cõſulto reſeruaui) quoties per ablatiuum loquimur abſolutum. vt,Beatus ille eſt,tot ſe vel eum iuuantibus:poteſt iam ſecurè viuere tanta ſibi vel ei accedente hæreditate . Quo ingenere nonnunquam vſu venit,vt per ſe,non per eum vel ipſum vtique loquendum ſit.

EPITOME.

Quando autem ablatiui illi abſoluti cum reciproco præcedunt, non habet aliud pronomen locum. vnde nõ dicã,Tradito ei,ſed tradito ſibi puero, dicendi peritus ingenium eius in primis, naturámque perſpiciat. Sed quando in oratione ſimplici habente obliquum ad quem fiat reciprocatio,ponitur reciprocum ſuus,& ipſam orationem grammaticè conſtruere volumus:reſoluemus ſuus in is, ille,ipſe, & obliquum in eum caſum quem exigit dictio cui adhærebat reciprocũ . vt illud Senecæ, Sæpe in magiſtrum ſcelera redierunt ſua:reſoluitur ſic,Scelera magiſtri ſæpe redierunt in ipſum,aut in eum,aut illum.Quando tamen ſuus eſt ſubſtantiuum,non facile reſoluitur.vt hîc,Suum cuique ſoluatur:niſi dicamus ſic,Quod cuiuſque eſt,id ei ſoluatur.Præterea quãdo ſuus idem eſt quod proprius,difficillima eſt reſolutio:vt, Suus eſt Homeri mos,ſunt & ſua dona parenti,ſunt hîc etiã ſua præmia laudi.quarum orationum reſolutionem per circuitionem litera ponit quidem, ſed non approbat.

Quemadmodum in conſtruendo reſoluantur Sui Suúſque,in Is,Ipſe,Ille. CAP. XVI.

ET(quod mireris)ab ipſo Se,incipiẽdum, vt apud Quintilianum inſtitutionum primo, Tradito ſibi puero, docẽdi peritus ingenium eius in primis,naturámque perſpiciat.Non enim dixerim,Tradito ei puero,ſibi in ei mutato, aut eius & puero permutatis,ſic, Docendi peritus in primis ingenium pueri naturámque perſpiciat tradito ſibi eo . Sed magis hoc in ſuus permittitur, quàm in is, ob id quod ſequi vult illud in conſtructione . Ideóque reſolui in quodlibet trium (de quibus diſſeruimus) pronominum,is, ipſe,ille: tanquam affinitatis quodam aut conſanguinitatis gradu propinquorum . vt apud Senecam, Sæpe in magiſtrum ſcelera redierunt ſua. quod ita conſtruẽdum erit,reſoluendúmque, Scelera magiſtri ſæpe redierunt in eum, ſiue in

ipſum, ſiue in illum. Nonnunquam reſolui non poteſt, non modo quando eſt ſubſtãtiuum: vt, Suum cuique ſoluatur, ſua cuiuſque ſunt, niſi longa & perinde dura circuitione vtamur: quod cuiuſque eſt, ei ſoluatur: quæ cuiuſque ſunt, ipſius ſunt: ſed etiam quando accipitur pro proprius. vt Suus eſt Homeri mos, ſunt & ſua dona parenti, ſunt hîc etiam ſua præmia laudi. niſi & hîc circuitione vtamur, vt Mos Homeri eſt eius, dona parẽtis ſunt ipſi, præmia laudis ſunt illi. quod mihi non probatur. Eſt autem & alterũ per hæc ipſa tria pronomina reſolutionis genus: vt ſi dicas, Sæpe in magiſtrũ ſcelera redierunt ipſius, vel eius, vel illius: quale eſt illud ſuperius ex Quintiliano, Quo modo & ipſum & Virgilium ſcripſiſſe manus eorum docent. Reſoluamus enim, Sæpe ſcelera magiſtri rediere in ipſum, vel in eum, vel in illum: item quomodo manus & ipſius & Virgilii docent eos ſcripſiſſe. Sed hoc tranſeo & cætera, non tam natiua materiæ quàm adoptiua. Nam gratius facere ſcriptorem exiſtimo qui nõnihil quàm qui nihil omittit, ne ſaltem plus magnitudini voluminis quàm vtilitati legentium ſtuduiſſe videatur.

PERORATIO OPERIS.

HAEc habui Iohãnes, de pronominum Sui & Suus reciprocatione quæ dicerem. Cuius quæſtionis, tãtum abeſt vt timeam, ne quis tenuitatem facilitatémque inſectetur, vt verear, ne magnitudine potius ac difficultate deterreatur, & quidem (ſicut initio dixi) Labyrinthea. Etenim me quoque iuuat ad eius finem, velut ad exitũ Labyrinthi perueniſſe illius Cretenſis (nam complures fuiſſe memorãtur) quem Virgilius idem alibi narrat,

Parietibus textum cæcis iter, ancipitémque
Mille viis habuiſſe dolum, quà ſigna ſequendi
Frangeret, indeprehenſus & irremeabilis error.

Verum non eſt cur ego iam verear iſtam legentium (ſiqui modo hunc libellum legent) deſperationem. Nanque omnem quæ antea erat difficultatem, vt illis demerem, ipſe ſuſcepi: vniuerſáſque ferè ſcrutatus cæcæ domus ambages de Labyrintho vt amphitheatrum facerem elaboraui, quale in media vrbe viſitur à Veſpaſiano extructum, aut quale Puteolanum, Campanúmve, aut Veronenſe (nam eiuſdem exempli ſunt plurima) mille vias illud quidem habens, ſed ſine cæcitate, ſine dolo, ſine errore, aut (quo magis è vicino ſimilitudinem ſumam) quale ſummi pontificis palatium, quod proximè Nicolaus quintus ex confuſo &

Labyrintheos anfractus habente augustissimum reddidit: non tamen aboletis eorum titulis, qui illud ædificarant, exornarántq;: sed reparatis atque magnificentius restitutis: vt nō immeritò veteres summi pontifices (siquis illis harum rerum sensus est) huic plus quantum ad ædificationem pertinet, quàm sibiipsis debere fateantur, à quo ædificante plus ornamenti acceperunt. Factum haud dubie omnium palatiorum magnificētia præclarius. Cui nonnihil nostrum fortasse conferri poterit, qui priscorum authorum (quantum in nobis est) restituimus reparauimúsque dignitatem. Sed quid demens ago, qui meum cum illius opere coner vlla ratione comparare? Casam cum regia, tophum cū marmore, æs cum auro, literulas cum excellenti virtute ac singulari sapientia, præsertim quum opusculum hoc non ausim edere nisi prius ab eo comprobatum, optimo literarum cēsore, nō solum literarum præside ac principe. Est enim ille, vt semper antea doctrinarum omnium cultor censórque, ita nunc non modo Romani pontificatus ac Romani imperii, verumetiam Romani eloquii moderator & princeps. Quæ tria cuinā post homines natos affuisse dicemus? id est ad duo priora, hoc tertium accessisse. In primis curam gerendi, vt quum omnis doctrina, tum verò lingua Romana (quæ vsitatius Latina dicitur) cunctarum doctrinarum seminarium coleretur & cresceret. res profectò (si verè æstimemus) maioris laudis, quàm cætera. Siquidem illa ad nos aliorum iudicio & interdum inuitos deferuntur, hoc nō nisi iudicio nostro studióque contingit. Illa nonnunquam parū recte administrantur, hoc non video quemadmodum non recte queat administrari. Illa huius operam atque opem desyderant, hoc etiam vt illa non assint, per se potest esse contentum. Itaque ego Nicolaum quintum, tum propter alia summum hominem iudico, tum verò propter id, quòd non tantum cultor est sapientiæ, sed plurimos etiam cultores efficit: haud iniuria comparādum censeo choro musarum (siquæ vnquam musæ extiterunt) quæ & sapere ipsæ omnia, & nobis ad capessendam omnem sapientiam authores esse creduntur. Ab hoc igitur Iohannes, cuius tu intimus es (vt ad nos reuertar) oraculum posces, nunquid hic liber tibi dedicatus, editione sit dignus.

LAVRENTII VALLENSIS IN ERRORES ANTONII RAVDENSIS ANNOTATIONES, AD IOHANNEM LVCINAM ALFONSI REGIS SECRETARIVM.

NTELLEXI IOHANNES,CVM ALIAS NON-
nunquam, tum verò in præſentiarum accidere
1 ſolere,vt quædam agamus inopinati: vt quæ vo-
luimus,nolimus,quǽque rata habuimus (vt in-
quit Terentius) irrita, vt quæ facta ſunt, infecta
cupiamus.Quem enim caſum exiſtimaſſem ita ferre poſſe,vt in
amicum,in familiarem, in eum quem libris ornaſſem, ſcribere
aut cogerer,aut deberem,aut vellem? Etenim (vt alia neceſſitu-
dinis ſigna prætercam) inter me & Antoniū Raudenſem, quid
magis oſtendi potuit, quàm quòd in libris de vero bono partes
ei (vt ſic dicam) cenſorias tribui,defenſionémque religionis?vt
non plus in libris de Republica tribuerit aut Scipioni Cicero,aut
Socrati Plato.Eū nunc quibuſdā in locis operis ſui cogor refel-
lere & carpere, quē laudaui. Poſtea dicā,cur debeam velímque.
Teſtor mi Iohannes,mutuam noſtri charitatē,& ipſius amicitiæ
ſanctiſſimū numē,me tibi rem geſtam enarrare,candidam,atq;
ſimpliciter,nullo admixto mēdacio: quod quū per ſe obſcœnū
eſt,tum verò quoties non ſui defendendi,ſed alterius accuſandi,
calumniandíque gratia adhibetur. Cum eſſemus nuper Baroli,
Raudenſianus codex Mediolano miſſus,regi dono datus eſt:quē
Iohānes Alzina,quaſi alter hoc ſeculo Mecœnas, cū tranſcribē-
dum curaret,mecum egit (eram enim tunc eius contubernalis)
vt ſiqua in parte diſſentirem ab illo opere,ſubnotarem. Cui ego
ſiquid diſſentirē, id me in opere de elegantia tradidiſſe reſpondi.
præterea nolle cōmittere vt,dum amico morem geram,amicū
alterum lædam. Tum ille, Non vacat mihi (inquit) nec per tot
occupationes licet multa euoluere, & tuū cū iſto opere cōferre.
Ad hoc, multa hìc ſunt, quæ in illis libris fortaſſe, vt minuta tu
quídem,ſed tamen multis vtilia omiſiſti,præſertim Iohāni meo
filio vnico:cui hanc rem non minus,quàm mihi proſpicio ado-
leſcenti (vt ex epiſtolis ſuis iudicare potuiſti) ſtudioſo, acuto,di-
gnóque,qui in imitandis libris minime fallatur. Nam quòd de
amicitia lædenda videris vereri,neq; has annotationes alius præ-
ter filium leget:& ſiquādo fortè quis leget,has tuas eſſe profecto
non diuinabit, vtpote nullius nomine ſcriptas. Hæc ille cū dice-
ret,magis hominis mouebat authoritas,quàm ratio: magíſque
iuberi videbar,quàm rogari.Trāſcurri itaque opus pauculis ad-

modum diebus, annotãs penè inuitus,siquid fortè reperiebam. Cum autem ad vocabulum omnis peruenissem,méque illic,etsi non nominatim,tamen aperte reprehendi animaduertissem, nõ exiguã sanè bilem,vel criminis,vel accusatoris indignitate cõtraxi: intellexíque famæ meæ, quæ à falsis amicis in discrimen adduceretur,esse succurrendum.Neque id ob hunc tantummodo locum, sed ob vniuersum de Latinitate & elegantia opus,quod ab isto damnatum,& ideò illius post nostrum fuisse cõpositũ, aliqui non admodum prudentes fortassis opinarentur.Quo factum est,vt non tantum necessariò, sed etiam iuste ad hanc rem libenter descenderẽ,nollémque ea re illum à me vnquam fuisse laudatũ.Huc accesserunt tertio loco literæ tuæ,quæ non modo, vt opus vni conderem,sed vt omnibus etiam ederem,induxerũt quodam profectò miraculo.Siquidem scribenti mihi Raudensianas annotationes, illæ sunt redditæ cum degustatione quadã operis ipsius,cúmque hoc tuo (vt sic dicam) elogio.Vidẽtur nãque copia multa abundare, sed non radicem attingere. Confer tẽpora quibus tuæ literæ ad me datæ, quibúsque rex Baroli, seu Foggiæ erat.id est quando codex ille regi donatus est,& vnà reperies atque eadem fuisse:ne dubitare deberem id aggredi,quod tot causis aggrediendũ esse diuina voluntas (vt interpretor) demõstraret. Nam prima quidẽ causa vehemẽs ac necessaria erat, sequens verò honestissima, tertia autem perpensissima & quasi cælesti nutu commẽdata. Etenim quum tuo amori nihil denegare possim,tum literarum ipsarum,quas tã longinquo terrarũ tractu misisti (vt dixi) miraculum, ita obstupefecit pectus meũ atque penetrauit,vt non modo facerẽ quod postulabas,verũetiã ipsum tibi potissimũ opus inscriberem.Facio tamẽ fortassis imprudenter,qui antea librũ inscribo,quàm sciam, an editione, & (quod pluris facio) an te tã docto & exculto viro sit dignus. Sed veritus sum ne quod elegãtiis accidit,id huic libro accideret.Cũ enim illas ad nullũ scribo, sed ad te,atque ad Iohannẽ Aurispã cognoscendas mitto, te absente Aurispa publicauit, vt iam post infinita exempla, vix ausim eas ad aliquẽ scribere: sed quia tu & suades & hortaris,faciã,propéque diem,quia inemendatæ sunt, vt ais,ad te emendatissimas mittam,qui non sines (vt alter fecit) ab indoctis librariis corrũpi.quod Quintilianus intelligẽs,misso ad Tryphonẽ opere,inquit, Multum autẽ in tua quoque fide ac diligẽtia positũ est,vt in manus hominũ quàm emẽdatissimi veniant.Hoc cur tã sapiẽs author dixisset,quòd tantũ in aliena fide ac diligẽtia reponeret, nõ antea quàm meo doctus experimẽto,

didici. Tu tamen nõ minus in me & fidelis & diligẽs eris,quàm Trypho in illum fuit: & interim volui hoc opus anteuertere, vt literis tuis non tã reſpõderẽ,quàm parêrem.Hoc tamen teſtificatum à me volẽs,quo viris bonis ſatiſfaciã,qui amicitiã ſanctè inuiolatéque vſque ad extremũ ſeruandam putant, inter me ac Raudenſem,paruã ſanè familiaritatẽ interceſſiſſe, paucíſque diebus cõſuetudinẽ fuiſſe:nec eã vnquã epiſtolis nos mutuis cõfirmaſſe,vt ipſe ex iniuria mei magis ingratus,quàm violator amicitiæ eſſe videatur: & ego me defendẽs,magis beneficii mei perdidiſſe rationẽ,quàm amico laceſſenti non peperciſſe: & laudem, quã illi tunc tribui liberalius,vt fieri ſolet, benigniúſque cõceſſiſſe,quàm nunc in eo notando inconſtantiæ crimen incurriſſe.

QVantopere ſit elegans Raudenſis noſter, & quàm decuerit eum de eloquentia ſcribere, vel procemiũ ipſum teſtimonio eſt,cuius tres tantũ ex principio verſus conſideremus.ſic enim incipit. RAVDENSIS.Puto erit operæpretium his,qui eloquentiæ,humanitatíſque ſtudiis videntur aſpirare,& librorum copiã quaſi nullã habẽt,quos lectitare poſſint,vnum hũc pro omnibus,quem ſæpe legant,ſcrutentúrque.

I. Sæpe te legemus Raudenſis,omiſſis aliis,ſi eloquentes euadere volumus.Nõne ingrato animo in veteres,atque impio es, qui vel clàm, vel palàm nos adhortaris ad negligẽdos omnes aliorum authorũ libros?At non loqueris de iis,qui librorum copiam habẽt:ergo tu talibus nihil ſcribis. & quibus nulla ad aſſequendã perfectam eloquentiã adiumenta deſunt,iis tuum opus non prodeſt,ſed pauperibus tãtum,vt in te Ouidianum illud de arte amãdi aptiſſime cadat,Pauperibus vates ego ſum,quia pauper amaui.At quantum prodeſt pauperibus opus tuum,vnde per illud in ſummum facundiæ faſtigium perueniant? Si ita eſt,etiã diuites iſtam viam tam expeditã ingredi mallent, quàm ſe per multiplicem lectionẽ fatigare. ſin in faſtigiũ hoc modo peruenire nequeũt, nõ video quid proſis vel diuitibus,quibus obſtas, ſi te contenti ſunt,ne in ſummũ, quò cupiunt,euadant:vel pauperibus,qui quò per te euaſuri ſunt, neſciunt:quibúſque & ipſis ſpem,atque adeò animũ eripis, aliquãdo vlterius euadendi,quũ præſertim nemo ſit ita pauper,vt ſe quandoque diuitẽ,aut certe meliori fortuna fore deſperet. Quid ais, vnus iſte pro omnibus libris ſatis eſt?cur ergo multis in locis legẽdos alios eſſe vis,legíque iubes ac precaris?I nũc,& iacta tãtopere librũ tuũ.Et vnum librum appellas,vt nos nomine ipſo circunuenias,qui verboſior

est,quàm duo & quadraginta Varronis,rerũ humanarũ ac diui narũ libri,& eum De imitatione inscribis,ide qua quæso imitatione? Vniuscuiusque enim artis est imitatio.Hoc tibi quidẽ addere in mentem nõ venit.sed tamẽ intelligis de imitatione eloquentiæ.Quid igitur de hac ipsa re tibi credimus,posterius gloriãti?tu primus scribis,& nõ antè Quintilianus? tũ de omni imitatione in vniuersũ,tum de ea, quæ ad eloquentiã pertinet? Post quem aliquid de arte Rhetorica (nam imitatio ipsa,vt idem ait, pars artis est)scribere,hominis est artẽ oratoriã nescientis:quanquã nihil minus, q̃ de imitatione loquitur,opus hoc de imitatione titulum habẽs,quod author ipse sæpe legere,sæpe scrutari nos iubet:videlicet mysteria quædã in eo latent,quæ nisi scrutemur,inuenire nequeamus. Verũ quoniã hoc postulat Raudẽsis, agedum,scrutemur, an recte dicat,an secus.Et antequã de cæteris ordinẽ,id agamus,horum trium versuũ verba,sicut de sensibus fecimus:an imitatione sint digna,videamus. Ait,qui studiis eloquẽtiæ videntur aspirare.De latinitate & elegãtia videtur velle loqui Raudensis.At hoc nec elegans,nec latinum est.Siquidẽ dicimus aspirare rei,pro auxiliũ aliquod præbere deos. Virgili⁹, Aspirat primo fortuna labori. Aspirare ad rem,est propriè hominum,nec ferè nisi cum negatione aut interrogatione,quæ in negationem resoluitur:significátque ne spiratu quidem ac flatu proximum esse posse,nedum ore cõtingere quod cupit.vt Cicero sæpe,Ad hanc laudẽ aspirare non possunt.Et in Verrẽ actione prima,In eiusmodi re quisquã tam impudens reperiretur,qui ad alienã causam inuitis iis, quorum negotiũ est, accedere aut aspirare audeat?Quid quod ait,videntur aspirare,nõ autẽ aspirãt, quasi videantur, non sint aspirantes? Ait præterea quasi,pro eo quod est feré. de quo latius in elegãtiis diximus. His etiã pro iis posuit,cum alterum sit ab hic hæc hoc,alterum ab is ea id.Reliqua pergamus. R.A,ab,abs,præpositiones sunt:à quidem consonãtibus omnibus rectè præponitur,sed ab,rectissime liquidis.

Imitatio. *Aspirare.* *Quasi. Cap.13.lib.2.* *A,ab,abs.*

L.Estne hæc de imitando disciplina? Hæcne de eloquẽtia præceptio?An potius grãmaticæ,aut si vis elegãtiæ,quod tradere nõ oratoriæ est? Nã(vt ait Quintilianus) docere vim cuiusque verbi siquod minus vsitatũ incidat, multum infra rhetoris officiũ existimãdum est.At si oratoriæ artis esset,non & alii hoc præceperunt,quod se vnum Raudensis præcipere ait?Nunc videamus an recte præcipiat,quod certe non facit. Nam ab,non solũ duabus liquidis recte præponitur,r & l,sed etiã i consonanti. vt Virgilius,Ab Ioue principium musæ. Nullã verò aliarum cõsonan

tium amat. Abs autem nō ſolum t, præponitur, vt abs te: ſed etiā q, & forte etiā c, vt in libris de elegātia diximus. R. Cicero verò perſæpe ponit ex pro à vel ab. verbi cauſa, ſi illū imitari volueris, dices, Aliquid ex Pōpeio ſciam, id eſt à Pompeio. L. Omiſit Raudenſis, quia etiā dicimus è Pompeio, quanquam hoc ſimile illi eſt. & præterea de Pompeio: vt Cicero, Audiebā adoleſcēs de patre meo, id eſt à patre meo. R. Ablatiuo vtitur ſæpius Cicero terminato in e, q̄ in i. L. Quid ais? Nónne dicitur & à Cicerone, & ab omnibus, In illa infœlici pugna, potius quàm infœlice: Ab illo infœlici bello: In hoc fœlici certamine à potēti rege donatus ſum? Item ab antecedenti, à cōſequēti, à repugnāti. hoc mallem dixiſſes quādo ablatiuus regitur abſolute, tūc frequentius vſurpari e. vt Cicero, Afflāte fortuna, flante auſtro, nō flanti. Virgilius, Pluuia impendente recedunt. R. Inuenies tamen hoc vnū obſeruatum ab ipſo, vt ſemper ablatiuos cōparationis terminet in e, non in i: verbi gratia, diceret longiore via, non via lōgiori: proſperiore fortuna, non proſperiori, vt grāmaticuli noſtri dicunt. L. An non dicimus è contrario, ſic ſemper, à maiori, à pari eſt hoc argumētum? Melius igitur dixiſſes, Comparatiua cum iūguntur generi fœmineo ſæpius poſtulare e: in aliis generibus ſæpius i: vt Nūc viuimus meliore fortuna, commodiore valetudine ſum. Nam quòd ais Ciceronem dicere igni, non igne, quid mirum? cum ablatiuum habeat hoc nomen in i, potius quàm in e, ſicut febris, & ſimilia. Item pro vetere amicitia, dicendum eſſe pro veteri amicitia, non probas quod ponis. Nam recte dicā, In veteri tēplo, in veteri domo, de veteri vrbe. Vnde illa vrbs dicta eſt, à qua qui proficiſcuntur, de vrbe veteri proficiſcūtur, nō de vrbe vetere: & de ciuitate veteri, nō de ciuitate vetere mare intramus. R. Accuſare. L. Perduellis & Perduellio non idē ſunt, vt ait Raudenſis: cū perduellis vocetur hoſtis, perduellio autem crimē aut læſæ reipublicæ, aut læſæ maieſtatis, ſiue is qui ita læſit. R. Aduena. Deinde, inquilini non permanēt, ſed aduenæ ſic. Et iterū, Cōuena idem quod aduena. L. Inquilini non ſunt, qui non permanent, ſed qui in aliena & domo & vrbe habitant, aut ſaltē domo. Conuenæ qui ex diuerſis populis, gētibúſque in vna mœnia cōuenere, ſimúlque coaleſcūt. Multa omitto, quæ à me in elegantiis tractata ſunt. R. Aduocatus. Deinde, Et aliqui in meū patrociniū inciderūt, id eſt aduocati fuerūt. L. Non hoc dicit Quintilianus, ſed quòd ipſe cauſarū illarum fuit aduocatus, ſcribēdúmque eſt aliquæ non aliqui. Hoc eſt aliquæ cauſæ, non aliqui aduocati. R. Adulter. Deinde, Pellex id eſt adultera.

[Margin notes: Cap. 29. lib. 2. E. dc. ex. — Vide cap. 66. lib. 3. — Ablatiui in e & i vſus. — Cōparatiua in e & i. — Veteri. — Perduellis. Perduellio. — Conuenæ. Inquilini. — Vide lib. 4. cap. 54.]

Pellex. Vide ca.48. lib.6.

L.Pellex est fœmina,quæ corpus miscet cũ viro alterius,nõ autẽ meretrix,vt in elegãtiis dixi.improprie autẽ,ac præter naturã de puero dicitur concubino,illius qui vxorẽ habet.vt Cicero in Sal.Omniũ cubiculorum pellex, & idem postea adulter. Id est, puer lædebas alienas vxores, præripiens eis maritos, vt postea læsisti maritos,præripiens eis vxores. R.Affinis. L. Necessarii non affines tantum sunt,sed etiam amici, & quibus vti familiariter solemus,vt Cicero ait sibi cum equitibus Romanis necessitudinem esse. Tribulis autẽ non est (vt Raudensi placet) affinis, sed ex eadem tribu. vt, Romæ erant quinque & triginta tribus, apud Hebræos autẽ duodecim,tredecímve,& in ciuitate Aquileia nouem & viginti. R.Alacer. L.Non debet lettum scribi gemina t,vt Raudensis ait, sed lætum. nã diphthongo distinguetur à letum,quod mortẽ significat. R.Alapa. L.Non recte hæc duo nomina distinguit,alapam & colaphũ. Cum illud Latinũ, hoc Græcum sit. Ideóque per ph scribendum. nam sola Græca, & quædã Hebræa sic scribũtur. R. Ala,& pinna quasi idẽ sunt.

Necessarii. Tribulis. Lætum. Letum. Alapa. Colaphus.

L.Aut penna scribẽdũ est,aut errat noster author.Pinna enim acutum significat,vt ait Quintilianus.vnde pinnaculum templi, & pinnæ murorũ. R.Alicubi. L.Male exponit quoquã pro alicubi,cũ quoquam sit aliquo,id est ad aliquã partẽ locúmve.Alicubi verò,in aliquo loco . Itẽ male aliquo pro alicubi eadẽ ratione.Itẽ male alicũde pro alicubi,& necũde pro ne alicubi: cũ illud sit ex aliquo loco: hoc autẽ, ne ex aliquo loco. Item male necubi pro nullibi,cũ exponi debeat pro ne alicubi, id est vt nõ in aliquo loco . Quo in aduerbio vt hic præcipiendo labitur,ita quidã in vtendo,quorum nomina à me hoc loco proferri malignũ fortè videatur. Studiosi tamen inueniẽt,quod dico ratione. Nullibi autẽ an recte dicatur,Raudensis viderit. R.Aliqualiter.

Pinna. Pinnaculum. Quoquam. Alicubi. Aliquo. Necunde. Alicunde. Necubi. Nullibi.

L.Non diserte exponit author nonnihil pro aliqualiter,cũ deberet exponere pro aliquantulũ.Aliud enim est quantum,aliud quale:sed nec Latine dicitur aliqualiter,vel aliqualis,sed rustice, & barbare. R.Aliquod. L.Miror interdum huius authoris ingeniũ,qui nesciat differẽtiã inter aliquid & aliquod.itémque inter hoc vocabulũ,& quiddã ac quoddã.nã aliquid substantiuum est,vt Aliquid mirabile,aliquid boni: nõ autẽ aliquod mirabile, aliquod boni.RursusAliquod tẽplũ,aliquod ædificiũ:nõ aliquid tẽplũ,aliquid ædificiũ,quippe adiectiuũ est. Itẽ quiddã pulchrũ, quiddã boni,nõ quoddã.rursus quoddã tẽplũ, quoddã volumẽ: nõ quiddam:cũ illic sit substantiuũ,hic adiectiuũ.Præterea hæc duo siue pronomina, vt Donatus vult: siue nomina, vt Priscia-

Nonnihil. Aliqualiter. Aliqualis. Aliquid. Aliquod. Quiddam. Quoddam. Aliquis. Quidam.

nus,sic differũt:vt illud superius significet rem incertã,posterius rem certã:vt Aliquis vidit me fugiẽtem:id est,vnus quisquis ille sit,etiã si nõ vnus,sed multi fuerunt.At quidã vidit me fugientẽ. videlicet vnus,quẽ ego scio,& quẽ ipse cognoui. Illud cũ negatione fit vniuersale ferè: vt Nõ vidit me aliquis fugientem. id est nullus me vidit.hoc nõ fit:vt, Nõ vidit me quidã fugientẽ,perinde est,ac si dicerẽ,Scipio nõ vidit me fugientẽ.sed hæc latius in dialecticis nostris. Vllus idẽ est quod aliquis,vt in eodem opere praecepimus: sed hac differẽtia,quòd nunquã vsurpatur, nisi aut cũ negatione,aut interrogando, aut dubitando, aut nesciendo. vt Nõ est vllus beatus in vita. éstne vllus beatus?dubito,nesciòq;,an sit vllus beatus in vita. R. Aliquando. L. Aliquoties,etsi raro apud Ciceronem, tamen reperitur,vt pro Quintio, M. Iunius,qui hanc causam aliquoties apud te egit. Multotiẽs nescio an vsquam repererim,sicut nec pluries,nec nullatenus, dũtaxat vsitate. R.Amicitia inter bonos,fautio inter malos,à fautor.vnde fautiosus fautiosa fautiosum.Sallustius inquit,Amicitia inter bonos,fautio inter malos. L. Factio dixit,non fautio.vnde & factiosi dicuntur, vt sunt in Hispania principes Bandorum, & Genuæ capellatii dicuntur.Hoc vocabulum Augustinus de ciuitate Dei exponit. R.Animal.Deinde,Pullus est animal quodlibet nouellæ ætatis. L.Imò pullus est fœtus vel auium, ouáque parientium, vel animalium non ferocium.Neque enim pullus dicitur leunculus,sed catulus leonis,vrsíve. Ceruorum verò, caprarúmque,ac capreolorum,similiúmque dicitur hinnulus.Camelus falsum est per geminum l scribi.interroga Græcos vnde vocabulũ hoc fluxit. R. Antiquus.Deinde,Situs est antiquitas. L.Imò sordidus quidã humor in locis opacis & incultis, adhæres parietibus,vel solo,vt in elegãtiis dixi. R.Appodiare. L.Hoc verbũ nusquam inueni. R.Apotheca. L.Ergasterium,& ergastulũ, nec idem sunt,& neutrum verè exponitur. Ergasterium nescio an apud doctos inuenerim, nisi apud Gregoriũ, ideóque de eo non dicã. Ergastulum autem,est quasi priuatus carcer,vbi seruos dominus,vel vinctos,vel solutos noctu includit, quosdã etiã interdiu,vnde ad operas mane emittat.Apotheca est proprie vini,vt horreum proprie frumenti. Hinc Cicero in Philip. Apothecas vini obiecit Antonio.de taberna & officina dixi in elegãtiis.Tonstrina autẽ,nec taberna recte,nec officina dici potest, licet Raudensis officinam vocet. R. Appropriare. L. Improprium verbum est. R.Aptus. L. Vt plurimũ(quo aduerbio & Raudẽsis, & vulgo multi vtũtur) existimamus esse apud veteres

Vllus.
Aliquoties.
Multotiens.
Pluries.
Nullatenus.
Factio.
Factiosi.
Pullus.
Vide cap.71. lib.4.
Catulus.
Hinnulus.
Camelus.
Situs.
Vide lib.6. cap.25.
Appodio.
Ergastulum.
Apotheca.
Horreum.
Cap.44. lib.4
Tonstrina.
Appropriare.
Vt plurimũ.

non vsitatum. R. Aqua. Paulo post, Liuius ait, equos aquatum ibant & aquatu veniebant. LAV. Vbi istud Liuius dixit bone Raudensis? Sæpe ex te fingis testimonia, quæ alteri tribuis. Aquatu veniebat, barbare dicitur, vt in elegantiis disputaui. Aquatum ire, est ad capiendam aquam ire. R. Hydraula (vt in legibus inueni) est aquam in aulã ferens. L. Non occurrit mihi ad verbum locus quem Raudensis affert. Vitruuius verò pro machina quadam simili tympano, seu molẽdino accipit: simúlque pro instrumento musico, quod organa vocãt: licet propriè organa ex chordis constent. Nisi scriberemus potius hebraula, hoc est à sessione tibiarũ, quæ follibus inflantur. R. Acquirere. Paulopost, Vt pleniore obsequio demererer amantissimos mei. id est acquirerem, vel lucrarer. L. Si amantissimi mei sint, qui possum eos acquirere, ac lucrari? Et demereri, est merito aliquo sibi alios constringere. & hoc intelligit Quintilianus, cuius ea verba sunt. De hoc verbo dixi in elegantiis. R. Arbor sine fructu est, arbos cũ fructu. L. Quasi nesciamus arbos quod veteres dicebãt, in arbor esse mutatum, vt in aliis quibusdã, quod testatur Quintilianus inquiens, Nam vt Valesii & Fusii, in Valerios Furiósque venerũt, ita arbos, odos, vapos, etiã & clamos, id ætatis fuerũt. R. Arbusta etiam sunt poma syluestria. L. Imo sunt arbores multæ ad fructum consitæ, vt oliuetum, auellanetum, amygdaletum, vel vites arboribus applicitæ. R. Arbutum. L. Exponã ego apertius. Arbutus est arbor illa, quæ poma instar cerasorum, seu fragorũ fert. Arbutum verò, ipsum pomum. Arbor pyrus, non pyri, & idem in cæteris. R. Subter arborem salicem, & nõ salicis, & subter arborem ficum, nec dixit fici. L. Quid miraris Raudensis A. Gellium sic dixisse? quasi cæteri aliter dixerint, aut aliter dicere possimus. Ramũ enim aut surculũ, aut truncũ, aut radicẽ arboris dicimus, quia pars arboris est: arborẽ lauri non dicimus, sed arborẽ laurũ. quia laurus ipsa arbor tota est, nõ pars arboris. & ita in similibus. Mõtẽ Caucasum, nõ Caucasi: collem Ianiculũ, non Ianiculi: nisi foret nomen hominis. vt montem Auentinũ, & montem Auentini: Auentinum quidẽ, quia hoc nomen mõtis: Auentini verò, quia rex ibi Auentinus sepultus est, & quasi nunc locum illum possidet. Item vrbem Mediolanum, vrbem Placentiam, vrbem Romam: non autem vrbẽ Mediolani, Placẽtiæ, Romæ, nisi forte apud poetas, vt vrbem Pataui, apud Virgilium. Cicero in Verrem actione quarta, Vt ex oppido Thermis nullum signũ, nullum ornamẽtum, nihil ex sacro, nihil ex publico attingens. Sallustius, Vrbẽ Romã sicuti ego accepi, &c.

Supina in u. Aquatũ ire. Hydraula. Organa. Demereri. Cap. 99. lib. 5. Arbos. Arbusta. Arbutus. Arbutum. Arbor laurus Mons Auentini. Vrbs Roma.

Ideóque rectius dicimus, Accepi literas ex vrbe Meſſana, veni ex vrbe Florentia, quàm ex Meſſana & ex Florentia. Neſcióque an probè dicamus ex Meſſana vrbe, ex Florentia vrbe. Itẽ prouinciam Macedoniam, non Macedoniæ: continentem Galliam, nõ Galliæ. Inſulam Siciliam, non Siciliæ : vt in oratione, quã apud Alfonſum habui, latius diſputaui. Item primũ diem Decembris, Calẽdas Ianuarii, Nonas Februarii, Idus Martii, nõ autẽ mẽſem Decẽbris, Ianuarii, Februarii, Martii: ſed menſem Decembrem, Ianuarium, Februarium, Martium. Dicimus etiã Calendas, Nonas, Idus Ianuarias, Februarias, Martias, & ita in cæteris. Quia adiectiua ſunt hæc nomina, non modo quæ ſunt ſecundæ declinationis, ſed etiam quæ ſunt tertiæ, vt Calendas Septembres, Nonarum Octobriũ, Idibus Nouembribus. Non mutant autẽ vocẽ hæc adiectiua à ſuis primitiuis, qualia nõnulla alia ſunt, vt Domitianus exercitus, id eſt Domitiani exercitus. R. Ilice ſub nigra, id eſt ſub quercu. L. Ilex multũ differt à quercu. R. Armiger. Paulopoſt, Argyroaſpidas, id eſt aurata argentata arma ferentes. L. Imo qui argentata ſcuta. R. Ars artis. ſed vt imiteris nota quòd Cicero, & qui imitantur illum, non vtuntur hoc vocabulo ars, ſed illud ſubintelligunt. Vnde Suetonius dixit, funariam exercebat, nec dixit artem chordarum. L. Hoc ego aliter ſentio. Nam ſi ſubſtãtiua ſunt, quid ais ſubintelligi artem? cum enim dico muſicam, geometriam, medicinam, nõ ſubintelligi neceſſe eſt artem. Sin verò adiectiua hæc, ſine ſubſtãtiuis eſſe nõ poſſunt, quare magis ſunt dicenda ſubſtantiua eſſe, & ideò non ſubintelligi artem, præſertim ea quæ artes dici non poſſunt, vt apud eundem in vita Cæſaris, Neve ii, qui pecuariam facerent? quod ſiquando artem experiamur adiũctam, dicamus tunc eſſe adiectiua. Sciamus tamen quædam non admittere ſubſtantiuũ, quia ſemper ipſa ſubſtantiua ſunt: vt Sutrina, fullonica, aurificina, architectonica, figulina, argẽtaria, ſi tamen argẽtaria ars eſt. Quædam ſine ſubſtantiuis non ſolere eſſe. An non dicimus artẽ ludicram, quæ eſt hiſtrionum? Artem armorũ, quæ eſt gladiatorum? artem ſtatuariam, artem tectoriam, artem amatoriam, artem gemmariam, vitreariam, purpurariam, & mille huiuſmodi? Illud verò bis barbare dictum eſt, artem chordarum, cũ chorda ſit muſicis apta inſtrumentis, nec ad funarios pertineat. Præterea dicendum erat, artem chordarum faciendarum, nõ artem chordarum, ſicut artem ſcalpendi marmoris, non autem artem marmoris. Quod autem attulit exemplum Quintiliani dicentis rhetoricen in Latinum transferentes, cum oratoriam, tum ora-

Ex vrbe Florentia.

Menſem Decembrem, nõ Decembris.

Ilex.

Argyroaſpidas.

Ars.

Pecuaria.

Artiũ ſubſtantiua.

Chorda.

tricem nominauerunt, miror quippe cum reprehendat Quintilianus eos, qui iis vocabulis vtebantur. Præterea transferebant illi vnum Græcum vocabulum in vnum Latinum. quod si subintelligi posset ars, non male dixissent oratoriam, aut artem oratricem. R. Aliptes. L. Non est medicus plagarum, sed qui augendis viribus, atque exercendis corporibus, vngendísque præcipue athletarum præsunt, artificio quodam præditi. R. Asper. L. Non idem est scaber & asper, vt ait Raudẽsis. Loricam enim contextam hamis, auróque trilicem, asperam appellamus, non scabram. Rursus scabram, si fuerit rubiginosa, & vngues scabros ac dentes vocamus qui sordidi sunt, etiam si non asperi tactu.

Aliptes. Asper. Scaber.

R. Astutus. L. Hoc nomen deductum ab ἄςυ Græco nomine, quod oppidum, vrbémque significat, non à Græco oppido, vt ait Raudensis. R. Scisti vti foro, id est astutus fuisti. L. Non planè vim huius prouerbii Raudensis exposuit, licet ego non legerim Donatum super Phormionem Terẽtii vbi hæc verba sunt. Nondum enim in manus meas author ille totus peruenire potuit. Ita à quibusdam tanquam sacer thesaurus, aut religiosum Palladium custoditur. Sed ita interpretor: Scire vti foro, quum forum significet locum illum amplum, vbi & causæ publicæ aguntur, vnde dicuntur causæ forenses: & res multæ, variæque venduntur, vnde forum boarium, forum holitorium: itémque forum Cornelii, forum Liuii, forum Iulii: erit huius prouerbii significatio, scire vel accommodare se ad mores iudicum, cæterorúmque hominum: nec opinioni illorum, studiísque aduersari, vel in rebus contrahendis cauere, ne fallatur, ne vendat, ematve, quod in alio foro melius, quàm in hoc venderetur, emereturve. R. Astrologia. Paulo post, Sed si vis seminare farrum.

Astutus. Scire vti foro. Forum.

L. Farrum pro far dixit. Item scorpionem pro scorpium: nam scorpius dicitur, non scorpio. Scorpionem enim dicimus (vt ait Marcellus) teli genus, & ita omnes vtuntur. quidam etiam pro genere instrumenti torquendi, vt in alio dixi opere. Idem, Diuersimode. Et alibi, Omnimode, quod verbum nemo veterum scriptum reliquit. Astronomia hìc dicenda est, non Astrologia. Nam illa loquitur de cursu astrorum, hæc de iudiciis ad vitam, fortunámq; pertinentibus. R. Audax. Paulo post, Petulãs, id est temerarius & audax. Vt petendo lasciuus, & in loco audax dicitur. Infrunitus dicitur sine fræno. L. Imo petulans est aut libidinosus, aut ad iniuriam faciendam pronus, vt Ferociores equi in imbecilliores: de quo nomine in elegantiis diximus. Lasciuus

Farrum. Scorpius. Diuersimode. Omnimode. Astronomia. Astrologia. Petulans. Lasciuus. Infrunitus.

est tum in vita,tũ in sermone molliculus, ac plus teneri, quàm robusti,ac virilis habens.Infronitus non dicitur homo sine fræno,sed sine prudentia: scribendúmque per o, non per u: φρόνησις enim Græce prudentia est. R.Ausim , non est pro audebo , sed pro audeam.Vt nolim,pro non velim,non autem pro noluero.

L. Mallem talia potius tradidisse, quale hoc est quosdam magnos viros ecclesiasticos,qui dicant,Siti periclitor,famæ periclitor:cum docti potius finem periculi, quam causam cum verbo coniungant,vt Vita, vt capite, vt fama, vt fortunis periclitor, id est in periculo sum ista perdendi. R. Auis, ales, pullus, præpes, quasi idem sunt. L.Præpes non est auis,sed adiectiuum velocitatem significans:vt apud Virgilium, Et præpetis omina pennæ. Volúntque hoc nomine significari velocitatem in altum volantis. R.Attago attaginis , est gallina syluestris. L.Attagen dicitur,non attago,nec gallinam significat, sed francolinum. vnde Horatius,Non me Lucrina iuuerint conchylia,non attagen Ionicus.Et Hieronymus(quem suum Raudensis appellat)attagen, & ficedula , Martialis genere fœminino , & prima declinatione posuit in xeniis, Inter sapores fertur alitum primus Ionicarum gustus attagenarum. R.Altilia. L.Non tantum capones pingues (vt nostro authori placet) sed gallinæ quoque & anseres, & anates,& turtures,quinetiam sues,& quicquid domivel in villis, vel in viuariis saginatur. R.Coturnix & perdix, quasi idẽ sunt.

Periclitor.
Præpes.
Lib.3.AEneid.
Attagen.
Altilia.
Coturnix.

L.Imo coturnix est auis,quam quidam vulgò qualiam vocãt. Nycticorax,est bubo.Hieronymus idem ait quod noctua. R.Auisare. L.Sordidũ verbũ,nec dignum de quo scriberetur,quippe quo nemo veterum vsus est, quódque ratio grammaticæ improbat , & auisere diceretur , non auisare. R.Auxilium. Paulo post,Præsidium est, quod est loco vtili positum. L.Ieiune, obscuréq; exposuit.nam saltem(vt breuissime dicam)hunc in modum debuisset exponere : Præsidium,est auxilium quod præstatur alicui, & præsertim quod satis ad defensionem videtur fore, ac primas pugnæ partes posse sustinere. Nã quod ad succurrendum venit,magis subsidium dicitur.Præsidium quoque,est manus armatorum hominum,alicui tuendo loco imposita, vt sæpe legimus,præsidium Annibalis Capua, Tarento, Rhegio pulsum est . R. Baptizare. Statímque , Catechizare, est baptizandum docere. L. Catechizare est quidem docere , sed non solummodo illum qui baptizandus est . vt Paulus , Communicet qui catechizatur ei, qui se catechizat . id est qui docetur ei qui se docet , de baptizatis , videlicet , non de baptizandis .

Nycticorax.
Auisare.
Præsidium.
Subsidium.
Catechiso Græce est κατηχέω,id est erudio.

Nam ab re fuisset iubere his vt munera præceptoribus tribuāt, quum ambiguum sit, an baptizari velint. Præterea de omnibus nostræ religionis præceptoribus, ac discipulis apostolus loquitur. Quod vocabulū nōnūquā alibi reperimus, vt in principio Lucæ, Vt cognoscas eorum verborū, de quibus eruditus es, veritatem. Eruditus, id est catechizatus. Et alibi, De quibus didicerunt de te, quòd doces discessionem à Moyse. didicerunt, id est catechizati

Erue.

sunt. De illo mallem verbo sacræ scripturæ locutus esset, Erue me ab inimicis meis: quo verbo, nisi in malam partem, vti non solemus. vt Erue oculos meos. Erue autem me à periculo, inusi-

Thermæ.

Balneæ.

tatum est. R. Balneum. L. Et balneas, & thermas (licet alterum latinum sit, alterum Græcum) tamen in hoc scilicet differre dicamus, quòd in thermis tantum calefacimur, in balneis etiā lauamur. Nā & Baiis, & in multis aliis regionibus sunt loca quædam sicca, quæ nos vehementi calore resoluunt in sudorem, quæ nequaquam balneæ dici possunt, quia non lauant, sed potius vt necesse lauari, atque ablui habeamus, efficiunt: vt, thermas vocemus, quæ natura sunt calidæ: balneas verò etiam, quæ à nobis ca

Popina.

lefaciuntur igni. Nam & Græce βαλανεῖον dicitur. R. Popina apud nos corrupte dicitur, pro propina. L. Neque corrupte dici-

Propina.

tur, neque hoc significat. Nam propina non inuenitur, sed propinare, quod à Græco sumpsimus in significatione, quæ est alteri vinum cratere infusum manu sua porrigere. Popina autē est, vbi vel publice obsonia, caróque cocta, ac delicate confecta, venditatur, comeditúrque: vel priuatim, vbi gulosa familia extraordinarie ligurire, helluari consueuit, siue ipse (qualem dixi) cibus.

Bancalia.

Periſtromata

Peripetaſmata.

Aulæa.

Insignia.

Barbitonsor

Capillus.

Ad.

R. Bancalia. L. Illiteratum vocabulum. Dicuntur enim peristromata, siue peripetasmata, siue aulæa, siue insignia. quanquam hæc nonnihil inter se differunt. R. Barba. L. Barbitonsor non est nomen dignum quo vtamur, quo tamen vtitur Raudensis. Idem ait capillum significare barbam, & quemcunque pilum. cum tamen dicamus capillum, pro capitis pilo. Idem alibi dicit pilos ad genas, quod est pilos in genis: cum AD significet propinquitatem loci, non autem in loco. R. Bellum. L. Author hic imitationum (cū ait pro induciæ treugæ) facit vt se nequaquam imitari velimus, quos barbarismos frequenter admittit. Vt hoc

Portitor.

eodem loco, Portitores signorum, quod alibi etiam facit. quum portitores sint custodes portus, vel ripæ, pontísq;, qui præsertim vectigal loci illius à trāseuntibus applicātibúsve exigunt. R. Bibere. Paulo post, Fæcem ex vuaceis expressam, quam vulgariter Insubres poscam appellamus. L. Latine dicimus puscā, vinum

in torculari aqua mixtũ, vt aliqui volunt. apud Pliniũ verò, Varronémque, & alios, lora dicitur. Nam hæc Varronis verba ſunt, Expreſſi acinorum folliculi, in dolia coniiciuntur, eóque aqua additur, ea vocatur lora, quòd lota acina. R. Crudum epulum. Lora.

L. Non recte epulum pro epulas dixit. de hoc in elegantiis diximus. Cap. 23. lib. 4. R. Blaſphemare. L. Hoc Græcum verbum eſt, ſignificãs Blaſphemo. non execrari, vt author videtur ſignificare, ſiue (vt ſuo verbo vtar) maledicere, ſed verbis contumeliam facere, dignitatíque alterius honoríque derogare. R. Bonus, bellus. L. Multa quæ ad Bellus. eiuſdem vocabuli expoſitionem pertinẽt, author omittit, & hoc ferè vbique: quæ omnia ſupplere, alienum eſt à noſtro propoſito, vtpote nimis lõgum futurum. hoc autem loco de bellus nõ ſiluerim fuiſſe etiam dicendum. Hoc quoque vocabulo ſignificari pulchrum: vt Bellus puer, bella puella, bellum corpus. quæ exempla ſunt plurima apud Catullum, Tibullum, Propertium, Ouidium, Martialem, & alios complures. R. Braccæ. L. Feminalia prius dicit, deinde nominat femoralia. Braccæ. Feminalia. Femoralia. Scimus tamen horum (ſi vtrunque nomen inuenitur) feminalia, non à fœminis, ſed à feminibus dicta, quæ penè idem quod femora ſunt. quas partes, quia braccæ velant, dicta ſunt feminalia, vel femoralia.

Sarabala quid attinebat exponere, cũ ſit Chaldaicũ nomen, vt Sarabala. Hieronymus ait? imitanda pro braccis nemo niſi non ferẽs brac Daniel. 3. cas, dixit. R. Bracchium ſcribitur per duplex c. L. An verum ſit Brachium. Græcos interroga. R. Alæ & aſcellæ idem ſunt. L. Poetæ appel- Ala. lant locum illum concauum ſubter brachium alam, quia in eo pili, quaſi pennæ naſcuntur. Proprie tamen vocatur axilla, non Axilla. aſcella, vt ait Cicero in Oratore, diminutiuum faciens ab ala, vt maxilla à mala, & paxillus à palus. R. Cacare. Paulo poſt, Cloacæ ſunt in quas publica ſtercora fluunt. Cloacæ. L. Imo viæ illæ ſubterraneæ parietibus, in modum aquæ ductuum munitæ, per quas aquæ pluuiæ extra vrbem, vel in fluuium dilabuntur. R. Campus. Paulo poſt, Sed ſaltus eſt campi ſpatium. L. Imò ſylua den Saltus. ſior, aut in qua pecora æſtiuare, aut hybernare cõſueuerunt. exemplis plena ſunt omnia. R. Canto. Paulo poſt, Sunt enim exodia, cantilenæ ludicræ & ſcurriles in ſcenis. Exodia. L. Nonius exponit pro fine hoc nomen: cur tu de Nonio non facis mentionem? Nam hoc vocabulum ſine alio exponẽte, ſcire poſſumus. Quod ſi alius exponit, nos iterum inculcare minime debemus, id quod in toto tuo opere facis. R. Nænia, eſt cantus factus homini non Nænia. habẽti propinquos, per mulierem ibidem adductam. L. Quanto melius Quintilianus, Tertius eſt huic diuerſus modus, cum

res communis pluribus in vno aliquo habet nomen eximium, vt carmen funebre propriè nænia. At cur addidit Raudensis, homini non habenti propinquos, quum magis hoc talibus fiat, quàm obsequio propinquorum destitutis? sciamus tamen improprie næniam accipi pro ineptia cuiuslibet cantus aut sermonis. Etiam minus grammatice loquutus est Ibidem pro illuc, quum ibidem significet in loco, illuc verò ad locum. R. Candelæ. Paulo post, Sepatus, id est cum sepo. L. Seuum dicitur, non sepum. lege Plinium. R. Canister. L. Canistrum dicitur, non canister. R. Cartha per h, scribi debet. L. Verum est, sed aliter. hoc est in prima, non secunda syllaba, sic, charta. R. Chirografus. L. Hoc quoque aliter scribendum est, sic, chirographus. & aliud significat, id est scripturam manu propria. nec etiã debitoris. lege elegãtias. R. Mẽbrana est cartha, similiter & dica. L. Imo mẽbrana, est pergamena charta. Dica verò actio, è Græco sumptum. vt Terentius in Phorm. Scribam tibi dicam. Et Cicero in Verrem actione 4, Scribitur Heraclio dica. R. Castus. L. Minus recte exponitur cœlebs, ac cœlibatus pro pudico, ac pudicitia. Est enim cœlebs, qui non est maritus: cœlibatus autẽ eodem modo dicitur, non matrimonium. pluresque in cœlibatu sunt impudici, quàm in matrimonio. de hoc etiã in elegantiis. R. Casus. Deinde, Vicẽ alterius dolere, est casum illius dolere. L. Recte: sed non tamen omnino. Nã quum propter alterius vitium, peccatumque doleo, non casum illius doleo. Non enim est casus, sed vitium. R. Caue te ab illo. L. Hoc non recte dicitur cũ accusatiuo. Præterea Caue facias, & caue ne facias, idẽ sunt, quod author negat: vt apud Terentium, Caue ne tristem sentiat. id est caue tristem sentiat. Qui hæc tam clara non prouident, quomodo cernerẽt illa obscuriora? quorum vnum hoc sit exemplum, Scio multa genera salsamentorum, potius quàm, Scio multorum generum salsamenta. Rursus, Scio facere multorum generum salsamẽta, potius quàm Scio facere multa genera salsamentorum. Illud quoq; poterat addere (quod huic loco simillimum est) licet ferè non accipere post se vt, veluti apud Virgilium, Casta licet patrium seruet Proserpina limen. Et Quintilianum, Nusquam prodest, nusquam opus est, iã licet vendas. Cicero pro Cælio, Quò omnis iuuentus natandi causa venit. Hic licet conditiones quotidie legas, cur huic qui te spernit, molesta es? R. Cœnare. Deinde, Opsonium per p scribi debet, & est id quod post cœnam, aut ante somnum sumitur. L. In hac etiam scriptione ob-

Ibidem. Illuc. Seuum. Canistrum. Charta. Chirograph9 Membrana. Dica. Cœlebs. Dolere vicẽ. Caueo. Scio genera & facio, &c. Licet non habet post se vt Obsonium.

ſonii(nam per b ſcribi debet)& diffinitione diſſentio. Nam puto eſſe quicquid carnis, piſciſve vltra panem, pulmentúmque comedimus. R. Cæcus. In fine, Cæcutiens, eſt parum videns, idem & luſcus. L. Vt idem ſit cæcutiens, quod ait Raudenſis (quod omnino non concedo) certe luſcus eſt, qui altero oculo caret, non qui parum videt: qualis fuit Antigonus, Philippus, Annibal, de quo Iuuenalis, Portaret belua luſcum. Et nos in elegantiis. Cæcutiens. Luſcus.

R. Cenſores. Circa medium, Quid dicam, quàm leuiſſimis ex cauſis cenſoria vrere nota conſueuerunt. L. Ineleganter vſus eſt quàm pro quantum cum ſuperlatiuo. Nec longe poſt. R. Ridiculoſe. L. Inuſitate dixit pro ridicule. Plurima à Raudēſi præcipiuntur impropria, quæ idcirco prætermitto, quia ab opere meo de elegantia linguæ Latinæ ſatis, abundéque confutantur, quum aliter tradantur. R. Certare. Paulo poſt, Eſt enim agonitheta, qui certaminibus præeſt. L. Si ſciret author, quid agonitheta ſignificat, debuerat dicere eum eſſe qui præmium certātibus in quolibet ludorum genere proponit, qualis AEneas apud Virgilium, qualíſque Achilles apud Homerum. Eſt autem Græcum nomen. R. Circundo. Paulo poſt, Tantum telluris obiuit, id eſt circundedit. L. Imo circuiuit Hercules terram, nō circundedit. R. Circulus. Statímque, Eſt planities rotunda, vt eſt ſphæra, & ſtaminum glomera. L. Sphæra, non eſt plana, ſed globoſa, & à geometris planities, ſiue figura plana, à ſolida, qualis eſt ſphæra, diſtinguitur. R. Cito. L. Quantotius (vt ait Raudenſis) ſignificare quamprimum tunc credam, quum apud doctum aliquem inuenero (ſi modo inueniri poteſt) quod contra rationem Latinitatis eſt, vt ex elegantiis liquet. R. Parumper, id eſt cito, velociter. L. Ego ſentio idem eſſe quod pauliſper, id eſt per aliquantulum tempus. R. Clamare, deinde mouere tragœdias, eſt mouere exclamationes & exclamare. L. Affertq; exemplum Quintiliani, ſed neque apud Quintilianum, neq; apud Ciceronem in hanc ſignificationem inuenitur. imo rem verbis atrocem magis, & indignam efficere: quale eſt opus Tragicorum de rebus atrocibus ſemper, mœſtiſque loquentium: ſicut econtrariò, Comœdias agere, ſiue comœdiari, pro ridicule, ac dicaciter loqui apud Ariſtophanem, & alios nonnullos Græcorum. R. Cognoſcere. Deinde, Noſſe imperatiuus eſt de noſco, vel eſt per ſyncopam præteriti pluſquam perfecti temporis. L. Mirum, quòd ita in minimis erret. Noſce enim, imperatiui eſt: noſſe verò infinitiui pro nouiſſe, à noſco, ſiue à noui. R. Omnes ignoſcunt, nemo ſuccurrit, id eſt noſcunt. Quàm. Ridicule. Agonitheta. Obiuit. Circuire. Sphæra. Quantotius. Parumper. Pauliſper. Mouere tragœdias. Comœdias agere. Comœdiari. Noſce. Noſſe.

L.Male Senecam interpretatur, cũ ille hoc dicat, Omnes quidem misereri infœlicium, ſed tamen eis ſuccurrere neminem. R.Collum,ceruix,iugulus,idem ſunt. L.Imo diuerſum.lege noſtrum opus de elegantia. R.Plinius dixit,Minando cuidam, video iugulum, id eſt collum. L.Non in iſtum ſenſum locutus eſt Plinius. refert enim verba Reguli cuiuſdam peſſimi oratoris,non minantis, ſed iactantis ſe non terere tempus in orãdo, more aliorum circa inania argumenta. Statim enim videre iugulum, vbi infigat gladiũ, id eſt anteriorem partem colli ſuper malam:videlicet locum ſane morti obnoxium: quia inciſis illis venis, ſtatim quis moritur. Hoc metaphorice dictum eſt, quòd ſtatim videat locum eſſe, quo percuſſo ac iugulato, pars aduerſarii pereat. R. Componere. L. Non idem eſt ſoluere pecuniam & diſſoluere. Dicimus enim,contractum æs alienum diſſoluit,id eſt contractum debitum diſſoluit : nec idem curatum & procuratum:nec idem poſuit, quod propoſuit:nec idem protulit,& tulit: nec idẽ orauit, & adorauit,vt author hic ait. R.Comœdia. L.Author videtur neſcire togam eſſeveſtem Romanorum,vt pallium, veſtem Græcorum. Et togatas eſſe comœdias, non è Græco traductas, ſed à Romanis, Latiniſque compoſitas. Qua in re Afranius princeps eſt,licet demortua ſint & eius & cæterorum opera.Etenim omnes, aut ferè omnes ſummorum comicorum libri è Græco traducti ſunt, Cæcilii, Plauti, Terentii. eoque non fuit Raudenſi dicendum,fuiſſe Plautum maximum fabularum inuentorem.nam(vt taceam Græcos comicos,qui & tempore & ingenio ſuperiores ſunt, vt Menander) certe Afranius, & alii ſimiles magis inuentores, quàm Cæcilius, Plautus, Terentius dicendi ſunt, qui ipſi inuenerunt,non tranſtulerunt. Præterea cur Raudenſis ait Plauti comœdias, præter illas octo, quæ prius extabant,non eſſe Plauti?nimirum eas nondumvidit, quæ nihilo inferioris gratiæ & eloquentiæ ſunt, quàm cæteræ. Sed hoc diuinare fuit,illud verò dormire. Nam vigilans non dixiſſet,dum præponere Plauto Terentium vult,In argumentum familiaritatem Ciceronis affert,quòd dicat Ciceronem fateri illum familiarem ſuum eſſe. quod non Cicero, ſed apud Ciceronem Lælius dixit, ſi vnquam tamen ille hæc dixit. Eodem modo peccauit Beneuenutus,qui motam à ſe quæſtionem,qua Cicero dicat in Catone maiori Flaminium à ſe è Senatu eiectum, & Valerium Maximum à Catone,ſic ſoluit, Ciceronem Catonémque vnà cenſores fuiſſe: nec intelligit non Ciceronem hoc dicere, ſed Catonẽ in opere, quod illius nomine Cicero inſcri-

Cap.36. lib.4.
Iugulus.
Iugulum videre.
Diſſoluere.
Toga.
Pallium.
Comœdiæ togatæ.

psit. quòd si Lælio ac Scipioni familiaris Terētius fuit, sciat Raudensis hoc nihil adiuuare Terentium. nam dicitur Scipio magis, quàm Terentius illas comœdias fecisse. R. Comparare, conferre, contendere: quidam ait, Illi suam vitam mecum contendunt, id est comparant. L. Barbare ille, siquis fuit, locutus est, adiiciens accusatiuum verbo contendunt. Si hoc tradidisses, rectius fecisses, quod cæteri dicunt, Tu es magis audax, quàm fortis: doctiores solere dicere, Tu es audacior, quàm fortior. & ita in cæteris. R. Commentaria. Paulo post, Commentarium, est locus vbi commenta ponuntur. L. Proba. R. Commodum. Paulo post, Tempus meum amicorum temporibus committendum putaui. id est commodis. L. Imo periculis, laboribus, difficultatibus. Sic enim Cicero, cuius hæc verba sunt, loquitur, Vt tempora aut sua, aut amicorum pericula, difficultatésque intelligat. & hoc loco significat se aduocatum fuisse, non omnium, sed amicorum, nequis eum putet rabulam ac litigiosum, & aduocatum accusatorum, actorúmque, non reorum: quia deforme est, vt Cicero quoque ipse testatur, accusatoriam vitam viuere, & homines in periculum vitæ ac fortunarum frequenter vocare. R. Terentius ait, In tempore rediit: id est quàm commodé. L. Raudensis præcipit, quàm, nonnisi cum superlatiuo debere coniungi, & ipse cum positiuo iungit: quod non faceret, si inuentor ipse huius elegantiæ esset, & non ab auditoribus meis audisset. R. Compensare. Et statim, Pensitanda sibi ista res: id est compensanda. L. Imo valde ponderanda, examinandáque. R. Consilium. Paulo post, Est etiam consultus, qui consilium petit. L. Proba. nam econtrariò potius consultorem Sallustius dixit, pro eo qui consilium dat, quum sit proprie qui consilium petit. R. Alium tamen, quàm consularem virum rogari fas fuisse negant, ex qua sanè consuetudine Iulius Cæsar Catonem sententiam rogauit. L. Labitur Raudensis in cognitione historiæ: non enim consularis fuit Cato posterior, id est qui consulatum gesserit. Ideóque post pugnam Pharsalicam voluit reliquias exercitus (quas collegerat) Ciceroni tradere consulari, non consularis: vt apud ipsum Ciceronem in Philippicis, Qui verò prætorii, quorum princeps omnium Cato, idémque omnium gentium vti iure princeps. R. Conuiuium. Deinde verba Senecæ subdit, Nam sine amico visceratio leonis, ac lupi vita est. Visceratio (ait) repletio. L. Non ait Seneca viscerationem pro repletione, sed conuiuium, quod ex visceribus, id est ex

Contendere.

Magis audax.

Cōmentariū.

Tempus.

Quàm.

Pensitandum

Consultus.

Consultor.

AEneid. 3. Incōsulti abeunt, passiue capitur.

Visceratio.

carne, multis datum sine suauitate amicorum, simile esse comestioni leoninæ aut lupinæ. Quia quodammodo caro tanquam feris deuoranda, apponitur, vt vnusquisque quod vult rapiat, cibi tantum ac saginæ memor. R. Contra. Paulo post, Quintilianus dixit euerso, id est econtra. L. Non hoc dixit Quintilianus, sed ediuerso. Nec Raudensis exponit Latinè econtra (quod non inuenitur) sed econtrario. R. Contentor. L. Non est verbum Latinum. R. Cooperio. Paulo post, Operto capite, id est discooperto. L. Verus sensus est huic expositioni contrarius.

Econtra. Ediuerso. Econtrario. Contentor. Cooperio.

R. Chorea. Paulo post, Choraules, id est princeps ac magister chorearum. L. Imo, qui tibiis ad choreas canit. Nam αὐλός Græce, tibia Latine. Vnde apud nos vsitatum nomen pro Latino auloedus. Et Cicero, Qui citharœdi esse non possunt, aulœdi fiunt.

Choraules. Aulœdus.

R. Cortina, aulæum, conopœum. L. Quare non distinguat vocabulorum significata Raudensis, ipse viderit. Vnum enim exponam: Conopœum, est papilio ille, qui thoro circundatur ad arcendos culices: κώνωψ enim Græce, Latine culex. R. Custodire. Paulo post, Specula, locus editus, scilicet magis ad videndum quàm ad custodiendum. L. Imo ad custodiendum potius: nec locus editus, nisi quum ex eo speculamur an hostes veniant, transeántve an maneant, quot sint, & quæ sunt id genus. Quod ipsum ego appello custodire. arbor nonnunquam prominens, ac porrecta pertica vicem hanc præbet. R. Excubiis, id est vigiliis noctis. L. Imo diei: vt in elegantiis diximus. R. Curia. Deinde, Areopagus, locus Athenis vbi sapientes conueniebant. L. Imo locus iudicum, qui à Solone erant instituti. Non afferam exempla Græca contra hominem Latinum. Cicero in Philippicis ita ait, Quæro igitur, si Lysiades citatus, iudex nõ responderit, excusetúrque Areopagites esse, nec debere eodem tempore Romæ & Athenis res iudicare: accipiétne excusationem is, qui quæstioni præerit? Græculi iudicis modo palliati, modo togati? an Atheniensium antiquissimas leges negliget? Quidam interpretantur hoc nomen ab ἄρης, quod est virtus: quod falsum est. nam virtus dicitur ἀρετή: ἄρης verò Mars. Ob hunc errorem, puto istos existimasse hunc esse locum sapientum ac philosophantum, vt in alio dixi opere. Curia solum dicitur locus consilii: ergo curia regis, aut curia papæ non rectè dicitur, nisi pro loco consilii publici. Author etiam dixit vbi conueniebant, pro quò conueniebant. R. Cum, si tempus significat, scribi debet per c: vt, Cum fueris Romæ. Si verò comitẽ significat, debet scri-

Conopœum. Specula. Custodire. Excubiæ. Areopagus. Curia. Vbi pro quò.

bi per q,& duas uu:vt,Quum principe erat. L.Non ita ſcriptum reliquit Quintilianus, quem Raudenſis affert: ſed ſic, Cum, ſi tempus ſignificaret,per q: ſi comitem, per c, ac duas ſequentes ſcriberetur.Duas literas dixit ſequentes,non duas uu. Neque enim dixiſſet duas uu:ſed duplicem,ſiue geminam uu.Ergo ſi de duabus literis ſequentibus locutus eſt, palàm eſt de ſequentibus c literam non q, in ſecunda parte locutum eſſe. Nam q, tres literæ ſequerentur, & ob id Raudenſem in vtroque contrarium tradidiſſe. R. Damnum fit ex tempore, iactura quidem de induſtria,vt proiicere merces in mare. L. Proba, vt credamus. Cum. Quum.

R.Decipio. L.Verſura non eſt deceptio,vt hic author ait. qui cur à Pompeio Feſto recedat,non video, dicente, Verſuram facere, mutuatam pecuniam ſoluere ex eo dictum eſt, quòd initio, qui mutuabantur ab aliis, non vt domum ferrent, ſed vt aliis ſoluerent,vel vt verterent creditorem. R.Defectus.Deinde, quidam dixit, Ex vitio tuo hoc profiteri videtur. id eſt ex defectu.Et paulo poſt,Quiſpiam quum dicere vellet, id defectuoſius eſſe videtur, dixit, culpatius. L.Impolite locutus eſt defectuoſius,imo improprie.Nam defectus eſt(vt ſic dicam)penuria,non vitium,aut morbus,aut culpa.vt Defectu ciborum,ſiue defectu cibi,dedimus nos hoſtibus.Item dixit inuſitatè,quiſpiã,pro quidam.& hoc frequenter etiam in plus ſe habet. Item nõ lõge antè dixit,pariformiter,quod non inuenitur. R. Delectare. Paulo poſt, Cicero in Tuſcul. Item delectatio extrinſeca, voluptas intrinſeca. L.Nõ Cicero hæc ait,ſed Leonardus Aretinus in prooemio Ethicorum Ariſtotelis,ab eo traductorum.Qui verè fortaſſe dixiſſet, ſi delecto tantum reperiretur, & non etiam delector deponens, & delectat imperſonale. & ſanè hoc nomen delectator,ſiue oblectator videtur frequentius ſignificare (vt grammaticorum verbis vtar) paſſionem innatam,quàm actionem in alterum. Neſcio an intrinſecus & extrinſecus nomen reperiatur. Internus & externus magis dicitur. R.Delicatius.In fine,Dicitur etiam lautitius. L.Lautitia inuenitur,non lautitius,ſed lautus pro homine diuite, ac nitidam, ſplendidámq; vitam agente, tum in veſtitu, tũ in victu. R.Deſpicere. Paulo poſt, Terentius inquit,Parui curauit illum. L.Hoc non inueni apud Terẽtium: niſi fortè Raudenſis in illis Terentii comœdiis legit, quæ naufragio interciderunt. R.Dæmon.Paulo poſt,Energuminus eſt, qui à dæmonio arguitur. L.Græcum nomen eſt.Et ideo ab arguo non componitur, ſed ab ἐνεργοῦμαι, quod Latine dicitur agor,id eſt agitor. R. Diabolus deorſum vrens apud Hebræos.

Verſuram facere. Defectus. Defectus. Pariformiter. Delector. Delectat. Delectator. Intrinſecus. Extrinſecus. Internus. Externus. Lautitia. Lautus. Energuminus Dæmon.

L.Græcum nomen eſt,non Hebræum,ſignificátque criminatorem. R.Deſyderare. L.Non eſt geſtire(vt hic ait)idem quod deſyderare,ſed quod lætari, ſiue lætitiam oſtendere, ipſo etiam corporis geſtu,vt Cicero quoque diffinit in Tuſculanis. Author hic frequentiſſime ait, Alter dixit, pro alius dixit. R.Verſificator quiſpiam ſic deſyderanter ſcribebat, O mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos. L. Aut ignorat hunc verſum eſſe Virgilii in octauo: aut contumelioſus eſt in ſummum poetarum Latinorum, quem appellat verſificatorem quendam. R. Concupiſcuntur quæ habentur, & quæ non habentur. L. Hoc rerum natura non recipit. Quod enim quis habet, quî poteſt id concupiſcere? R. Terentius, Sed ceſſo ire intro? id eſt deſydero. L. Imo quid moror, aut quid negligo ire intro? eſt enim dictum illud ceſſo, interrogatiue: ergo non poteſt ſignificare deſydero. R.Detrahere.Deinde, Quintilianus ait, Sic nec mirum, quum id inter opices quoque vulgatum ſit. id eſt corroſores. L. Opifices ait Quintilianus, non opices: nec de corroſoribus ille locus loquitur: nec qui ſint corroſores, intelligo. R.Cornicum(vt dicitur)oculos configere,id eſt æmulorum. L. Hoc prouerbio & Cicero pro Murena, próque Flacco, & Hieronymus in quodam prologo vtitur: neuter accipiens cornicum pro æmulorum,ſed pro eorum qui ſe ſapientiores & duces aliorum cenſent, ac videri volunt. Nam cornix dicitur dux auium eſſe. Lege & eius naturam, & de illa fabulam. R. Diluuium. Paulo poſt, Diluuium ſic fit ex igne, ſicut ex aqua.

Geſtire. Concupiſci. Ceſſo. Opifices. Corroſores. Cornicũ oculos configere. Diluuium.

L. Negatur. quòd ſiquis afferat Virgilianum illud, Diluuio ex illo diuerſa per æquora vecti. Metaphorice dixit Virgilius euerſionem Troiæ diluuium. R. Item alluuiones,ſunt mixtiones vicinorum agrorum, ita vt vix quo fuerant,termini, agnoſci poſſint. L.Obſcure diffinit, non addens violentia aquarum, vel fluuialium, vel pluuialium, ſimiliúmque: quæ alluuio non tantum agros cõfundit,ſed nonnunquam eripit, nonnunquam funditus deſtruit.Ad hoc author dixit,quo fuerant,pro vbi fuerant.ſicut ſuperius vbi, pro quo. R.Diffinire. Non tibi aſſentior,idẽ eſſe dicenti definire & diffinire.eſt enimDefinire,terminare & quaſi finem dare. Diffinire autẽ hoc ab illo,quaſi diſpertiendo diſtinguere:vnde diffinitio vocata eſt,nõ definitio,qua in diſputãdo vti ſolemus.Et eſſe infinite ac definite, id eſt certũ finẽ habentes,mallẽ dixiſſet.Diuido tecum,eſt partior,ſiue cõmuniter tecum habeo. vt Quintilianus in apibus, Num æqua portione cum ſceleratis terras diuiſimus? Virgilius, Diuiſum impe-

Alluuio. Definio. Diffinio. Diuido.

rium cum Ioue Cæſar habet. R. Dies eſt præſentia ſolis dictum. Cicero dixit pro maiori parte ſingulos dies, non ſingulis diebus.

L. Quid de vno vocabulo attinet loqui, & non vniuerſum? vt melius apud Seruium ſit, qui ait, accuſatiuo magis vſos, quàm ablatiuo. vt Vnam noctem, vnum diem, ſeptem menſes, decem annos. Verum quis primis labris eruditionē attigit, qui dicat pro maiore parte, pro eo quod eſt plerunque, ſiue ferè, ſiue frequentius, nedum hic magiſter elegantiæ? An ſit hoc turpius, neſcio, dixiſſe pridie pro præterito die, quod nemo antea dixit. Ego tamē in alio opere ſcripſi quot menſibus, pro ſingulis menſibus dici non poſſe, vbi de vſu dixi & conſuetudine. Nam etſi Terentius Varro hoc vocabulum aliquoties vſurpat, neſcio tamen an alii eorum (quos legimus) vtantur. R. Multo mane, multa nocte.

Accuſatiuus temporis.
Pro maiore parte.
Ferè.
Quot menſibus.
Multo mane.

L. Multo mane, non memini me legiſſe. dicimus enim Prima luce, ante lucem, multo ante lucem, & multa luce. vt apud Curtium, Parmenon ad Alexandrum, Multa, inquit, lux eſt.

Prima luce.

R. Quinto die, quàm à Senatu recederent, id eſt per quinque dies ante. L. Imo per quinque dies poſt. vt Liuius libro viceſimoprimo, Octauo menſe, quàm cœptum oppugnari, captum Saguntum quidam ſcripſere: inde Carthaginem nouam in hyberna Annibalem cōceſſiſſe. quinto deinde menſe quàm à Carthagine profectus ſit, in Italiam perueniſſe. R. Infra tres dies.

Quinto die quàm, &c.
Infra.

L. Inerudite dixit. dicendum enim eſt intra. infra nanque ſubter ſignificat. R. Dicere. Deinde, Dicax, qui multa dicit. L. Cicero, Quintilianúſque aiunt eſſe dicacem hominem, cum riſu aliquos inceſſentem, mordentémque. & hic nonnunquam, & alii quidem, dicto accipiunt pro dictito, vt Tuæ literæ dictabant. ſed non ritè vtuntur. Dicunt epiſtolæ, vel dictitant, hoc eſt, tu in epiſtolis dicis, ſeu dictitas. ſed in hunc errorem inciderunt, quòd reperiunt, Ratio dictat, quod eſt frequentiſſimum, & quale eſt illud Plinianum in epiſtola quadam, O ſylua, ô litus, quàm multa componitis, quàm multa dictatis. Et illud Boetii, Ecce mihi laceræ dictant ſcribenda camœnæ. Verum hîc manifeſta ratio ſubeſt. nam camœnæ, litus, ac ſolitudo, tacitè nobis ſuggerunt quod ſcribamus, ita & ratio loquitur, quod nos ſcribendum putemus. & indignatio dictat, quod in alterum effundamus.

Intra.
Dicax.
Dicto.
Dico.
Ratio dictat.

R. Diſcerno. L. Non eſt (vt hic ait) diſcernere in duas partes, ſecernere verò in multas. Imo diſcernere in duas partes, pluréſve: ſecernere verò, ſeparare, vt Ex chao omnia elementa diſcreta ſunt. & Cicero, Secernant ſe mali à bonis, id eſt ſeparent.

Diſcerno.
Secerno.

R. Domus. Paulo poſt, Architectus, eſt princeps tectorum. a-

liquando pro ipſo Deo accipitur. Tignarius, eſt ſarti tector.

Architectus. L. Neſcit quid dicat. architectus, eſt princeps ædificantium, id eſt qui ædificium ordinat, & ipſe aut primus ædificat, aut ædificare iubet. inde Vitruuius opus de architectura condidit, id eſt de ædificiis conſtruendis. Faber autem tignarius eſt, qui ſolaria lignea facit. hoc eſt trabes, cæteráque ad tabulata domus vtilia. Nam in iure ciuili ſcribitur, tigni appellatione in lege duodecima tabularum omne genus materiæ, ex qua ædificia conſtant, ſignificatur. Contignatio igitur dicitur ſolarium domus, ſiue ſtratum ſit cæmento, lateribúſve, ſiue non ſtratum, qualia ſunt ferè ſolaria domorum Apuliæ, eóque apud Liuium pro miraculo refertur, bouem in tertiam contignationem conſcendiſſe, id eſt in tertium ſolarium. R. Diuerſorium propriè eſt hoſpitale. L. Negat antiquitas, apud quam hoſpitalia non erant. quinimò non eſt hoſpitium idem quod diuerſorium, vt ait Raudenſis, ſed flexus viæ minor, ac ſeceſſus. R. ff. De eo qui certo loco dicitur, quòd inſula eſt quælibet domus. L. Non hoc ait iuriſconſultus, ſed eam domum eſſe inſulam, quæ via cingitur. vnde author quidam enumerauit inſulas Romanæ vrbis, non domos. R. Fundus, eſt alicuius manſio cum acceſſionibus.

Faber tignarius. Tignum. Solaria. Contignatio. Diuerſorium. Inſula. Fundus.

L. Ab omnibus iuriſconſultis, & ab ipſa veritate diſſentit. vt breuiter autem ipſe dicam, non ſententiam inter iuriſconſultos feram. Fundus eſt poſſeſſio in agro. R. Hippodromus, eſt ſtabulum equorum currentium. L. Imo eſt via lata, per quam etiam multi equi poſſunt vnà currere, vel potius locus in quo equi currere ſolent. R. Duellum. L. Duellum non eſt tantum duorum, vt hic ait, ſed multorum quoque, & ipſorum etiam exercituum. alioqui non diceretur à Plauto, duellum inter Thebanos & Theleboas. & ab Horatio, Græcia barbariæ lento colliſa duello. Neſcit etiam author pugilem eſſe, qui cæſtibus pugnat, pancratiaſten qui ad omne certaminis genus valet. R. Eccleſia. Paulo poſt, Adytus per y Græcum, eſt locus ſecretus iuxta altare. L. Hoc adytum dicitur, non hic adytus, éſtque penetrale templi, id eſt locus interior, & vulgo inacceſſus. R. Verſificatores ferè peccant ſecunda ſyllaba pro breui vtentes. L. Imo & Maro breuem ponit. R. Edere. L. Non optime exponit nuces eſſe omne pomum, quod foris duro tegatur, & intus habeat quod eſui eſt. Malum verò, quod foris habeat quod eſt eſui, & durum intus includat: quum illud prius non ſit pomum, neque hoc ſecundum, malum: ſed illud nux, hoc verò pomum. Vale-

Hippodrom⁹ Duellum. Pugil. Pácratiaſtes. Adytum. Nuces. Malum.

rius tamen Martialis nucem pineam, pomum vocauit, in disti-
chis inquiens,

Poma ſumus Cybeles, procul hinc diſcede viator,
Ne cadat in miſerum noſtra ruina caput.

Malum autem indiuiduum, id eſt, quod vulgo dicitur melum è Græco ſumptum. R. Eſt enim edulium prægustatoria comeſtio. L. Imo eduliũ eſt quicquid edimus, aut quicquid ad prandium, cœnámque edendi gratia apponitur, & ſumimus. vt apud ſuum Hieronymum millies, vt ibi, lentis edulio. R. AEdificare. L. Eodem Raudenſis errore, quo Accurſius ducitur, vt ſentiat tigni appellatione aliud, quàm materiam, id eſt ligna contineri, vt in elegantiis diximus. Indecorum ſanè eſt homini, qui de elegantia ſcripturum ſe pollicetur, Accurſium ac cæteros gloſſatores ſequi, vt facit Raudenſis, quum illi ab elegantia longiſſime abſint. R. Eligere. Aliquanto poſt, Comitium locus, in quo fiebat electio magiſtratuum, quaſi communium. Item vocabatur ipſa electio, & gaudium reſultans ex tali electione, & etiam ipſa collatio perſonalis. L. Comitium eſt tantum locus, comitia actus creandorum magiſtratuum. vt In foro eſt, & in comitio. Item actis comitiis ſuffragium non fiebat manu, vt ait Raudenſis, ſed voce: interdum ſcriptura, vt Plinius poſterior refert. R. Eloquentia. L. Omitto, quæ de rhetorice præcipit, à via veterum vel recedens, vel cadens. quid negligentius fuit, quàm quæ Seneca alteri tribuit, notans vt ſtomachoſiora, ea ab ipſo Seneca dicta eſſe velle? Caſſius Seuerus in Sextum dixit, Si cloaca eſſes, magiſtra eſſes, non Seneca. R. Etque pro &, ne pro &. L. Ne, nunquam reperitur pro &. R. Item neu hoc faceret perſuaſit, id eſt ne. L. Neſcio vbi hoc Cicero (quem affert) dixerit, aut aliquis alius. Neu (vt ſentio) apocopatum eſt à neve.

Edulium. *Tignum.* *Comitium.* *Comitia.* *Suffragium.* *Ne.* *Neu.*

R. Excurſiones ſunt, quæ fiunt ab armigeris. L. Excurſiones vocantur rumores illorum, à quibus recedunt. tamen eædem ſunt incurſiones, rumores eorum, in quos incurritur. Eſt autem abuſus ſignificatione armigeri, de quo nos vocabulo in alio opere diximus. R. Expecto. Paulo poſt, Tempus redimitis, id eſt expectatis. L. Imo tempus emitis. Vnde in iure ciuili, & alibi redemptores vectigalium, id eſt emptores. & apud Paulum, Redimite tempus, id eſt emite, vt è Græco fonte apparet. Cicero in Verrem actione ſecunda, Vt primum ex prouincia rediit, redemptio huius iudicii eſt facta grandi pecunia. R. Exul. Paulo poſt, Inſcriptus, qui manet in patria, ſed re ſpo-

Excurſiones. *Tempus redimere.* *Redẽptores.* *Exul.*

Proſcriptus. liatus. L.Hoc nunquam audiui. Proſcriptus,idē eſt quod exul, quia nomen ſuum in publico, tanquam exulis ſcriptum eſt.

Circūſcribere R.Circunſcribere,eſt damnare, bonis fallere. L.Imo fraudulenter in re contrahenda, atque commerciis aliquem bonis aliquibus priuare, vt apud Senecam de eo qui fratrem circunſcripſit in diuiſione hæreditatis,cū ex altera parte matrem fratris,ex altera omnia bona poſuiſſet. R.Exercitus.Poſtea,In ſumma igitur erant pedites ſex mille & centum. L.Contra latinitatem dicitur, pro eo quod eſt ad ſex millia, aut ſexties mille, aut peditum ſex millia. R.Facies. Paulo poſt,Cæſius,id eſt lenticuloſus.

Cæſius. L.Imo, qui habet oculos glaucos, id eſt in ſimilitudinem noctuæ. nec vnquam cæſium, niſi de oculis,legitur. vnde Cicero ait, Cæſios Mineruæ oculos, quæ dea apud Græcos dicitur habere oculos glaucos, vt millies apud Homerum. Quidam volunt cæruleos eſſe, cæſios oculos. R. Faſtidio, faſtidis, faſtidire, faſtiditum.Dicimus enim,Quare faſtidis mei? & faſtidimus bonorum. L.Si hoc verum eſt,cur exempla non profers? ego verò cum accuſatiuo reperio,non cum genitiuo. Virgilius,

Faſtidio.

Inuenies alium,ſi te hic faſtidit Alexis.

Cinædus. R.Fœmina. L.Cinædus non ſcribitur y Græco,vt ait Raudenſis,nec caninum ſignificat.Marcellus pro ſaltatore exponit, alii pro re turpiore, non quòd moueat membra in ſaltando, ſed quòd in obſcœna venere. R.Fœnero. L. Vtrunque fœnero & fœneror pro eodem male accipit Raudenſis,quod alio opere docuimus. R. Ferrum & chalybem in aſpectu ſimilia videmus, ſpecie tamen differunt. L.Nō differunt ſpecie metallica,quum idem metallum ambo ſint. Nam nec aurum auro differt, licet purgatius ſit:nec ſapphirus ſapphiro,licet ſplendidior:nec ſimila à farina. Virgilius certe inquit, At Chalybes nudi ferrum. ergo appellatum eſt optimum ferrum ab illis populis, qui ſcientiſſime ferrum temperant: vel populi illi vocati ſunt Chalybes ob hanc ipſam temperandi ferri ſcientiam, ſiue facultatem. ſiquidem aquæ quædam hoc apud eos efficere dicuntur, qui nunc Viſcani nominantur, quaſi vis chalybis, quòd apud eos ſit vel copia ferri, vel potentia ac facultas ferri temperandi, ſi modo etymologia vera eſt. R. Filocaptus. L. Non eſt nomen hoc à doctis, ſed ab indoctiſſimis fictum. Philos enim non amorem,ſed amicum ſignificat, ſiue amatorem. Et hoc Græce, cum quo nomine dure Latinum coniungitur. ſed cur in f litera poſuiſti, cum per ph, ſcribendum eſſet? ſic, philocaptus.

Lib.2.cap.25.

Ferrum.

Chalybs.

Viſcani.

Philos.

R.Procus,eſt ipſe ſolicitator amoris. L. Imò,qui aliquam pro vxore poſtulat:vt Penelope apud Ouidium,Turba ruunt in me luxurioſa proci. R.Filius. L. Quòd nothus ſit natus ex nobili patre,& infami matre,miror cur dixit,cum parum antè Quintilianum attulerit,dicentem,nothum qui legitimus nõ ſit, Græci vocant.non aduertens eodem loco dixiſſe Quintilianum,vt Catonis oratione teſtatum eſt,Quia nõ habemus noſtrum,vtimur peregrino.Igitur nothus eſt abſolute illegitimus. R.Flere.Paulo poſt, Plorare eſt cum lachrymis & voce pectus aut faciem tũdere. L. Negatur.huiuſmodi enim percuſſio, planctus dicitur, ploratus ipſa vox flentis, ſicut fletus ipſa lachryma ex oculis emanans,præ dolore tamẽ potius,quàm præ lætitia. R.Fungus. Procus. Nothus. Planctus. Ploratus. Fletus.

L.Nõ eſt aſpargus,nec de fungo intelligit Iuuenalis,quem teſtem citat Raudenſis, nec aſpargus, ſed aſparagus dixit: vt Martialis,Non erit incultis gratior aſparagis. R.Gaudium. L.Non eſt ouare,gaudere,ſed ſe gaudere ſignificare & exclamare. Aſparagus. Ouare.

R.Galea. L.Iuba nõ eſt idẽ quod galea,ſed quod galeæ imponitur,inſtar iubarum,aut equi,aut leonis,aut draconis,quales in veteribus numiſmatis, ſtatuiſque agnoſcimus. vnde Virgilius, Criſtáque inſignis equina. Et alibi, Graiarum errore iubarum. Iuba.

R.Gladiorum. L. Ab enſis deriuatur enſicula,cum dicere debuiſſet enſiculus. Spatha,lõgior enſis,ac latior à quibuſdam eſſe dicitur. Phramea Græcum eſt nomen. Pugio non eſt cultellus breuis. plus enim eſt quàm cultellus, nedum maior, quàm breuior cultellus. hunc pugnalem Hiſpani vocant. Mucro non eſt pugio longus, vt enſis,(nam is enſis foret) ſed cuſpis ipſa enſis. Improprie autem pro enſe accipi bipẽnem ait ex altera parte acutam,cum Quintilianus dicat ex vtraque, vt ipſum etiam nomen indicat. R.Guloſus.Paulo poſt,caſtrimargia gulæ concupiſcentia. L.Gaſtrimargia dicendum eſt,ſignificátque nimiam ingluuiem,vt apud Ariſtotelem in Ethicis.Scurra nõ eſt cibi captator, ſed qui riſum verbis mouere captat, non habita ratione verecũdiæ,aut dignitatis. R.Hæres.Paulo poſt,Caducus eſt,quicunque fit hæres in bonis alicuius, qui hæredem non habet. Enſiculus,nõ enſicula. Spatha. Phramea. Pugio. Mucro. Bipennis. Gaſtrimargia Scurra.

L.Imo caducũ eſt,ſiue caduca bona dicũtur,hærede carentiũ: nõ autem (quantum ego quidem ſciam)horũ bonorum hæres, ſed fiſcus,aut dux militum publica perſona. R.Ibi.Deinde,Cicero ſæpiſſime,cum vult dicere ibi,dicit iſtic.verbi gratia,Tarẽti es,non ſpero te iſtic hyemare nõ iucunde.id eſt ibi. L.Barbare exponit iſtic pro ibi: ſi enim diceremus,Spero te ibi hyemare,nõ recte diceremus. De hoc latius in elegantiis. Hæc fuit cauſa,cur Caducum. Ibi. Iſtic. Lib.2.cap.4.

Ciceronem vnum afferret, & eum ſic dicere ſæpiſſime teſtetur, quaſi non ſemper & ipſe, & cæteri ad ſecũdam perſonam ſic loquãtur. Nec per hoc aduerbiũ modo,ſed per alia quoque,& per ipſum pronomen iſtic,iſtuc,iſtac,iſtorſum,iſte,iſta,iſtud.Quãto ſatius feciſſet Raudẽſis,ſi alia pronomina potius præcepiſſet,quale eſt hoc pronomẽ ipſe,ſolere proprie & eleganter vſurpari,ſic, Expectabat exercitũ auxilio venturũ,cũ exercitus ipſe magis auxilio egeret.Huiuſmodi repetitio ferè per hoc pronomẽ fit,qualia exempla oſtenſo indicio,infinita ſibi quiſque cõperiet.Nonnunquã ſi nõ licet idẽ repetere, mutuamur ſimile: vt Iuuenalis, Creſcit amor nummi,quantum ipſa pecunia creſcit. Quia,quãtum ipſe nummus,propter verſum dicere non potuit.Virgilius, Torua leæna lupum ſequitur,lupus ipſe capellam. Cicero tertio Officiorũ,Qui exercitu po.Ro.populũ ipſum Romanũ oppreſſiſſet.quod ita neceſſario cõſtruẽdũ,qui populũ Romanũ oppreſſiſſet exercitu ipſius populi Ro.nã ipſum in reponẽdo nomine locũ habet.

Ipſe.

R.Impedire.Statimque,Paucorũ culpa nõ præiudicat religioni.id eſt non impedit. L.Non eſt præiudiciũ impedimẽtum, neque (vt aliqui volunt)offenſa quædã,atque iniuria. imò quaſi ſentẽtia quædã eſt ante iudiciũ,ac ſententiæ lationem,ſiue pro me,ſiue contra me. Nam præiudicia in cauſa Miloniana ſic cõtra Milonẽ fuerũt,tamen pro Clodianis erãt. Et vtraque pars præiudicia appellat,& vt afferam de medio exemplũ,Nunc duobus ſcribis,de officio contendentibus,quia lis in longũ procedit, Rex iuſſit interea,dũ ſententia feratur,alterũ officio fungi,quaſi iudicãs iam nũc ſe pro ea parte ſentire, penes quẽ eſſe vult rẽ de qua litigatur. Et hoc præiudiciũ nimirũ tacite exhortans iudices ad iudicandũ,pro eo pro quo præiudiciũ factũ eſt, valde adiuuat poſſidẽtẽ, vt obeſt excluſo.

Præiudiciũ.

R.Infirmitas.Paulo poſt,Meliuſcula eſt, id eſt pauliſper melius. L. Indocte expoſuit pauliſper pro paululũ,ſiue aliquãto melius habet.Eſt enim pauliſper idẽ quod per aliquantulũ temporis. Vomica nõ eſt quod Raudẽſis ait,ſed craſſities illa quæ naſcitur in aliqua parte corporis exterius eminens,in quam multum humoris ſanguiniſque deſcendit.Vnde apud Plautũ ſeruus geſtans in collo crumenam, per iocum inquit,Vomica eſt.

Pauliſper.
Aliquanto.
Vomica.

R.Induciæ. L.Magis nos loqui non Latine Raudenſis docet,quàm Latine.quis vnquã induciari audiuit,pro eo quod eſt morari aut differre? niſi qui vernacula tuæ gẽtis lingua loquitur,nõ Latina.Item exponis Virgilium. R.Opere omnis ſemita feruet.id eſt differt. L.Cũ Virgilius ſignificet laborẽ, ardorémque feruentem. id eſt vehemens ſtudium formicarũ in

Feruere.

opere faciundo.multa quoque alia similia peccas, quæ persequi infiniti fuerit operis. Mallem hoc præcepisses,indicem esse catalogum titulorũ,quibus vel libri,vel capitula inscribuntur. Item interpello nõnunquã apud veteres pro rogo inuenitur,vt Valerius lib.3,Cato vt socios apud auunculũ adiuuaret,cõstãti vultu non facturum respondit. Iterum deinde, ac sæpius interpellatus in proposito perstitit. R.Iocosus. L.Vult seriose à serio venire, cũ dicatur serius,id est grauis siue seuerus,nõ seriosus: vt Quintilianus,At nũc ista seria,grauis,quæ nũc amari recusat,ô quàm voluit amari!Sic hoc loco peccasti Raudensis,vt superius,vbi dixisti,industriosus,quod non inuenitur,sed industrius. R.Iocus. Deinde,Mimi ethologi,id est de Etholia sunt recte scurræ. L.Mimi non sunt scurræ,vt alio opere docui.Melius,si dixisset,mimi ethologi,iidem & ii qui omnia dicunt tam honesta, quàm turpia.De ethologis si Græca non vidit,saltem suffecerat Quintilianus libro primo,dicens,Chriæ & ethologiæ subiectis doctorum rationibus apud grammaticos scribantur, quia initiũ ex lectione ducunt, quorum omnium similis est ratio, forma diuersa, Quia sententia vniuersalis est vox, ethologia personis continetur. R.Larua.Multo post,Lodicem,id est lectum,seu culcitram.

Index. Catalogus. Interpello. Seriose. Serius. Industrius. Mimi ethologi. Lodix.

L.Alii pro cortina,quæ lecto circũdatur,exponũt.de qua Martialis,Nudo stragula ne thoro paterẽt, Iunctæ nos tibi venimus sorores.id est lodices. R.Lapides. Paulo post, Tofus,est scaber lapis,cauernatus,mollis,id est pumex. L. Hæc ciuitas Barolitana negat, quæ pulcherrimas quasque domos ex tofaceis lapidibus habet.Suntque passim tofacei mõtes etiam nihil rimarum, iuncturarúmque ostendẽtes,vt solent mõtes marmorei. Negat præterea Cathanensis ciuitas idẽ esse pumicẽ & tofum. R.Laudare. Postea,Eferunt, qui laude extollunt per vnã f, sed efferunt per duas ff,dicimus. L. Priscianus & omnes grãmatici negant. Longe post confert sententias Demosthenis ad Alexandrum,& Ciceronis ad Cæsarem, nesciẽs nõ esse illam Demosthenis orationẽ,sed factã ab aliquo Latino.Item alias tres,quarum vna est Demadis, qui (vt notum est) nihil scriptũ reliquit, vt Pythagoras,vt Socrates,vt Carneades: qui omnes cum loquẽdo mirabiles extiterint,nihil tamen literis mandauerunt: ipsa tamen inspectio,deprehẽdit illas esse cõmẽtitias orationes, longéque à Græco sermone,& ab illorum oratorum vita abhorrentes. R.Litera. L.Portitores literarũ male dici,superius admonuimus Raudensem. Eũdem ignorare diploma quid sit,miror,cum Seruius exponat,velítque significare epistolam vel scripturam aliquã ad

Tofus. Pumex. Effero. Portitor. Diploma.

Necubi. alium missam. R.Loco.Paulo post, Necubi inuentus est,id est nullo loco. L.Hoc superius quoque reprehendi:nã necubi duo verba postulat,vt Iussi necubi mihi præsto sis.id est,ne in vllo loco. nam præter morem dixit Virgilius, -tu ne qua parentis

Eminus. Longe. Iussa time. R.Longe eminus,id est lõge. L.Eminus hoc modo differt à longe,quòd non recte dicã Eminus habitas,vt longe habitas:sed Eminus iacula mittebãt,id est à loco remoto. non autem in hunc sensum, Lõge iacula mittebant.

Cominus. Propinquus locus. Prope. Eodem modo cominus dicimus à loco proximo, nõ autem in loco propinquo, neque prope, vt Cominus te percutiam,nõ autem cominus sedeo.

Prostibulum. Lupanar. R. Lupanar. L. Non est prostibulum id, quod lupanar, sed ipsum scortum,vt apud suum Hieronymum frequenter. dico suum,quia sic ipse appellat,quasi aliorum nõ sit. Ait autem, Prostibula regnum Dei nõ possidebũt. R.Luxuria.Paulo post, Stuprum illicita virginum defloratio. Raptus, cum puella violenter à domo patris educitur,vt in vxorem habeatur. L.Non

Cadurcum. verum hoc esse elegantiæ nostræ ostendunt. R.Alii cadurcum tentiginem vocant. L. Imò est vas illud numerosum,quod ex piscina aut puteo aquam haurit iumento rotam versante. Solẽt ex his etiam fieri canales in parietibus domorũ, per quos aquæ ex tectis defluãt in cloacas:etiam in quibusdã vrbibus, per quos

Obesus. aquæ pluuiæ cisternas impleant. R.Macies.Paulo post,Obesus, id est exilis,& macilentus. L.Imò pinguis,& crassus. R.Macel-

Lanista. Lanius. lum. Deinde, Lanista qui carnes laniat. L.Pro lanio dixit lanista:est enim lanista qui homines emit,quos arte gladiatoria im-

Næuus. buat,postea in ludum vendendos. R.Macula. Deinde, Næuus macula in facie hominis. L.Ergo mentitur Cicero qui ait,Næuus in articulo pueri delectat Alcæum. est igitur næuus in qua-

Memini. libet parte corporis. R.Memor. In fine, Memini sermo est totus temporis præteriti.si dixeris Memini me fecisse,duo tempora simul iungis. L. Vult igitur Raudensis,memini debere coniungi vtique cum verbo præsentis temporis, nec vsquam aliter factitatum,nisi in vno versu Virgilii,Nanque sub OEbaliæ memini me turribus altis Coryciũ vidisse senem.& poetæ ipsi necessitate metri facere licuisse. Hoc quàm ridiculum præceptum sit, quis non vel puerorum intelligat? si enim memini idem est quod recordor,nunquid minus recte dicam,Memini disputasse cum Paulo, quàm recordor disputasse cũ Paulo? At enim memini præteritum est.sanè verò:nec enim inficias eo,in præterita quoque significatione accipi,sed in præsenti tamen etiam accipitur,& quidem ferè semper. ideo penè improprium est iungere

tempus præſens cum hoc verbo Memini, ſimilibúſque,neque ab re. Præterita nanque recordamur,non præſentia: igitur præterito tempore vtendum eſt. vt Memini te fuiſſe virgis cæſum, non autem cædi.Memini te coronatum ſpectaſſe ludos,non autem ſpectare.Meminiſtíne te interfuiſſe cateruæ Sabinorum?nõ autem intereſſe.& quale illud Virgilianum,quod ab hac regula Raudenſis excepit:nam verſus ille apud eundem,Cantando puerum memini me condere ſoles.magis licentiam poeticam oſtẽdit,qua ego nõ vterer dúntaxat in proſa.Dicerem enim ſic,Memini me puerum condidiſſe, ſeu condere ſolitum eſſe dies cantando. Vides vt in contrarium res ipſa recidit. Raudenſis præcipit vt tantum cum tempore præſenti Memini iũgatur: ego ſentio iũgi debere ſemper cum præterito,aut ferè ſemper. R.Meretrix.Paulo poſt,Seneca, Pellices cælum tenẽt: Pellicatus,locus concubinæ.& propter pellicatus ſuſpicionem,id eſt concubinatus. L.De hoc nomine in alio opere diſſerui,nec me fallit quoſdam accipere pellicem pro concubina,quorum eſt Iuſtinus. tãtum Seneca eas hîc intelligit,quæ cum viro alterius corpus miſcerent. vt Cicero ait, Thebẽ Alexandri Phærei vxorem propter pellicatus ſuſpicionem,id eſt quòd ſuſpicaretur pellicem habere, occidiſſe virum. R.Mille.In fine,Liuius enim dixit,Gallorum vndecim millia ſunt occiſa, & peditum ſeptem centena millia. Pellex. Mille.

L.Hoc non dixit Liuius,quoniam nũquam doctorum aliquẽ ita locutum inuenimus.ſiquidem dicendum eſt ſepties centena millia. R.Mors.Poſtea ait,Cædes eſt mors. L.Imò mors non fatalis,ſed ferro, aut ligno, aut ſaxo,ſimilibúſque illata, præſertim occidere,aut ferire, aut percutere volentis. inde dicimus aliquem cõmiſiſſe cædem:&,Milo de cæde accuſatus eſt. R.Morbus.Deinde,Papula paruiſſima cutis erectio. L.Paruiſſima nõ inuenitur:præterea papula eſt puſtulis ſimilis næuus. R.Mutuare & mutuari. quidam ait,Sibi pecuniam credidit, id eſt mutuatus erat.Cicero etiam dixit,Nec temere ſe credere putabat,id eſt mutuari.A.Gellius inquit,Pecunia mutuata. L.Si plura in hoc capite dixiſſet,plura peccaſſet. vt enim in elegantiis dixi, Mutuo tibi pecuniam,id eſt credo tibi pecuniam. Mutuor autem abs te pecuniã,id eſt accipio abs te creditore pecuniam. R.Mus. Statimque poſt,Inde muſcipula,muriceps,catus,& catulaſter idem ſunt. L. Muſcipula cum apud alios, tum apud Hieronymum machina eſt ad capiendos mures. Catus apud Seruium in libro quem de Græcis,Latiníſque nominibus ſcripſit, eſt generis fœminini. Quod ſi ita eſt,non poteſt formare catulaſter,voce ma-

Septies centena. Cædes. Paruiſſima. Papula. Mutuo. Mutuor. Muſcipula. Catus.

ſculina.Et nihilominus aliud eſt catulaſter,quàm animal muriū venator. Muriceps vocabulū eſt inſuetū, qualia multa cū ſumma licētia Raudēſis excogitat. R.Natura ſuopte ingenio,id eſt natura ſuopte conſilio.item Meaptim,tuaptim,ſuaptim,noſtraptim,veſtraptim. L.Videtur author accipere poſteriora in ſenſum priorū,cū aliter ſignificent,& aliter ſcribi debeant.Meatim enim, eſt meo more: tuatim, tuo more: hoc Seruius ait ſuper Donatū,& alii quidā. R.Naues Lyburnæ,ſunt naues negotiatorum. L.Hieronymus ait eſſe naues longas. R.Lembus,lignū cauatum quaſi cymba.Idem eſt cāpillus & carabus & linter diſcurrēs in pelago ex vimine & corio.vnde ille dixit,Cauat arbore lintres. L.Lembus & cymba an ex vna arbore ſint,qui dicunt, ipſi viderint:proprie autē tantum lintres è ſingulis arboribus cōſtant, atque ita vulgo vocantur cauatæ ad traiicienda flumina trabes.quod Virgilianus ipſo loco (quē Raudenſis attulit)verſus teſtatur.Verū an ex corio ac viminibus lintres Raudenſis intelligat,neſcio.quod ſi ita ſentit,ex vna tantū arbore eſſe nō poſſunt: ſed ſi vtrunque ſit,nego vſum lintris eſſe in pelago,quæ ſolum aut conto,aut palo fluuiis,ſtagniſque aguntur. R.Trieris,nauis magna,quā Græci duracon, vel dulconem vocant, à tribus ſeſſionibus,vnde dictū eſt,Trieris magna tranſibat. L.Quid attinebat dicere hoc nomen Græce duracon vocari, ſi modo ſic vocatur,cū ipſum nomen Græcum ſit,&(vt ſentio) idem quod Latine triremis,aut penè idem? R.Artemon,eſt velū nauis breue: quia melius leuari poteſt, in ſummo periculo extenditur, vnde Actuū 27, Artemone leuato,ſecundū flatum auræ tendebant ad litus. L.Quam plane Raudenſis oſtēdit ſe in mediterranea vrbe natum,nec vnquā mare intraſſe, qui pro ampliſſimo velo,breue eſſe Artemonē ait. R.Naulum,id eſt lucrū & capitale. L. Imò pecunia quæ ſoluitur pro vectura in naui. R.Nauclerus primus nauigator. L.Imò qui in naui nautis imperat,quæcunque ad faciendā nauigationem pertinēt. nec abſurde in triremibus idem intelligitur,qui comes vel comētus dicitur. R.Ne neu,id eſt ne &. L.Imò neu idem eſt quod néve,vt ſuperius oſtendi. R.Nec. Deinde, Ne, pro nec ſæpiſſime vtitur Cicero, & antiqui, ſed ad ornatum poſt addebant quidem.verbi gratia,Nō eſt amicus,ne noſter quidem,qui bona noſtra tollit. L.Súntne iſta Ciceronis & antiquorum verba quæ recitas? imò adeò hoc exemplum nō Ciceronis exemplūeſt,ſed ex bibliis deprauatum. vbi meretrix illa puerpera apud Salomonem contra alteram litigat. verū nō modo hæc exempla falſa ſunt,ſed etiā præcepta:quippe nunquā

Muriceps. Meatim. Tuatim. Lyburnæ. Lembus. Cymba. Linter. Trieris. Duracon. Triremis. Artemon. Naulum. Nauclerus. κόμης. κόμητος. Dux. Neu. Ne quidem.

ne pro nec reperitur, nisi iuncta quidem, aliqua tamen interiecta dictione. quale meum (quo nunc vsus) exemplum probat, & vt in elegantiis latius disputaui. quod igitur? sine quidem, ne, in hūc sensum esse non potest. liquet hanc coniunctionē necessitatis, nō ornatus causa adhiberi. Néve quoque non accipitur pro nec, sed pro vel vt non. vt Cicero, Néve vastius syllabæ deducātur. id est vel vt non vastius deducantur. R. Negare, infirmare, inficiari, infiteri, defiteri. L. Infiteri & defiteri nō reperias, sed potius diffiteri, id est negare nō fatendo. Inficiari proprie est negare, quod factum, dictúmve, aut cogitatum est. à quo verbo status coniecturalis dicitur inficialis, ab in quod est non, & facio. vnde infecta negotia, quæ non sunt vt debuerunt facta, dicuntur. Nescio enim an Latine diceretur, Plato ait mundum creatum esse, Aristoteles inficiatur. Quippe non factum nunc negatur, sed opinionem veram esse. Item, Orestes impie occidit matrem, & Horatius sororem: nescio an posset patronus respondere, inficior impie occidisse. R. Nomen. L. Quia pluribus verbis longa authoris oratio refellenda esset, ideo quod verum sit, paucis absoluam. Sic enim quid ille quoque peccauerit, apparebit. Veteres Romani terna singuli ferè nomina habebant. non attinet hoc loco causam reddere, cur terna non singula: prænomen, nomen, cognomen: vt P. Cornelius Scipio. Publius est prænomen, Cornelius nomen, Scipio cognomen. Et nomen quidem, atque cognomen omnium eiusdem familiæ commune erat. prænomen verò tātum singulorum, & ideo proprium nomen quo seinuicem Gentiles vocabant. verbi gratia, Pater appellabat ex duobus filiis alterum Publium, alterum Lucium, nec aliter inter se fratres ipsi vocabant. Agnomen verò accessit ex gestis, alióve casu. vt Aphricanus, vt Creticus, vt Caligula, vt Scropha: sed hoc rarò vsurpatur. cognomen nanque potius, quàm agnomen dicitur. vt Sallustius, Liuiúsque, Scipio, cui Aphricano fuit cognomen. R. Nox. Deinde, Nocte intempesta, id est incongrua. L. Imò nocte tacita ac silenti, & ferè media nocte: an incongruam noctem Virgilius intelligit? Et Lunam in nimbo nox intempesta tenebat. aut Cicero in Verrem? Affertur nocte intempesta grauis huiusce mali nuntius. Et iterum, Téque Hercules, quem iste Agrigenti nocte intempesta seruorum instructa, & comparata manu conuellere, & in suis sedibus auferre conatus est. Aut illud in libris regum hoc significat, quod inquit? Cum intempestæ noctis silentio sustulit filium meum. R. Nugas: nugæ sunt verborum circuitus & perplexitates. L. Imò ser-

Néve. Infiteri. Diffiteri. Inficiari. Infectum. Vide lib. 6. cap. 9. Nomen. Cognomen. Prænomen. Agnomen. Nox intempesta. Nugæ.

mones leuium rerum ac nullius ponderis, & plerunque ſcurriles,ioculatoriiq́ue.vnde Catullus ac Martialis poemata ſua nugas vocant,vt de inanibus rebus loquentia. Hoc vocabulũ Hieronymus ait Latinũ & Græcum & Hebraicum eſſe , ſed ab Hebræo fonte ad Græcos,Latinóſque deriuatũ. R.Nunquid vtrũ, pro nunquid,ſæpiſſime Cicero in orationibus ſuis dixit. L.Imò

Vtrum.

vtrum de duobus interrogat,nunquid vel de vno,vel de multis, & nonnũquam de duobus.Impolitè loquitur ſic Raudenſis,Cicero in orationibus ſuis,& in epiſtolis ſuis, in libris ſuis officiorũ,Virgilius in AEneide ſua,Ouidius in opere ſuo de arte amãdi. quaſi dubitari poſſit, an hoc illi in aliis operibus , quàm in ſuis poſſint dicere.immunde igitur,non terſe,additur illud ſuis.Hoc

Suus inepte poſitum.

tamen non eſt omittendum,Nũquid,nunc aduerbium eſſe,nũc nomen,vt Nunquid ego ſum,qui te accuſaui?Nunquid eſt aliquod nauigium meo capacius?Nunquid alterum filiorum occides, vt alterum ſerues ? Nomen autem erit ſic, Nunquid criminis habes,quod mihi obiicias? id eſt Nũquid aliquod crimẽ. ſed aptius in genere neutro,vt, Nunquid omnium noſtrum te offendit?Nunquid meorum parẽtum tibi iniuriam fecit? hîc interrogatio fit de vno,de duobus,ac pluribus. R.Nuntius.Deinde,Apocriſarii nuntii papæ,quaſi ſecretarii:criſis enim quandoque dicitur ſecretum,quandoque aurum,quandoque iudicium.

Nunquid aduerbium & nomen.

Apocriſarii.

L. Vtinam contẽtus eſſes lingua Latina,nec ea,quæ ignoras, attingeres.Apocriſarii ſunt legati,non tantum papæ, & κρίσις ſignificat tantum iudicium.nam pro abſcondito per y,non per i. aurum verò per y & h,atque o,& in genere maſculino,proferẽdum eſt,ſic,χρυσός.Verum apocriſarii non aliter apud Græcos nitidum vocabulum eſt,quàm apud nos ambaſſiatores, quod nemo (niſi barbarus) dixit. R.Item reperitur nuntius nuntii maſculini generis. & non ſumitur pro nuntiatione alicuius rei. reperitur etiam nuntium neutri generis:& tunc ſumitur pro re aliqua,quæ renũtiata eſt. L.Nuntius pro hac ſignificatione nemo dixit,ſed pro homine nuntiante.nuntium in genere neutro Seruius ait pro ipſa re nuntiata accipi.Feſtus pro vtraque ſignificatione in maſculino accipit: ſed Raudenſis nullum exemplum affert,quod frequentiſſime facit.& ſæpe aut ad rẽ non pertinens, aut cõtrarium affert. R.Obſcuritas.Paulo poſt,Videtur accipere teter pro eo quod eſt ater,obſcurus & ſubniger. vt in prouerbio veteri,Quid curẽ,an ille ater,an albus ſit?Et Cicero Philip.lib.2, Et quidem vide,quàm te amarit is,qui albus,atérve fuerat,ignoras. L.Eſt autem teter idem quod malus & inſuauis,cũ ad men-

Vide lib.6. cap.15.

Nuntius.

Nuntium.

Teter.

tem pertinens, tum verò ad cæteros ſenſus, vt Tetra belua, teterrimus hoſtis, teterrimũ facinus, teterrima mens. Item tetro aſpectu, tetra voce: ſed in his potius ſenſibus vſitatum eſt. quòd ſi dicatur illud Virgilianum, Tetro fœdabant omnia tactu. ad odorẽ refertur, quem tangendo relinquebant. R. Obligatio. L. Obnoxius ait eſſe obligatus, imò potius eſt ſubiectus, appoſitúſve ac ſummiſſus. vnde locus aliquis dicitur obnoxius vento alicui. vt Lucanus, Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon. R. Obloqui. Deinde aliquanto poſt, Audi nunc illum de Catilina, & cõplicibus ſuis, ſic dicentem. L. Complices non eſt vocabulum Latinum, licet ipſe non longe pòſt afferat hæc verba Ciceronis in Catilinam, Tuorum complicium magna & pernicioſa ſentẽtia. quod ſcribendum eſt comitum, & non compliciũ. R. Vnũ, cum multa de M. Antonio dicat Cicero, referam: & eſt Quintiliani. L. Imò Cælii in ipſum Antonium. ſic erras. nam hæc orauit Cælius in C. Antonium, M. Antonii patruum, Ciceroníſque collegam, qui bellum cum Catilina geſſit, vt eſt apud Salluſtiũ. Obloqui pro hac ſignificatione, id eſt obtrectare, neſcio an repererim, ſed pro vicina, quæ eſt in cõtrarium loqui. vt Cicero pro Cluentio, Vocat me aliò iandudum veſtra expectatio, quæ mihi obloqui videtur. cui ſimilis, ſed figurate in ea, qua accipit Virgilius cum inquit, Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocũ.

AEneid. 3.

Obnoxius.

Complices.

Obloqui.

R. Contra famam eius ſanctam & cœlibem editos eſſe. L. Seipſum in imitatione affert Raudenſis, quaſi alter Cicero ſit, quædam in oratore refert. Cœlibem pro adiectiuo accipit, quod ego non auſim affirmare: & pro ſignificatione caſti, quod (vt ſuprà docui) non ita eſt: ergo monachus & frater (qualis Raudenſis eſt) ſuperuacuo dicitur cœlebs, qui vxorem ne habere quidem poteſt. R. Obliuiſci. Statim pòſt, Cum ætas multos obliuione obrueſcet. L. Inchoatiuum pro poſitiuo poſuit. Obrueſcet enim eſt obruetur: vt albeſcet, id eſt albabitur: veteraſcet, id eſt vetus fiet. R. Obſtinatus. Paulo poſt, Ceruix in ſingulari collum, in plurali contumaciam ſignificat. L. Imo (vt teſtatur Quintilianus) antiqui dicebant ceruices, non ceruicẽ: primúſque Hortenſius dixit ceruicem: ſignificátque non collum ipſum, ſed poſteriorem colli partem, quo boues trahunt. Ideóque apud Iudæos à Deo dicitur, Populus duræ ceruicis, quaſi duræ mentis: & ita indomabilis, vt tanquam durior bouis ceruix obtemperare neſciat. ea propter potius in ſingulari contumaciam ſignificat. neque enim memini in hanc ſignificationẽ inueniſſe ceruices, niſi fortè multorm. quis enim audiuit, Homo, aut populus durarum

Cœlebs.

Raudenſis frater minor.

Obrueſco.

Ceruix.

Ceruices.

Duræ ceruicis

ceruicum,siue duris ceruicibus? R.Obtinere.Inde,Imitationes exorauit,sed non impetrauit,id est obtinuit. L.Imo exorare,est obtinere ac impetrare orando, si tamen ad rem hoc refertur, vt in elegantiis diximus. Nam & oro te,& oro hanc rem dicimus. oro te,est id quod precor te. oro vitam,est id quod postulo vitã. vnde exoro te, est induco. exoro hanc rem, impetro hanc rem orando. eodem modo, quo dicimus Persuadeo te, & persuadeo tibi hoc.sed de his in eo quod dixi, opere latius. R.Oculus.Deinde, pituita . putant aliqui quòd sit humectatio quæ ab oculis fluit. L.Ego verò puto pituitam idem esse Latine, quod catarrhus Græce.hoc est,quemlibet humorem redundantem, qui ex ore naribúsve fluit.vel etiam si non flueret,etiam si non redundaret, quod intelligit Cicero libro primo Tusculanarum, cum inquit, Nam sanguinem, bilem, pituitam, ossa, neruos, venas, omnem denique membrorum, & totius corporis figuram.

Exorare. Oro. Exoro. Persuadeo te & tibi. Pituita. Catarrhus.

R.Oculis cæsis,id est lenticulosis. L. Iterum dixerat lenticulosis.mirum sic esse lentigines,aut lentes in oculis,nisi ad colorem lentium, lentiginúmque, & ad harum magnitudinem maculæ oculorum intelligantur. tamen quid de hoc ipse sentiam, superius dixi. R. Odire. Statim post, Odium est inueteratus animi rangor. L.Non Græcum,non Latinum,non Hebraicum,sed rancidum nomen est. R. Simultas,est latens odium. L. Nec odium est inueterata maleuolentia, nec simultas odium latens, sed mutuum odium,siue ipsum odium. tantúmque ab inimicitia differet, quòd inimicitia vtique opere se ostendit,& verbis & factis aduersarium lacessit. simultas plerunque intelligi contenta est, aut (vt sic dicam) offensionem suam præ se ferre. vt apud Ciceronē pro Lege Manilia,Vt multas simultates partim occultas,partim apertas intelligam mihi esse subeundas. R. Exosus & perosus actiue & passiue dicitur. L.Actiue fateor,passiue proba. R.Inuidia est odium. L.Imo atrocitas,vel reprehēsio,vel detractio,vt in elegantiis copiosius. R.Omnis,quicunque,quilibet,quisque,vnusquisque,vnusquispiam,singulusquisque, nemonon, concti per o & per c, vnusquisquelibet, nullusnon, in idem recidunt. L.Quilibet non vniuersale,sed particulare est, id est vnus, quem tibi capere liceat, vt plenius disputauimus in dialecticis. Vnusquispiam, quomodo vniuersale erit,cum idem sit quod aliquis vnus? singulusquisque non dicitur, sed singuli quique. Vnusquisquelibet inauditum, atque agreste est. Concti per o scribere debere nemo ante hunc dixit:de c quoque dissentio. R.Aliqui credũt, quòd Quisque & Quique nõ recte ponã-

Lenticulosus. Simultas. Odium. Inimicitia. Exosus. Perosus. Inuidia. Quilibet. Vnusquispiã. Singuli quique. Quisque. Quique.

tur, nisi post superlatiuū pluralem: vt Optimos quosque viros, & sanctissimi quique viri . sed recubent in ludi nouissimo loco. legant Macrobium, qui in singulari numero, neque superlatiuo dixit, die quoque, & homine quoque. L. Qui sunt isti Raudensis, qui ita credunt? Nempe solus ego hoc tradidi, quod tu ab auditoribus meis accepisti: quódque ego apud te, ac te præsente legi in commentariis istis tuis (vt testatus sum) in secundi libri de elegantia linguæ Latinæ procemio. verum aut istam in me contumeliam non scripseras, cum hūc locum legeram, aut ea mihi postea componenti exciderat. siquidē aliquot annis post te opus cōdidi. tametsi (vt opinor) ante te edidi, licet alii potius ediderc quàm ego. Sed omitto amicitiā, quā tu in ista ætate & professione lædere non debebas. Videamus vter erret, quanquā haud dubito si elegantias meas legisses, laudandum me duntaxat hoc in loco putasses non carpēdum, vt cæteri fecerunt. dicis me errare, qui velim Quisque & Quique tātum poni cū superlatiuo plurali. egóne quisque cū plurali numero coniūgerem? itáne barbarus sum, & ab elementis grāmaticæ alienus, qui de Latinitate & elegantia præcipere videor? sed hoc transeo. Quid est autē, cur meū præceptū tantopere derideas? quia Macrobius aliter vsurpat. esto. Quid Cicero, Quintilianúsque, quos in primis imitādos propono, vsurpántne & ipsi aliter, an non? si vsurpant, cur non eorum profers potius exempla? Quid Macrobium vnū, doctū quidem virū, sed nequaquā ex eloquentibus mihi obiicis? fecisses igitur si huiusmodi exempla apud Ciceronem, Quintilianúmque reperisses. si non vsurpant, vt certe nō vsurpant, quid causæ est, cur me summorū oratorū vestigiis insistentē accuses, & ad Macrobii iudicium voces? an non sentis non me reprehendi abs te, sed Ciceronem, Quintilianúmque, ac cæteros linguæ Latinæ, atque eloquētiæ principes? Adde, quòd si Macrobius in vno aut altero loco aliter, quàm trado, vti solet: certe in plurimis id, quod præcipio, custodit. Neque verò (vt testatus sum) in opere illo de elegantia legem trado, quasi nunquam aliter factū sit, sed quod frequentissime. Nunc ad extremū agnosce imperitiam tuam, cum dico Quisque coniungi cum superlatiuo, non cum positiuo, de adiectiuis loquor, non de substantiuis: atque exempla Macrobii de substātiuis sunt, quod nemo dubitat. vt quisque pater, quisque ciuiū, quæque mulier: quo ipse in eodem loco testatus sum, cū dixi Quisque nō habere genitiuum pluralem, duntaxat cū adiectiuo. quod cum ita sit, planè apparet Macrobium non contra me facere, sed eum cū cæteris authoribus præceptū confirmare,

Quisque cū superlatiuo adiectiuo.

Quisque tātū in singulari.

id eſt te errare,non me: & quiſque cum ſuperlatiuo,non cũ poſitiuo debere coniungi.Quæ res à me copioſius in eo ipſo,quod dixi, opere explicatur. cæterum ſicut in hoc, quod me peccare exiſtimaſti,contumelioſus fuiſti: cur in eo,quod à me, id eſt ab auditoribus meis audiuiſti,non fuiſti gratus? vbi de per & quàm præcipis,itémque numerum minorem præponi maiori: tametſi quæ præcipis, obſeruare non potes (quod ſummopere pudendũ eſt) ſi modo recte præcipis.nam numerum minorem nõ vtique præponendum dixi,niſi interueniẽte copula:& alia in hanc rem plura.Vter ergo Raudenſis,túne,an Laurentius recumbere debet in ludi nouiſſimo loco? verum non refundam ego tuã in te cõtumeliam,& amicitiæ noſtræ tribuam aliquid quod tu non feciſti. R.Oportet.In fine,Plautus in Aulularia,Da mihi operam, id eſt occaſionem,facultatem. L.Imo inſerui mihi, hoc eſt,operam tuam mihi impende. vt idem Plautus in Capteiuei duo, Quæ res bene vertat mihi,meóque filio,vobíſque:vult te bonus herus operam dare tuo veteri domino. Terentius in Phormione, Nos operam dabamus Phædriæ. Aliquãdo pro eo quod eſt audias. Vnde Cicero,Quintilianúſque teſtantur Demoſthenem dediſſe operam Platoni, id eſt diſcipulum ei fuiſſe. R. Ne reus maieſtatis illorum fiam. L.Reus pro nocens accipit Raudenſis, vt in capite Peccatum, reatum pro peccato: qualem apud veteres ſignificationem non reperias. nam de vſu euangeliorum hoc loco non attinet dicere, cum plura diſſeramus in libris ſuper nouum teſtamentum. R. Ordo. Deinde,Homo ſerius.

Dare operã. Reus. Reatus. Serius. Series.

L. Vult Raudenſis ſerium hominem dici à ſerie, cum ſeries habeat primam breuem, ſerius verò longam. ergo à ſerio deſcendit. nec ſignificationem ordinis à ſerie ſeparat, quod ego in elegantiis feci. R. Ornatus. L. Plurima nomina ad ornatum pertinentia enumerat, nec ea exponit, nihil aliud faciens, niſi quòd ſe illa poſſe dicere,quæ docere vult,indicat. ego verò ſi ea coner exponere, opus vocabulorum componam, non notas Raudenſis attingam. R.Hortus per h ſcribi debet, inde hortulus. L. Si hoc ita eſt, cur hoc vocabulum in capite o literæ, & non in capite h poſuit? R.Olitor eſt olera vendens in forro olitorio. L. Ego potius pro eo accipio, qui vulgo dicitur hortulanus.vnde Varro de lingua Latina,Nam vt holitor digerit in areas ſui cuiuſque generis res, ſic in oratione. R. Ouis. Statim poſt,Ammon eſt aries per duplex m,vt veruex, id eſt aries.

Hortus. Olitor. Hortulanus.

L.Ammon eſt harena,non aries: nec Latinũ nomen,ſed Græcum.Decepit autem Raudenſem,quòd Iupiter(qui dicitur Am-

Ammon. Iupiter quare dictusAmmõ

mon) colitur sub imagine arietis, sed imaginis quidē alia causa est.nominis autem ratio ab harenis,quibus vndique circuniectis lucus in medio relictus est,vbi templū Ioui erat extructum.Veruex,est aries castratus,non tamen aries,sicut maialis non est verres. R.Pactum. L.Raudensis ait Quintilianū,Seruiúmque dissentire in præterito pepigi, quod nunc minime verum est. nam ille ait pepigi,ita esse à pago,vt cecidi à cado. hic verò nunquam lectum esse pepigi à pango, licet quidam hoc sentiant. A pango dixit Seruius non venire pepigi. ergo fatetur à pago. R. Palus. Non multo post, Larius lacus Galliæ Cisalpinæ.Deinde,Lemānus lacus Galliæ. Deinde,Luceriæ lacus per quē transit Rhenus. Deinde,Cumanus lacus,vnde exit Abdua. require Pliniū de naturali historia. L.Quæro abs te, qui Pliniū in testem citas, ait ille aliquem lacum vocari Cumanum in Gallia? nō dico, quòd Comensem,non Cumanum dicere debueras, sed aliquem lacū à Como vocari.Lege ergo diligentius vtrunque Pliniū,patrem, filiúmque, & intelliges non sic appellari, nec alium hunc esse à Lario lacu.Lemānus lacus est, vt qui vicinus Gebennæ in Rhodanum influit,à quo Alemanni vocantur.licet hoc tempore nō dicantur illi esse Alemanni, sed Galli. R.Pario. Deinde, Puerperium propriè est primus partus.Deinde,In fine puerpera,est puella primi partus. L.Imò puerpera est,quæ recens peperit,vt nomen ipsum indicat, non quæ primum partum enixa est. totiésque mulier puerpera est,quoties puerum,aut pueram parit.Ouidius autem de Latona, quæ geminos pepererat, ait, Magna gemelliperæ venerantur numina diuæ.At puerperium, est tempus quo ex dolore partus cubat,seu intra domum se tenet.nec puerpera tantum puella est, sed etiam (vt dixi) quæ plurimos peperit:adeò,vt si tantum esset fœmina primi partus puerpera, quod longe est secus,tamen & anus potest esse primi partus mulier.An Elizabeth puerpera fuit? neque enim vocatur puerpera , quia puella parit:sed quia puerum pueràmve,vt modo dixi, nec quia primo partu. Alioqui dixisset Terentius, Glycerium puerperam potius, quàm primi partus mulierem. verum (vt testatus sum) postquam peperit, & intra dies purgationis puerpera est. R.Paro. Paulo post. Deinde,Cum armis præsto forent,id est parati.

L. Raudensis eodem modo accipit hoc nomen, quo vulgus, quod ait,Ego sum præsto,id est paratus.præsto sum igitur,idem est quod præsens sum.& cætera quæ in elegantiis latius. R.Paruulus. Deinde,Dicimus puellum tantillum,id est paruulum.

L.Ipse non affert exemplum.Syrus apud Terentium ait,Quem

Veruex. Maialis. Verres. Pepigi. Comensis lacus. Lemannus. Alemanni. Puerpera. Puerperium. Præsto. Tantillus.

ego puerũ tantillum in manibus gestaui meis. credibile est Syrum ostendisse gestu manus, pusillitatem illam quā dicebat: sed iam à quibusdam est vsu receptum, vt etiam sine gestu ita dicatur. vt Plinius de Regulo, Spe legati eluso, ne tantillum quidem reliquit. Scribebat enim Plinius non loquebatur, vbi opus non erat gestu. Cicero quoque in Verrem actione 4, Quorum oratione iste, quum pretium iam accepisset, ne tantillum quidem commotus est. & in eundem sæpius. R. Nam quantula nostra voluptas, id est parua. L. Interrogatio facit vt suppleatur parua. nam propria huius loci expositio est, Nā quantulum magna est voluptas nostra. R. Pascere. Paulo post, Et dum pabulatu redirent armenta. L. Redire pabulatu, nō licere dicere iam admonuimus. R. A. Gellius dixit villaticæ pastionis. L. Quasi non T. Varro librum inscripserit de villaticis pastionibus. neque verò Raudensi faciēdum fuit vt tam sæpe A. Gellium pro teste afferret, hominem curiose nimis ac superstitiose loquētem. quid dicam de Apuleio in eo præsertim opere, cuius nomen est De asino aureo? cuius sermonem, siquis imitetur, non tam auree loqui, quàm nonnihil rudere videatur. R. Patientia. In fine, Dicimus etiam per se tulit, per te feras: id est vltra naturam hoc patere. L. Hoc inauditum est, sed præ se tulit, & præ te feras, de quo significato in elegantiis dixi. R. Paucum. Paulo post, Quota pars erat, id est modica. L. Dixi superius, quum ita interrogamus, suppleri parua. est enim sic interrogando, quota eiusdem significati, cuius quanta, vt in elegantiis docuimus. R. Pax. Paulo post, Treuga est & securitas præstita personis, & rebus ad tempus, discordia nondum finita. L. Si cum literatis agis Raudensis, quid ita diffinis illiterata vocabula? sin cum illiteratis, istam tuam diffinitionem nec intelligunt, nec desyderant. Quid quòd personas ais pro hominibus? non minus inepte, quàm quũ treugæ pro induciis vteris. de hoc etiam in elegantiis. R. Pellis. Deinde, Pelliparius, parans pelles. L. Quid est parare pelles? quis etiam vtitur hoc nomine pelliparius? En magister elegantiarum, qui elegantiis bellum indixisse, aut contra illas bellum gerere videtur. R. Pœna. Deinde, Mugilis piscis est velocissimus in modum serpentis, qui in sacco parricidali mittebatur vt podicem ingrederetur. L. Quis piscis inclusus sacco viuit, nisi fortè anguilla ac murena? Quis item piscis ingredi locum illum hominis posset, aut auderet? frigida loca, atque humida, spatiosáque adamant pisces, non calida, non sicca, non arcta. sed nimis de re illiberali, nec digna, quæ ab homine pudenti dica-

Pastio villatica.

Præ se, præ te ferre.

Quotus.

Treuga.

Persona.

Pelliparius.

Mugilis.

tur. R. Pœnitet. L. Pluribus verbis conatur exponere Raudẽsis pœnitet quid significet,& specialiter in loco Ciceronis, Quo ad te, quantũ proficias, non pœnitebit. ego statim, breuiterque exponam pœnitet. præter illam vsitatam significationem, est idem quod piget: quæ significatio parum abest ab illa naturali. vt Terentius in Hecyra, Quod si perficio, non pœnitet me famæ meæ. Et Virgilius, Nec te pœniteat calamo triuisse labellum. Non autem, vt hic,& alii quidam exponunt pro parum videtur. nec Aulus Gellius satis docte, subtiliterque defendit Marcum Tullium ab Asinio Pollione, cæterisque obtrectatoribus in loco illo orationis pro Cælio, Nunquam efficiet vt pœniteat eum deformem esse natum. Pœniteat ait Cicero, quasi pigeat, doleat, tædeat. vt idem de senectute, Nec senectutis meæ pœnitet. Et T. Liuius, Nec pœnitet esse in ea opinione. R. Pensio. Inde, pensionarius. Census est annua pensio. L. Pensionarius est Raudense verbum, non Romanum. Census quoque non est annua pensio, nisi apud non sanè doctos, sed aut quicquid fortunarum quis habet: vnde Quintilianus, Abiere vires, census, mens. aut id quod principi per capita soluitur, siue per focos, vnde dicitur quis soluisse, aut non soluisse censum. R. Pendo, Deinde, Apuleius ait gradus pensiles, id est passus. L. Quid exponis, gradus, an pensiles? Si gradus, nihil hoc ad propositum: sin pensiles, hoc non significat. gradus pensiles quid sint, in elegantiis dixi: nunc verò Apuleius sentit gradus pensiles esse suspensos passus. R. Penu, cellarium, promptuarium. L. Author accipit penu non modo pro rebus, quæ reponuntur ad victum (vt omnes aiunt) sed etiam pro loco illo, quem idem cellarium, promptuariúmque appellat. quod nemo doctorum dixit.

Pœnitet. Pensionarius Census. Pensilis. Penu.

R. Penuria, Cicero dixit in summa annonæ caritate, id est penuria. L. Imo aliud est penuria annonæ, aliud caritas, vt in alio opere dixi, & nunc iterum dicam. Penuria annonæ est paucitas ac raritas annonæ. Caritas verò, carum annonæ pretium, quæ potest esse magna, cum nulla penuria sit. vt quando iniqui annonam habent & supprimunt, vt carius vendant: aut non supprimunt, sed caro vendunt. Et ediuerso plurimarum rerum penuria, id est raritas est,& earum nulla caritas. certe bonorum virorũ magna sanè penuria est,& ii qui sunt, cari nõ sunt. R. Pera. Deinde, Clitellæ etiam sarcinulæ sunt. L. Imo iumentorum (vt vulgo vocantur) basti, super quos sarcinæ, aut alia onera ponũtur. R. Persequor. L. Vult hoc verbũ in malam partẽ tantum accipi: nam de significatione eius in bonam dicere omisit, quod

Penuria. Caritas. Clitellæ. Basti. Persequi.

etiam non raro reperitur.vt enim dicitur Perſequor te,id eſt infeſte te ſequor:ita Perſequor quæ incœperã,id eſt pergo quæ cœperam dicere.ſed de hoc in elegãtiis. R.Petere. Deinde,Contẽ-
Contendere. dere eſt cum efficacia petere. L.Imò cõtendẽdo,ſiue cũ conatu ac nixu petere: ſemperque id requirit ablatiuum hoc modo: vt
Iubeo. apud Ciceronẽ,Frequenter à me contenderunt. R. Item iubeo te illam amare,id eſt peto cum magna inſtantia. L.Imò aperte dicere & quaſi hortari, vt Iubeo te ſaluere, iubes me bene ſperare.Virgilius, Cur cælum me ſperare iubebas? ſed de hoc verbo
Inſtantia. in elegantiis latius. Inſtantia non probatum vocabulum eſt.

R.Piger. Paulo poſt, Accidia,eſt animi torpor, quo quis bonũ deſinit inchoare. L.Vt id ſignificet hoc nomen,nõ poteſt ſcribi Latine,nec pronuntiari:niſi dicamus,ſcribamúſque acidia,ſeu a-
Acedia. cedia:vtrunque tamen per vnum c ſcribendũ,pronuntiandúm-
Deſino. que eſt. Taceo quòd deſinere eſt eorum,qui inchoarunt:nõ eorum,qui nondum inchoarunt,vt ait Raudenſis.Nemo enim poteſt deſinere inchoare. Illud nunc addo de ſignificatione: locus ille pſalmi qui ait, Dormitauit anima mea præ tædio.Græce eſt præ acedia.vt idem ſit tædiũ & acedia.Item locus alterius pſalmi, Et anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus.Græce eſt acediauit.ergo
Ignauia. idem eſt anxietas & acedia. R. Ignauia,eſt animi vitium, quo quis in aliquo opere nullam adhibet diſcretionem. L.Inaudita hæc huius nominis diffinitio. eſt enim ignauia contraria fortitudini,vt Cicero multíque teſtantur: quum quod ratio aggredi fortiter ſuadet, id nos formido diſſuadet, & ab audendo reti-
Diſcretio, ineptum. net. Diſcretio non eſt vocabulum dignum eo, qui doctrinam elegantiæ profitetur. R. Pinguis. Deinde, Vitulum ſaginatum, qui butyro & melle ſaginatur. L.Quis vnquam dixit vitulum
Saginari. paſci butyro & melle? ſaginari enim,eſt delicato,opiparóque edulio impinguari. ſaginatur itaque vitulus mollioribus herbis, fœnóque,aut aliis cibis, manu humana miniſtratis, non butyro & melle . mortuum fortaſſe Raudenſis intelligit, qui profecto non dicitur ſaginari, etiam ſi totus ſagina aliorum animalium
Sagina. farciretur. Vſus ſum nunc ſagina, non pro cibo,quod vſitatiſſimum eſt: ſed pro abdomine atque pinguedine,vt aliqui authores vſurpant:quorũ eſt Iuſtinus,libro vigeſimo inquiens,Sublatis deinde æmulis,in ſegnitiem lapſus, ſaginã corporis ex nimia luxuria,oculorúmque valetudinẽ contraxit. R.Plures.In fine,
Complures Quampluſculos,id eſt quamplures. L.Cõplures,nõ quamplu-
Perquãpluſculi,ineptũ. res,ne perquampluſculos quidẽ reperiri apud doctos reor. Quid autem vis ampliare ſignificatum nominis diminutiui? quippe

plusculum,minus quàm plus significat.per autem,&quàm augent.ego verò dicerem complusculos,nō vt augerem,quod augeri non videtur posse,sed vt deriuem diminutiuū ab illo. Com plures dixi nō videri posse augeri, quia quū dico,perpaululum, augeo vim ipsam effectúmque minuendi,id est multum,valdéque paruum . quum dico,perplusculos dies, perplusculos nummos, duo contraria inuicem,augeo paucitatem numeri,& comparatiuum,quod auget numerum:quæ duo cum simul esse nequeant,nescio an liceat dicere perplusculos,siue perquamplusculos. R.Pluuia.In fine,Imbrex est canale tecti, vnde aqua effluit. Per. Quàm. Imbrex.

L.Imbrex tegula est, sed magis concaua quàm plana . canalis item potius, quàm canale . à qua defluit potius, quàm vnde effluit. R.Pondus.Deinde,Libripens,qui libra pōdera rerū determinat. L. Negat libro primo institutionum Vlpianus , & qui hunc in testimonium affert Priscianus,ac Boetius in Topicis.nā est qui libram æneam tenet.hæc enim suntverba Boetii,Mancipi res veteres appellabant,quæ ita abalienabātur,vt ea abalienatio per quandam nexus fieret solennitatem. nexus verò,est iuris solennitas,quæ fiebat eo modo,quo in institutionibusCaius exponit,adhibitis nō minus quinque testibus Romanis puberibus: & præterea alio eius conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens. is qui mancipium accipit,ita dicit,Hūc ego hominem, qui mihi emptus est hoc ære, æneáque libra, ex iure Quiritum meū esse aio. R.Poeta. L.Luceium accipit pro poeta,qui erat historicus,vt epistola Ciceronis ad illum datur intelligi.de quo etiam meminit in oratione pro Cælio. Itē deitatem ait,cum veteres omnes dixerint diuinitatem: & deitatem dici nō posse ratio ipsa conuincat, vt primo repastinationum libro docuimus. R. Quicquid sit de his interpretationibus & versibus, hoc vnum scio,quòd poetæ sæpenumero cōfundunt istas.Nam vnam pro alia ad versum suum pro commoditate trahunt. Canalis. A qua defluit, Libripens. Luceius. Deitas,ineptū

L. Quicquid sit,posuit pro,vtcunque sit. item vnam pro alia, quum dicere deberet,aliam pro alia. R.Dubitant quoque,Homerus an ante,vel post Hesiodum vixerit, qui tamen contemporanei fuerunt:sed qui ætate maior fuerit,ambigitur : tamen annis multis fuit ante Romulum. L.Pro An dixitVel.in dubitando enim semper ponitur an,vt ipse ex parte fecit. sed in secundo loco non etiam posuisse An,turpius est, quàm si vtrobique,Vel posuisset, siue Aut. Itē melius dixisset, vter maior,quàm qui maior. Contemporanei autem non inuenitur , præsertim in hunc sensum, in quo cum à multis aliis, tū verò à Cicerone dissentit, Vtcunque. Quicquid sit. Vnā pro alia. Vel. An. Vter. Cōtēporane'

Hesiodus. qui in Catone ait, De quo doctus Hesiodus, ne verbum quidem Homerus. fecit. At Homerus, qui multis (vt videtur) antè seculis fuit: nec me fallit multos tam Latinos, quàm Græcos in ea esse opinione, vnde Aulus Gellius ex ipsius Hesiodi epigrãmate, quod nunc Thessalonicæ in marmore ostenditur, vult probare Homerũ ab Hesiodo superatum fuisse: quod significat Hesiodus ipse in opere de re rustica, non habita mentione eius, quem vicerit. Tamen plerique sentiunt alterum Homerum multis post seculis natum, ab Hesido victum, voluntque Homerum etiam bello Thebano, Troianóque interfuisse: Hesiodum autem Stesichori patrem fuisse. Quid mirum si per obliuionem Raudensis à Cicerone dissentit, quum suiipsius obliuiscatur? qui paulo post ait, R. Hesiodus poeta contemporaneus Homeri, non solum poeta, sed Pythagoreus fuit. L. Quomodo fuit Pythagoreus Hesiodus, & ætate Tarquinii regis: quum Homerus, quem ætate Hesiodi fuisse ait, tandiu fuerit ante vrbem conditam? R. Hunc in Tusculanis Pythagoras. Cicero nominat. fuit tempore Tarquinii Prisci. L. Pythagoras fuit tempore Tarquinii, nec Prisci, sed Superbi: & (vt Liuius ait) Archilochus. Seruii regis, non Hesiodus. Item Archilochum facit esse tragicum, quum sit iamborum scriptor, de quo (licet Græco) non debuit tamen ignorare, quum de eo multi Latini scribant: itémque Pindarus. de Pindaro Lyricorum principe, quem hic tragicum esse Alcæus. vult. Sic Alcæum quoque, quem lyricum esse, cum alii, tum Sap Aratus. pho ad Phaonem scripto carmine testatur. Aratũ nescit, in quorum poetarum numero reponat, ignorans opus illius primum esse à Cicerone, deinde à Germanico Augusto translatum heroi AEschylus. cis versibus, vt Græce scriptum est. AEschylum tempore Darii fuisse, quis non hunc putet eum Darium esse, cum quo ter Alexander iusto bello pugnauit? atqui ante eum aliquot seculis AEs Afranius. chylus fuit, vtpote primus omnium tragicorũ. Afranium Græcum esse suspicatur, qui togatarum (vt iterum dixi) scriptor fuit.

R. Cicero illum quamfamiliarem habet. L. Cur non tuum præceptum Raudensis obseruas de per & quàm? nempe quia nõ est tuum, sed ab auditoribus meis per te exceptũ, in quo iterum laberis. R. Horatius tempore Augusti fuit, & Virgilii quamfa Accius. miliaris. L. Accium comicum poetam ait: Pacuuius quis sit tacet, quum vterque tragicus fuerit. R. Et in primis egregius, lege rogo Iuuenalem. Et alibi, Lege hoc precor. L. Quid alienius à dignitate atque authoritate componentis, quàm obsecrare legentes vt legãt, quasi vt illi iudices sint, in quorum arbitrio pendeat salus ac vita obsecrantis? custodienda est ab auditore maie-

ſtas & attentio, non precibus, ſed rationibus ac rerum dignitate, pondere'que comparanda. Rogat vt legamus etiam poetam, cum ipſe velit hoc vnum opus, quod ipſe compoſuit, pro omnibus ſufficere. R. Muſas ſibi ait quàm familiares eſſe, eáſque Sicilidas. L. Iterum quàm familiares dixit, pro perfamiliares, ſiue perquamfamiliares, ſiue quàm familiariſſimas. R. Pomum. Deinde, Baccis, id eſt pomis. L. Quæ baccæ ſunt, poma non ſunt, vt oliua, bacca lauri, grana myrti, ſimiliáque. R. Pomerium, viridarium, id eſt pomerium, locus plenus viriditate. L. Pomeriũ eſſe locum iuxta muros, & pomarium locum conſitum pomis, in elegantiis dixi. R. Populus. Aliquanto poſt, Arpi, populi ſunt Italiæ, inde creditur Cicero vocatus Arpinas. L. Quæ tanta tua Raudenſis ambitio, vt omnia in iſto opere inſerere velis? etiam tuas orationes (taceo quàm ornatas) etiam aſtronomiam (ſileóque quàm doctè) etiam rhetoricam (non dico quàm verè) & flumina, montes, vrbes, populos, & alia multa etiam quæ prorſus ignoras. Nam Arpi in Apulia ſunt prope vrbem, quæ nunc dicitur Foggia. Arpinum vnde fuit oriundus Cicero, longe illinc abeſt. Quare vereor, ne propter nimiam loquacitatem, tuum hoc opus omnes homines à ſcribendo, ne dicam à legendo deterreat. R. Getæ nil aliud ſunt niſi Gotti. Getuli etiã dicti ſunt.

Perfamiliaris. Perquamfamiliaris. Baccæ. Pomerium. Pomarium. Arpi. Arpinum. Getuli. Gotti.

L. Getuli in Aphrica, Gotti autem ex Septentrione venerunt. R. Porcus. Deinde, Cicuris eſt propriè porcus domeſticus.

L. Hieronymum, qui hoc (vt opinor) dixit, non affert Raudenſis. affert Ciceronis exemplum, quod ab hac præceptione diſſentit, quum dicit Feris cicuribus natantibus. Profectò cicures, non pro feris accipiendæ ſunt, ſed pro mãſuefactis, vt palàm Varro teſtatur, reddens etiam ex ipſa etymologia cauſam, vt alibi docuimus. R. Porrò. In fine, Titus Liuius ſæpe dicit comportant tigna, comportant bladum: nec dicit portant. L. Raudenſis ſæpe ſua verba alteri tribuit. Quis enim apud Liuium aliúmve authorem legit bladum? reperitur autem apud Liuium ac cæteros, vt comportat, ita portat, vt in multis locis, quorum vnus eſt, Siculum autem omne frumentum in AEtholiã ad exercitũ portari iuſſum. Et alibi, Cõmeatus tamen haud ſecus quàm in pace, in agris, caſtelliſq; hoſtium Romani portabant. R. Poſſum. Deinde, Eſt nãq; aduertere, id eſt animaduerti poteſt. & nuſquã ſcriptũ inuenire eſt, id eſſe factum, id eſt inueniri poteſt. & multos eſt videre pecuniæ cupidos, id eſt videre poſſumus. L. Raudenſis videre vult hoc opus nõ euoluendis ſedulò libris, ſed memoriæ beneficio condidiſſe: quod prudenti lectori longe vide-

Cicur. Bladum. Portare. Eſt cum infinitiuo.

tur esse secus,cum in pluribus aliis,tum verò,quòd in copia maxima exemplorum nulla homini exempla succurrunt,sed quædam ex seipso cõfingit.vt hoc loco exempla nullo authore proferũtur,ac ne proferri quidem possunt,nisi ex poetis.vt apud Virgilium, Scis Proteu, scis ipse:nec est te fallere quenquam. id est, quia non est possibile cuiquam fallere te . qui modus per negationem potius fit, vt exemplum ipsum hoc ex Virgilio sumptũ. Estque figuræ Græcæ magis,quàm Latinæ.vnde fit vt multa hu

Non est dare. iusmodi non politi interpretes effundant,quale est illud, Nõ est

Potis. dare vacuum in natura. R.Potis. L.Imo impugna Priscianum qui ait apud Terentium scribendum esse,Quid ais? cum virgine

Potus. vna adolescens cubuerit plus potus . non autem potis. Ostendat Raudensis stare versum,vt ipse emendat,& melius sentire quàm Priscianum confitebor. Potus nanque habet primam longam, potis verò breuem. R.Pretium. Deinde,Item minoris vendidi,

Maioris vẽdo non dicitur. vel maioris. L.Non dicitur,maioris vendidi vel emi, sed pluris.

R.Præfectus.Multo post, Quinetiam inquilinus aquam in cœnaculo habeat,qua igneo terrore ingruẽte præsto accurrere pos-

Præsto. se censeatur. L.Non rectè vsus est præsto, neque in significato, neque in coniunctione alterius verbi, quàm substantiui . etiam

Terror ignis. igneus terror improprie dicitur,pro eo quod est terror ignis:neque enim dicitur aurea cupido,ferreus timor:pro auri cupido, &

Præsẽtialiter. ferri timor. R.Præsentialiter. L.En Latinum, elegánsque vocabulum. R. Præsepia dicuntur non tantum in quibus aut canterii,id est equi antiqui,aut iumenta, aut cætera animalia pabulãtur,sed omnia loca clausa & tuta,dicta sunt præsepia.vnde Vir-

Canterii. gilius, Fucos à præsepibus arcent. L.Canterii sunt equi castrati,non autem antiqui,vt quibusdam placet. Græci cãthelios vo-

Pabulari. cant asinos,à spinis tollẽdis. Nec pabulari, est in stabulo comedere equos,sed homines pabulum equorum ex agris capere.vnde sæpe legimus milites missos esse pabulatum . Præterea male diffinit præsepia. Nam Virgilius figuratè dixit præsepia , eodem modo,quo dixit fucos pecus:hic enim versus eius est, Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent. Qua translatione venustiorem ac verecundiorem alteram translationem fecit . nam quum dixisset pecus,decentissime subiunxit præsepia .quod imitans Quintilianus,hanc translationem, vt aliquãtulũ abhorrentem à prosa,in vsum oratorium commutauit, Aliæ militaribus castris pellant vulgus ignauum . ergo dicamus omnia loca clausa esse ca-

Castra. stra,quia Quintilianus alueum apum dixit castra . hæc Raudensis noster eloquentiæ(si ei credimus)præceptor ignorat, qui pro-

pria nunquam à tranſlatis verba diſtinguit,& perinde de omnibus loquitur,ac ſi propria vtique eſſent. R.Proconſularis.Paulo poſt, Quo ſerioſius delectum facere poſſet conſulem creauit.

L.Serioſius pro ordinatius poſuit, quod non inuenitur, nec in hunc, nec in alium ſenſum. R.Obſeruari cœptum eſt, vt quo quiſque anno conſules fuiſſent, ſequenti proconſules remanerent. L.Hoc nunc audiui. nam Cicero non fuit proconſul, altero poſt conſulatũ anno:& multi antè procõſules fuere, quàm conſules,vt Põpeius,Quintilianus,Cicero. R.Proditor. L.Statim poſt,vſque ad calcem errat.ait enim, R.Factioſus,qui fingit ſe facere vt proſit, ſed facit vt noceat. Seditioſus, qui diſcordias ſeminat. Commẽtum,occultus & malitioſus tractatus.item vrbem ex compoſito inuadunt,ſcilicet per proditionẽ. L.Eſt nanque factioſus (vt ſuperius dixi) qui potens in ciuitate nititur eſſe contra æmulos.Seditioſus,qui ſeditiones amat,vt in elegãtiis docui. Commentum eſt excogitatio.An commentum Donati eſt malitioſus tractatus? quanquam non me præterit Raudenſem illuſtrantem tractatum pro coniuratione intelligere. Ex compoſito,eſt ex conuento,cum clàm inter ſe conuenerunt, & hoc frequentiſſime in bonam partem.nam ſi cõtingat aliquos inſidiari hoſtibus aut aduerſariis, quod nemo inhoneſtum eſſe dixerit, ex compoſito fieri dicere poſſumus. R.Profeſſio. L.Non apertè Raudenſis hoc nomen diffinit:ego (vt breuiter dicam: neque enim niſi breuiter dicere licet) ſic diffinio,Profeſſio eſt aperta ac voluntaria confeſſio , vt Profiteor me amicum eſſe inimici tui. Inde,qui artes liberales docent, profeſſores dicuntur, quia artes illas ſe ſcire,ac poſſe publice tradere,fatentur.Profiteri autem apud prætorem(vti de Archia eſt apud Ciceronem) & profiteri ſiue nomina,ſiue cenſum,vt eſt cum alibi, tum verò in iure ciuili:& in Euangelio,quòd profitebantur omnes in Iudæa ſub Auguſto:ex hoc fonte venit. R. Prolongare, induciari. L.Induciari,pro differre, ſiue procraſtinare Raudenſis accipit : vt iterum dixi,illiteratè nos loqui docens,nõ(vt profitetur)literatè. R.Promitto.Paulo poſt,Spõdent,id eſt certificant. L.Docti aiũt ſpondere eſſe vltro promittere.vt apud Virgilium, -non ſi mihi Iuppiter author Spondeat, hoc ſperẽ Italiam contingere cælo.

R.Pronuntiator. L.Ais cannæ,pro arteriæ:ais garrire,pro acutè exclamare:ais ſtrepitus,provociferatio:id eſt hæc illa ſignificare.Item colis,comis,& periodis,pro diſtinctione punctorum. ais comis in plurali,cum eiuſdem ſingularis ſit hoc comma,tis. Ais Quintilianum,quum dicit commouere tragœdias, de pronun-

Serioſius. Proconſul. Factioſus. Seditioſus. Commẽtum. Ex cõpoſito. Profeſſio. Profiteri apud prætorẽ. Induciari. Spondere. Cannæ. Garrio. Strepitus.

tiatione ſenſiſſe: hoc eſt de exclamatione. & quum hæc dicas, putabo te poſt Ciceronem & Quintilianum de arte oratoria poſſe præcipere. Nam Conſultus, ac Martianus Capella, & quidam alii de arte præcepta hæc dant: ſed plurima ex Quintiliano, ad verbum ſumpta, quum tamen de illo à quo furantur, mentionem non faciant, Homines improbos, planéque ingenio miſero ac furaci, quos aliàs caſtigabimus. Tu tamen, quaſi illis doctior ſis, audes de eloquendo ac pronuntiando conſcribere, præſertim recedens ab illorum ſummorum principum veſtigiis.

Martiani furta.

Poteram equidem ad ſingula præcepta rhetoricæ (nam omnes colores rhetoricæ perſequeris) te refellere, atque iure optimo deridere, à quo faciendo retinuit me, & prolixitas huic libro alieniſſima, & pudor, nequis nimis exiſtimaret iratum: ſed à breuitate inſtituta recedimus, dum plura quàm oporteat de operis noſtri breuitate fabulamur. R. Cœpit cauda ad aures vtrinque repercuſſa excandeſcere, & ſuſcitare ſe ira. L. Si leones nunquam viuos, certe pictos, ſculptóſve inſpexiſti, an tibi caudæ tam proceræ videntur eſſe, vt flagellare vtrinque aures queant? Si hoc ita eſſet, & oculos flagellarent: quod, quia obeſſe viſui poſſet, non eſt putandum diuinam prouidentiam vltra quàm oporteat, proceram dediſſe leonibus caudam. R. Acrimoniam etiam ineſſe, id eſt rugata fronte, qualis CHRISTVS futurus eſt in vltimo iudicio. L. Quaſi acrimonia vultus rugare ſit frontem, & quaſi oratores aduerſus iudices eam ſeueritatem, idémque ſupercilium exhibere deceat, qua iudex eſt, aut magiſtratus in eum, qui damnandus eſt rei capitalis: & quod omnium terribiliſſimum eſt, qualis Deus & homo CHRISTVS in homines erit diabolóſque damnandos, ſi modo CHRISTVS contracto ſupercilio, id eſt iracundo animo ſedebit, & non poſſit iudicare, niſi indignatus. R. Dabátque Octauianus aſſiduo phonaſco operam. eſt enim potio, qua vtebantur poetæ, quum recitabant. L. Imo Phonaſcus eſt muſicus, apud quem Octauianus aſſidue ſtudebat. Ait enim Suetonius Octauianum dediſſe operam Phonaſco aſſiduo: hoc eſt audiſſe muſicum, cantorémque aſſidue, à quo diſceret ratione vtendæ, confirmandæ, emendandǽq; vocis. R. Propé. L. Non eſt cominus idem quod propè, ſed (vt ſic dicam) à propè: vt Cominus te inceſſebant lapidibus. hoc eſt è propinquo loco: ſicut econtrario eminus, è longinquo: ſed ita tamen longinquo, propinquóque, vt propè intra iactum teli eſſe poſſit, aut quod ſit id genus. Nō enim recte dicas, Cominus veni, eminus redeo. de hoc iterum ſuperius. R. Prouerbium. Deinde,

Acrimonia.

Phonaſcus.

Cominus.

Eminus.

Dicamus iure vetus elogium, id eſt vetus prouerbium. L. Dixi in elegantiis elogium teſtificationem eſſe quandam ſcriptis mandatam, vt in opere illo exempla oſtendunt: vnũ tamen ſubiiciam Ciceronis pro Cluentio, Elogium recitaſti de teſtamento Cn. Egnatii patris, hominis honeſtiſſimi, videlicet ſapientiſſimi. Idcirco ſe exhæredaſſe filium, quòd is ad Oppianici condemnationem pecuniam accepiſſet. R. Pugna. Aulus Gellius dicit in maledictis aduerſus improbos non velitandum, id eſt leuiter pugnandum, licet & hoc loco abſque leuiter dicatur. L. Quaſi velitari veniat à leuiter, & non à βέλος, quod eſt iaculum Græce. quo genere teli qui pugnabant, & eum in modum quem Liuius, Valeriúſque narrauere, velites dicti ſunt. & hinc velitor, pugno ac digladior: poſtea de re ad verba tranſlatum, tanquam velites dici poſſint qui verbis altercantur. Velitandum ergo non eſt maledictis aduerſus improbos, id eſt mutuis conuitiorum iaculis, non eſt aduerſus improbos pugnandum, vel in morem velitum, cum illis decertandum. R. Pulcher. Et aliquanto poſt, Cenſura eſt animi non corporis. ideo melius membrorum decorem ac pulchritudinem dicimus, quàm cenſuram. Tamen quia in vſu cenſorium hominem pulchrum dicimus, poſt hoc pulchritudinem reſciri. L. Hunc vſum non agnoſco, ac prorſus mihi talis ignota eſt ſignificatio. Cenſorius enim, homo eſt qui cenſor fuit, & qui dignus eſt propter morum grauitatem, qui alios cenſeat. id eſt de moribus aliorum iudicet, aut qui iudicauerit mores, aut qui opera aliorum cenſuerit. R. Puer. Paulo poſt, Suetonius de Octauiano ait, Pueros pumilios, atque diſtortos abhorrebat. pumilios, id eſt molles & enerues ac elumbes. L. Quàm credibile eſt Auguſtum exhorruiſſę molles, enerues atque elumbes, quaſi tales aut ipſe noſſet, aut aliquis ad eum ferret. non ergo de his loquitur Suetonius, ſed de nanis, & enormia membra habentibus, qualem Valerius Martialis deſcribit in illo diſticho, cui nomen eſt Pumilius,

Si tantum ſpectes hominis caput, Hectora credas:
Si ſtãtevideas, Aſtyanacta putes.

Abhorrebat quoq; dixit, pro exhorrebat. Abhorreo enim vult poſt ſe ablatiuũ cũ præpoſitione à vel ab. vt Cic. A qua fateor nullũ ætatis meæ tẽpus abhorruiſſe. id eſt alienum fuiſſe. R. Punire. Aliquanto poſt, Vindicabo eam, ne veniens in nouiſſimũ ſuggillet me. id eſt puniat. L. Imo detrahat, carpat, accuſétque me, vt frequenter apud Hieronymum ſuum, quod declarat ipſa vox Græca, vnde traduximus.

Elogium. Velitor. Cenſorius. Abhorreo.

R.Quando.Deinde,Aliquando Romæ eſſe cœpimus,quid nobis defuit?id eſt quando. L.Hoc inauditum eſt nobis aliquando pro quando poni: neque ipſe ritè facit, vt in re noua non afferat aliena exempla,ſed ſua.hoc potius erat dicendum, & quãdo pro aliquando accipi antecedente num:ſic, Nunquando me adiuuiſti?quæ interrogatio facit hoc ſignificare num aliquãdo. In quẽ modum aliqui accipiunt illud in EuangelioLucæ, Nunquando vos miſi ſine ſacculo & pera & calceamentis,quid vobis defuit? Quem locũ tamen Raudenſis videtur afferre voluiſſe,ſed in contrarium ſenſum.Vbi enim poſſet eſſe quando pro aliquando ? & iſte accipit aliquãdo pro quando. R.Quaſi.Deinde, Nullus prophetarum propemodum tam apertè dixerit , id eſt quaſi. Item, Subridens,id eſt quaſi ridens. L.Imo propemodum,ſiue propè, hoc eſt penè,ſiue ferè.Subridẽs enim,ſubiraſcitur:ſubobſcurus, eſt aliquantulum ridens,aliquantulum iraſcitur, aliquantulum obſcurus. Sub idem tempus,ſub eãdem horam,eſt eodem tempore , & in eadem hora . licet ſub eandem horam vix reperitur, ſub idem verò tempus frequentiſſime . vt apud Quintilianum, Venit in ciuitatem, vbi munus parabat ſub tempus ipſum , quo pugnaturus erat diues filius. R.Quare.Deinde,Quatinus coniũctio cauſalis,id eſt qua ratione per i ſcribitur. Eatinus,id eſt ea ratione.Aliquatinus,id eſt aliqua ratione. L.Imo & per e ſcribẽdæ ſunt hæ dictiones:neque hoc ſignificant, vt in elegantiis docui.Nam Quatenus ſignificat quoniam,vel inquãtum. Eatenus verò,vſque eò.Aliquatenus,eſt aliquãtulum, ſiue ex aliqua parte:vt Quintilianus, Verum hoc aliquatenus temporum cõditione mutatum eſt. R.Que. Ve coniunctio,coniungit,ſiue diſiungit. vt Inter aſinum, lupúmve magna diſtinctio eſt. L.Imo ve idem eſt,quod vel,ſiue aut.vt Bonum,malúmve ſequimur omnes.id eſt bonum,aut malum.Docti,indoctíve ſimus nihil cogitas:ſiue docti,ſiue indocti. R.Quidam. Deinde, Vbi nota quòd plus conueniunt quiſpiam & quidam,quàm aliquis & quidam. Et iterum , Aliquis enim rectius cõiungitur nomini communi, vt aliquis homo: & quidã & quiſpiã nomini proprio, vt quempiam Simonem. L.De hoc in dialecticis latius diſputauimus, & nonnihil in elegantiis attigimus , & in hoc ipſo libro. Itaque hîc breuiter iterum dicam, Quidã & Aliquis hoc differũt,quòd quidam certum hominem ſignificat: vt, Quidam vult accipere filiam meam pro vxore ſine dote.Aliquis verò incertum:vt Aliquis volet accipere filiam meam pro vxore ſine dote.Ibi ſcio,ac nominare poſſum quis ille eſt,hîc non poſſum . nonnunquam,

Aliquando. Nunquando. Propemodũ. Subridens. Sub idẽ tẽpus Quatinus. Quatenus. Eatenus. Aliquatenus. Ve. Quidam. Aliquis.

ſed tamen perrarò, inuenitur aliquis pro quidam. vt pro Plancio Cicero ait, miſſum eſſe aliquem in prouinciam. Quiſpiam autem & quiſquam nihil ab aliquis differunt. Illud autem exemplum ex Actibus Apoſtolorum, quempiam Simonem, quàm eleganter dicatur, in libris interpretationis noui Teſtamēti oſtendimus. Illud tamen ſciamus improprie dici (quo quidam vtuntur) Eſt quid mirum, eſt quid pulchrum, quod ex Græco deſcendit. ſignificat quiddam hoc loco, non aliquid. nam vnam Græci pro duabus Latinis dictionem habēt. Dicendum ergo eſt, Quiddam mirum, quiddam pulchrum. ſiquidem quid pro aliquid accipitur, non pro quiddam. R. Quis, & quotus, & quotuſquiſque. L. Quotus, & quotuſquiſque exponit pro quis, quum ſignificent quot, duntaxat interrogatiue. vt in elegantiis diximus. Melius hoc præcepiſſet, id quod multi barbare aut impolite dicunt, Secundum quòd veniebant ad manus, diuiſi famulis veſtes: dicendum eſſe, Vt quæque veniebant ad manum, ſiue vt quæque occurrebant. R. Recitare. L. Raudenſis in eundem ſenſum accipit recitare comœdias, tragœdiáſque, & agere, actitaréque. quod longe diuerſum eſt. Recitare, eſt ſcripturam clara voce, vt alii audiant, intelligántque, legere. vnde poetæ, hiſtoricíque, & alii ſcriptores recitabant publice opera ſua, & nonnulli aliena, vt fit in comœdiis, tragœdiiſque. Aliquando non legendo fit recitatio, ſed memoriter referendo, quæ vel ſcripta ſunt, vel dicta. Nihil enim intereſt legere, ſiquæ pronuntio, memoria teneo. Quintilianus, At iſta legem recitat. de muliere loquens, quæ cæca erat. Plautus, Recitat memoriter. Agere, eſt geſticulationem facere, quod eſt hiſtrionum atque mimorum.

Quiſpiam. Quiſquam. Quid pro quiddam, male poni. Eſt quid mirū Quiddam mirum. Quotus. Quotuſquiſque. Secūdū quòd Vt quæq; veniebant. Recitare comœdias. Agere.

R. Recommendatitiæ literæ. L. Commendatitias literas dicimus, non recommendatitias: ſicut commendo, non recommendo: & committo me tibi, non autem recommitto. R. Et erunt verba Ciceronis pro maiori parte. L. Quum verba Ciceronis afferre te dicis, cur non verba illius loqueris? ex maxima parte ille dicere ſolet, non pro maiori parte. Item, Vereor, inquis, quamplures tibi recommendo. Complures dicere debuiſti, tum quia Cicero ſic loquitur, tum quia contra præceptum tuum eſt vbi ais quàm ſuperlatiuo debere coniungi. nec recommendo dixit Cicero, ſed commendo, vt ſuperius teſtatus ſum.

Commendatitiæ literæ. Commendo. Committo. Pro maiori parte. Ex maxima parte. Complures.

R. Recordor. Deinde, Te (vt dixi) fero oculis, id eſt memoria teneo, & te ſemper poſt me feram. Item, Multa me fugiunt, id eſt non recordor. Et non te fugit, id eſt recordaris. L. In oculis fero, eſt quod ſemper videor videre te & alloqui, audiréque pro

In oculis ferre

beneuolentia. vt apud Virgilium, Illum absens absentem audítque, vidétque.

Præ me fero. Præ me fero, quod non dissimulo, & voce, vultu, gestúque fateor, aut amare me quempiam, aut odisse, aut bene sentire, siue male de aliquo homine, siue de re, & quæ sunt similia.

Fugit me. Multa me fugiunt, est idem quod multa nescio, quasi illa prehendere non possum, vt Cicero, Sed tunc ea ratio me fugit. id est, hanc rationem nesciui. At si Raudensi credimus, quæcunque nos fugiunt, ea aliquando sciuimus: quoniam nemo dicitur

Recordor. non recordari, nisi quæ didicerat. Hîc secus fit: quia de omni re ac ratione, quæ nobis cogitantibus non occurrit, dicimus eam nos fugisse, nisi Platonem sequimur, qui vult dicere esse recordari.

Redibeo. R. Reddo reddis, restituo restituis, redibeo redibes sine h.

L. Imo cum h, vt exhibeo, prohibeo, perhibeo, adhibeo.

Norma. R. Regula. Deinde, Norma est maxime in regendo. L. Imo norma est instrumentum illud duorum laterum, quo fabri omnia dirigunt ac metiuntur. inde quæ recta, dimensáq; sunt, normam habere dicuntur. R. Relinquere. Deinde, Item vox mea me defecit, id est reliquit, & deficiet tempus enarrantem. L. De-

Deficio. ficio cum tempus ponitur, similibúsque, non cum persona, iunctũ accusatiuo. Dies enim me deficiet, idẽ est quod dies mihi deficiet. Sed illo modo per accusatiuum apud eruditos frequentius. Quæ similia tempori dixi, huiusmodi sunt. vt Cicero in Verrem, Vides te quanta deficiant. Et in eundem, Vox me citius defecerit, quàm nomina. Et in eundem alibi, Vt si me in ea querimonia, quam sum habiturus de istius crudelitate, & de casu Reipublicæ, & indignissima morte, non modo vires, verum etiam vita deficiat, id mihi præclarum & iucundum putẽ. Plinius iunior, Tandem eum patientia defecit. Vxor me defecit, ego non dicerem: sed milites, sed populi, sed discipuli mei à me defecerunt. hoc est ab imperio, & præceptione mea recesserunt: aut si vis, vxor à me

Literis satisfacere. defecit. R. Respõdere. Deinde, Nequaquam literis satisfacerem, id est responderem. L. Si literis (vt ego interpretor) est ablatiui casus, significatio esset, placatiorem & æquanimiorem facerem te per literas meas. sin datiui, subintelligetur tuis, vt sit sensus, Me tuæ excusationi expostulandum, querelǽque purgarem, atque

Obstrepere. excusarem. R. Illi sic obstrepunt, id est respondent. L. Imo strepitu loquẽtem interpellant, atque dictis illius strepitu aduer-

Reddere. santur. R. Quum hæc diceret, reddere nesciuit, id est respondere. L. Cuius hoc exemplum est Raudensis? Apud Ciceronem, Quintilianúmque non semel legimus, cur hoc credam, cur hoc

velim, cur fecerim, ſuo loco reddam, id eſt oſtendam & explanabo. R. Reſpicere. Deinde, Totum luſtrabat lumine corpus. id eſt reſpiciebat. L. Imo circuibat, vt idem author alibi, Luſtra Auentini montem. Reſpicere quoque, eſt retro aſpicere, quibus exemplis pleni ſunt omnes libri. R. Reputare, id eſt in bonam, vel in malam partem aliquid habere. vt Homo nullius momenti, id eſt reputationis. L. Imo reputare, eſt ſecum cogitare, ſeu recogitare. vt Boetius, Quum hæc mecum tacitus ipſe reputarem. Quintilianus, Quotiens facta reputaui, flagella mentis ſonant. vltrices video furias, & in quamcunque me partem conuerti, occurrunt vmbræ meorum. Liuius libro viceſimoprimo, Vnuſquiſque ſe, non corpus ſuum, ſed cōiugem ac liberos paruos protegere putet, nec domeſticas ſolum agitet curas, ſed iden tidem hoc animo reputet veſtras tum intueri manus Senatum, populúmque Romanum. Ecce aliud eſt putare, aliud reputare. nec homo magnæ reputationis dicitur, niſi ab ineruditis, ſed magnæ exiſtimationis, aut magnæ opinionis, videlicet quòd homines de eo egregie exiſtimant, atque opinantur. R. Sic exponit Priſcianus in ſexto maioris. L. Indecorum eſt labi in errorem imperitorum, qui dicunt Priſciani maioris, minoríſque, quum vnum opus ſit, non duo, eo quidem magis quòd librum appellant opus, quod conſtat pluribus libris. R. Rhetorica & rhetorice in nominatiuo & ablatiuo. L. Si Græci carent ablatiuo, quæro an poſſit dici in eo caſu rhetorice, quæ Græca vox eſt? R. Quintilianus ait, rhetoricen in Latinum transferentes, tum oratoriam, tum oratricem nominauerunt. L. Damnat horum nominum inuentores illic Quintilianus, non probat, vt vult Raudenſis. R. Circa vnumquodque. L. Imo vnumquidque. nunc enim eſt ſubſtantiuum, ſecus autem cum adiectiuum. vt Vnumquodque nauigium, de quo prius & in opere de elegantia. R. Similiter laudes & vituperia. L. Vituperia oſtende quis dicat. R. Patronus ergo Verris commutauit perſonam pro facto, nolens ob infamiam eum nominare, ſed Conſyderate (dixit) iudices victorem Daciæ, & attendite quãtam gloriam nobis comparauit, ſubiugando ipſos Dacos noſtræ poteſtati. L. Vbi hoc legiſti Raudenſis? nunquid orationes Hortenſii habes, qui fuit Verris patronus? quanquam quis nõ agnoſcit iſta verba aliena ab antiquitate? præterea quis narrat Verrem ſuperaſſe Dacos? tantum eum Siciliam contra Pyratas fortiter tuitum eſſe accepimus. Huic facto ſimile eſt, quòd alium pro alio nominas, vt Plinium pro Quintiliano. interdúmque illorum ver-

Luſtrare.
Reſpicere.
Reputo.
Homo magnæ exiſtimationis & opinionis.
Rhetorice.
Vnũquidque.

bis tua addis, vt ibi: interdum docti videntur copiam habere maiorem, quòd dicunt omnia quæ sciunt, & nesciunt, garriunt, obstrepunt, latrant. horum verborum nouem sunt Quintiliani, octo posteriora Raudensis. R. Sed hoc non satis ne hiis modo, qui doctrinam hanc ingressi nouiter sunt. cæterum ne hiis quoque, qui aliquid profuerunt. L. Dum rhetoricæ præcepta dat Raudensis, videamus an (quod infra rhetoricen est) Latine loquatur. Ait, Cæterum ne hiis quoque, pro sed ne iis quidem. nam etsi cæterum, pro verum, siue sed, accipiatur, tamen hoc loco minus accommodatum est. Hiis autem non reperiri satis patet per ea, quæ de his, & iis, superius diximus. Nequit enim adesse aspiratio cum gemina ii. Etiam nouiter dixit, pro recenter. profuerunt quoque, pro profecerunt. prodesse enim, ad alios quoque spectat: proficere verò, ad se tantum. R. Vnum enim verbum proprie, significantérque positum, totam interdum illustrat orationem. L. Non verbum istud est, sed fulgur, quod vno flammarum iactu mundum omnem illuminat. quî enim potest vnum verbum totam illustrare orationem præsertim proprium? quippe magis translata orationem illustrant, quàm propria: & nullum debet in oratione esse verbum, quod nō sit proprium, nisi fuerit ornatum. hoc est illustrius, quàm proprium. dicendum ergo erit, vnum improprium verbum obscurat, occæcátque sententiam, & (si vis) etiam orationem. non vtique vnum proprium illuminat, si cætera parum apte, parúmque significanter adhibeantur. Siquidem plus incōmodi est in vno malo, quàm commodi in vno bono. R. Itaque hoc authoribus non est elaboratum, vel quia non ab his animaduersum, vel quia difficilis horum est tractatio. L. Si alius, quàm Raudensis foret, qui hæc tam magnificè, iactabūdéque effunderet, quibus verbis vel quanto impetu, quanta procella in ipsum inueherer? non est elaboratum authoribus, quomodo verba propriè, significantérque ponerentur: & si hoc non fecissent, nō propter difficultatem in hoc non elaborassent. quæ difficultas te nō retinuit. Quare quoniam omnes colores rhetoricos in hoc tuo opere exequeris, quasi tu præter cæteros de elocutione enucleate, elegātérq; cōscribas: nō sustineo quin primum, qui se offeret, colorem abs te traditum, discutiam quàm verè tradatur, vt ex hoc velut gustu aliorum quoque sapor intelligatur. nunc quàm proprie, significantérque posita sint à Raudensi verba tractemus. Primum coniunxit contra latinitatis rationem subiunctiuum cum indicatiuo, quia dicēdum erat in vtroque aut est, aut sit. deinde sic. R. Aristotilem.

Cæterum. Ne iis quidē. His vno i scribi. Nouiter. Recenter. Prodesse. Proficere. Diuersitas modorū vitiosa.

L.Licet aliqui vulgo dicãt physicam ac metaphysicam,tamen physica siue metaphysica, inscribũtur opera illa numero plurali.nec Aristotilem dicẽdum fuisse, sed Aristotelem ipsa nos pronuntiatio docet.quippe quũ sic semper loquimur,Ego sum Aristotelicus,libri Aristotelici,opus Aristotelicum,non Aristotilicũ. Physica. Metaphysica. Aristoteles.

R.Deinde, Et qui nobis tribuere,quàm multũ soles. L.Quam multum dixit, pro permultum, contra suam ipsius regulam,si sua potius,quàm mea est. R.Deinde,Sed tamen cum neque libris ipsis abundamus, nec fieri potest, vt non aliqua interdum excidant memoria. L.Idem vitium, quod paulo antè attigi, de diuersis modis in eadẽ oratione,siue in eodem cõplexu. R.Deinde,Idipsum,quod apprimè cupiũt,quàm facile credũt. L.Quàm facile posuit,pro perfacile,siue perquamfacile, siue quamfacillime.Apprime minus oratorium est,significat tamen valde, producitúrque media syllaba. R. Animósq; mihi quàm familiares ostendere. L.Idem,quem modo dixi,error. R.Deinde, Huius enim commentarii cognitio studiosis iuuenibus, & si non magnam vtilitatem(vt nonnulli iam iudicãt)afferet,at certe (quod magis cupio)bonam voluntatem. L.Commentarium appellat tam immẽsum opus,quo nullum ex omni vetustate maius extat. Præterea videtur Raudensis non recte intelligere Quintilianũ,cuius extrema verba operis de Oratoria institutione hæc sũt, Habes Marcelle Victori,quibus præcepta dicendi pro virili parte adiuuari per nos posse videbantur,quorum cognitio studiosis iuuenibus,& si nõ magnam vtilitatem afferet,at certe(quod magis petimus)bonam voluntatem.non,inquit Quintilianus,suam bonam voluntatem,vt de se ait Raudensis,sed iuuenum studiosorum, id est animum propensum ad virtutes, quum orator in primis debeat esse vir bonus,quæ prima ipsius laus est:proxima, dicendi peritum esse. Vt solebat dicere Socrates, satis se fecisse in discipulos, si bonam voluntatem illis induisset, id est mentem propensam ad virtutem effecisset. R.Deinde,Circa elegantiam vocabulorum, splendorémque verborum, totus hic liber est editus. L. Editus dixit, pro conditus. Condere enim est componere.Edere autem,publicare:nec liber quidem, opus hoc appellari deberet. R.Stabit semper inconcussa sententia, malle imitationem homines sine arte, quàm artem sine imitatione possidere. L.Neque imitatio est sine arte (quia pars artis est) neque ipsa ars citra imitationem fit. Quum enim legimus orationes, virtutésque earum intelligimus,tunc imitamur id arte, quæ in illis latet, nostrum pectus imbuimus, memoriámque instrui- Quàm. Per. Apprime. Cõmentariũ. Editus. Conditus. Imitatio.

mus, nisi ipsum scribere, ac loqui orationem, imitationémque vocas, qui magis vsus, consuetudóque atque exercitatio vocari debet. Ac ne dubitare possimus imitationem artis esse partem, & quid ipsa imitatio, qualísque debeat esse, vno capite Quintilianus ostendit, sed initium posuisse sat fuerit. Ex his, cæterísque lectione dignis authoribus verborum sumenda copia est, & varietas figurarum, & componendi ratio, tum ad exemplum virtutum omnium, mens dirigenda. Neque enim dubitari potest quin artis pars magna contineatur imitatione. Nam vt inuenire primum fuit, éstque præcipuum: sic ea, quæ bene inuenta sunt, vtile sequi. Atque omnis vitæ ratio sic constat, vt quæ probamus in aliis, facere sic ipsi velimus. Sic literarum ductus, vt scribendi fiat vsus, pueri sequuntur. sic musici vocem docentium: pictores opera priorum: rustici probatam experimento culturam, in exemplum intuentur. Omnis denique disciplinæ initia ad propositum sibi præscriptum, formari videmus: & hercle necesse, aut similes, aut dissimiles bonis simus. similes rarò natura præstat, frequenter imitatio. sed hoc ipsum, quod tanto faciliorem nobis rationem rerum omnium facit, quàm fuit iis, qui nihil, quod sequerentur, habuerunt, nisi & cum iudicio apprehenditur, nocet. Deinde subdit præcepta imitationis, Post quæ de imitatione non hiscere molestissimum foret. At Raudensis vocabula quædam exponit, & bene dicta ab authoribus sine illa traditione, & alia multa ad rem nihil pertinentia inculcat. R. Reuertor. Paulo post, Accipiet reduces, id est reuertentes, dixit Virgilius. L. Seruius melius, qui exponit reduces pro à periculo domum reuersos. R. Præposteros habes tabellarios. id est redeuntes. L. Non internoscimus quando aliorum, quando Raudensis exempla sunt: opinor astute hoc facit, vt sua quoque ipsius exempla veterũ esse existimemus. Hæc verba Ciceronis sunt in epistola quadam hoc significantis, quòd tabellarii nihil ordine, nihil tempore agunt. vt iterum in Lælio, Præposteris vtimur consiliis, & acta agimus: deinde consultamus, cum antè consultare ac deliberare deberemus, deinde agere. Et Quintilianus, Præpostera res est, filium occidere, deinde erubescere. id est peruersa, & quasi inuersa res est. R. Signum tibicinum ad armigeros reuocandos. L. Tibicines frequenter Raudensis ponit pro tubicines. Tibicines sunt, qui breuia illa organa inflant, multis in ligno ipso (si lignea fuerint) foraminibus vocem distinguentibus: Tubicines verò, qui tuba canunt,

Reduces.

Præposteri.

Tibicines.

Tubicines.

Armigeros autem non esse milites, & qui essent, in elegantiis dixi. R. Ego Quintiliano hac in parte non satis adhæreo, vt motus pro arbitratu meo in animo habere possim, & gemitus, & singultus, & lachrymas veras fundere. flent de facili mulieres: imo & viri gregales & inepti, animi magnitudinem nescientes. similiter effœminati quidam, vt aliquando histriones & mimi. idcirco Quintilianus ipse exemplum (vt sibi crederemus) eduxit dicens. L. Nequid foret, in quo non videretur à veteribus discrepare, reprehendit tertiam partem oratoriæ artis Stoicus noster. Non sentis Raudensis, te Ciceroni quoque atque ipsi veritati, omníque indoli Romanæ repugnare? an non mouit lachrymas Cicero? certe ex arte, non quia lachrymæ ipsæ vel actori, vel auditoribus sua sponte erumperent. negas adhuc? Stultè igitur Cicero de mouẽdis lachrymis præcipit. quid? Marius in causa Aquilii Antonio perorante non flebat? aut non oratio ipsa M. Antonii id efficiebat, mœsta, flebilis, & apposita ad lachrymas commouendas? non vniuersus populus Romanus lachrymas fudit, Cn. Graccho necem fratris deflente? non mille alios legimus audientium lachrymas cõcitasse, sola vi orationis? non denique sancti ipsi, atque Apostoli & fleuerunt, & fletum auditoribus excusserunt? non CHRISTVS & fleuit, & fletum non tantum mouit, sed flere nos iussit? Quid? non ipsa lectione rerum mirabilium ab optimis auditoribus compositarum ita mouemur, vt iram, gaudium, timorem, spem, dolorem concipiamus, & sæpe lachrymas erumpentes cohibere nequeamus? quid de se excellentissimi quique confitentur? Ego de me fortassis tãquam de mollis affectus, & fœminei pectoris homine, fatebor. quum Odysseam primum legi, multis in locis, ita multæ cum singultibus lachrymæ manabant, vt nec efferre vocem, nec inspicere literas possem. & hoc in re fabulosa atque poetica: quid facturus in vera, aut quam veram esse crederem? atque ab hoc poeta longe omnium præstantissimo, nemo non heroum qui ad Troiam pugnarũt, inducitur aut indignatione, aut dolore, aut misericordia, aut gaudio, aut desyderio lachrymasse? & certe humani potissimum homines nec agrestes, nec efferati, vel spõte, vel ad actionem optimi oratoris in fletum erumpunt. histriones autẽ (quos effœminatos ait) non in rebus effœminatis, sed magnorum principum (vtpote in tragœdiis. nã in comœdiis minus hoc accidit) lachrymas mouẽt. quod opus non nisi optimorũ histrionum est & optimorum oratorũ. R. Rigidus, infractus. L. Infractum pro non fracto accipit. quod (quantum memoria repeto) pro fra-

Armiger.

Fletus virorũ magnorum.

Fletum concitari, vi orationis.

Infractus.

cto frequentius accipitur. vt apud Virgilium, Turnus vt infractos aduerso Marte Latinos. Ergo præfractum dicere debuerat, pro rigido ac seuero. vt apud Ciceronẽ, Cato noster nimis præfractus, ærarium defendere videbatur. R.Ripa. L.Quatuor nomina attingit, quorum nullum aut planè, aut verè exponit: ripa, alueus, crepido, riparia: quæ ipse & planius & verius exponam. Ripa sic est extremitas terræ, quam aqua fluminum, torrentium, riuorúmque alluit: vt extremitas terræ quam alluit mare, est litus. nisi quòd ripæ possunt esse arduæ, litora verò nemo vocat scopulos præruptámque, atque imminentem mari terræ altitudinem, quæ propriè rupes dicitur, siue mari impendeat, siue plano. Lacuum autem stagnorúmque, ac magnarum paludum magis litus, quàm ripa dicitur, qui propius ad imaginem maris accedunt, vt sint tantum ripæ aquarum currentium, excepto Hellesponto, & siquid est tale, quarum (vt sic dicam) lectus vocatur alueus. Crepido, est ora terræ, quam aqua alluit, ex hoc appellata, quòd ibi aqua alluens crepat, crepitátve quum currit, aut vndas appellat, licet Græci sibi huius nominis originem vendicant. Per metaphoram verò & putei extremam oram, quæ ad puteum respicit, quod vulgo dicitur os putei: & omnem extremitatem solemus crepidinem appellare, vt apud Hieronymum, In crepidine viæ. Riparia autem non inuenitur. licet Genuenses, & alii quidam oram maritimam ipsorum ripariam vocent, quasi mare ripas habeat. R.Riuula diminutiuum de riua. L.Rima & rimula scribendum est, alioqui nescio quid hoc nomen sit.

Præfractus. Ripa. Litus. Rupes. Alueus. Crepido. Os putei. Riparia.

R.Sacrificare. Deinde, Nullo modo se diues extulit, id est extra vitam se tulit. L.Imo ad sepulturam se exportauit. Est etiã extulit se, id est exaltauit se. venit tamen ab effero: vt Efferam eũ laudibus, & Extuli illum præconio meo. tũ ab extollo: vt, Noli me supra modum extollere. Ego te infra meritum extuli. Item extuli ab effero, id est ad sepulturã, vel extra vrbem tuli. siquidem veteres (nisi fortè imperator, aut magistratus, aut singulari quodã merito insignis) solebant extra vrbem sepeliri, & præcipuè honesti homines circa vias. Inde frequenter epitaphia ad viatores dirigũtur: eóque quum dicimus, Elatus est, significamus ad sepulturam, siue ad rogum extra vrbem domúmve. nam potest esse domi, qui extra muros latus est. R.Parentare, est vmbris mortuorũ, aut tumulis parere, obsequi, ministrare. L. Hieronymus exponit pro conuiuiũ facere in honorem mortui. proprie autẽ parentare est mortuo, præsertim in tẽplo, hostia humana satisfacere, eiúsq; manes hostili sanguine placare. vt Achilles Patroclo fe-

Efferre. Elatus est. Parentare.

cit,& AEneas Pallanti facere destinauerat.Cicero de Antonio dixit, Quòd cineribus Cæsaris quũ ipsius Ciceronis tum aliorum multorum cruore parētare vellet. Mirórque cur à pareo traducat hoc verbum Raudensis,& nõ à pari, siue à parente, quũ hæc primam breuem habeant,pareo verò longam. R.Operari deos religiose,& ex sacrificiis summa veneratione litare,vel cõuiuari. Virgilius in primo Georgicorum, Lætis operatus in herbis. exponit Nonius, sed ego non memini. L. Quid non meministi Raudensis? Noniúmne hoc dixisse in Virgilium? itáne memoriter, vt ne repetere quidem libros velis? si non recordaris, euolue authorē: sin male dicere existimas, profer sententiã tuã. Præterea litare aut nõ exponis, aut minus recte exponis. significat enim sacrificio deos propitios impetrare.hoc est,cũ aues addicunt,aut cum exta bene promittunt,vt frequenter legimus de multis ducibus,eos,cum sacrificassent,litare nequisse. R.Sacerdos. Deinde,Est magis Latinum nomen quàm presbyter,id est episcopus,& quàm &c. L.Quod ait,non probat. nos autē sciamus sacerdos esse nomē Latinũ, presbyter verò Græcum.de quo latius in alio disputauimus opere. verũ ibi de vi nominis,hîc autem de sola significatione ac voce, quam è Græco sumus mutuati,præterquam quod non presbyterus dicimus,sed presbyter: quum ratio magis illud exigat, q̃ hoc, nisi eadē ratione à presbyteros declinemus presbyter: vt ab Alexandros Alexander, nõ Alexandrus:ab Antipatros Antipater,non Antipatrus:à Menandros Menander,non Menandrus. Virgilius tamen ab Euandros & Euander dixit,& Euandrus. Presbyter apud Græcos adiectiuũ est,significátque in cõparatione, vt apud nos antiquius pro melius. R.Sacrarium.Deinde,Pastophorium,vbi sacraria reponũtur. L.Sacra reponuntur,non sacraria.hæc continent,illa continentur.nec pastophorium est sacrarium. licet Græci quidã sic exponunt,dicētes esse gazophylacium, alii verò thalamum nuptialē, cũ quibus propè sentit Hieronymus, qui in Esaiam ait, Pastophorium est thalamus,in quo habitat præpositus templi.

Litare. Sacerdos. Presbyter. Sacrarium. Pastophoriũ.

R.Saltem. Deinde, Emicat in currum,id est saltat. L.Salit dicere debuisti, aut insilit. saltare enim tripudiare est: illinc venit saltus,hinc saltatio, quod est (vt Virgilianis verbis vtar) pedibus plaudere choreas. R.Sanitas.Deinde,Sana Philumena est?Pamphilus,meliuscula est.id est paulisper melius. L. Imò aliquantulo melius habet.paulisper enim est per aliquantulũ temporis.

Salto. Salio. Meliuscula est.

R.Satelles,Deinde,Emissarius,id est sicarius. L. Hoc ipse non reperi, sed pro eo qui ante exercitũ mittitur vel ad explorãdum,

Paulisper. Emissarius.

vel ad prælium laceſſendum.aliqui appellant arietem emiſſariũ eũ,qui emiſſus in ſolitudinẽ eſt,vel qui ad generandam ſobolem emittitur.ſed videtur ratio velle,vt dicatur admiſſarius,vnde admiſſura,quando mares brutorum admittuntur ad fœminas. ſed de hoc alio loco dicetur. R.Siccarius à ſicca, id eſt gladio abſconſo in ligno. L.Vt ita ſit,quòd ſica abſconſa eſt in ligno,cur non illud Quintiliani addebas,ſicarios eos etiã appellari,qui cædem telo quocũque cõmiſerint? R.Scãnũ.Deinde,Nã papa in ſuggeſto,cardinales in ſubſellio inferiori ſedẽt.Suggeſtus enim eſt regalis ſedes. L.Imò ſuggeſtum eſt locus ſuperior,vnde ad populum ſenatúmve orationem habemus: hinc eſt, quod dicitur quis ex ſuperiore loco orare,quod ſignificat Cicero cũ Prætor ad populum inquit, Hic autem locus ad agendum ampliſſimus,ad dicendũ ornatiſſimus eſt viſus Quirites. Quódque probat Raudenſis.Exemplum ex eodem Cicerone ſumptum,Idem quũ in communibus ſuggeſtis conſiſtere non auderet,cõcionari ex turri alta ſolebat.T.Liuius libro 8.ſic ait, Naues Antiatum partim in naualia Romæ ſubductæ, partim incenſæ, roſtríſque earum ſuggeſtum in foro extructũ, adornari placuit,roſtráque vel templum appellari. R.Scelus. Deinde, Terentius dixit,Ah minime gentium.id eſt nequiſſime. L.Pro nomine (quantum intelligo) accipit Raudenſis minime,cum ſit aduerbium:idémque eſt minime gentium,quod minime:ſicuti vbique gentium, quod vbi. nuſquam gentium,idem quod nuſquam,ſiue nequaquam. R.Scire.Deinde,Quare viderit Epicurus,id eſt ſciat.

Admiſſarius. Admiſſura, Sicarii. Suggeſtum. Templum. Minime. Vbique. Nuſquam gẽtium.

L.Imò videat, hoc eſt, huius rei illi cura ſit,vel huius opinionis ille rationem reddat, non ego. de hoc in elegantiarũ opere diximus. R. Scopere. in pſalmo habetur, Scopebam ſpiritum meum. L. Hieronymus in Eſaiam tam in ipſius Eſaiæ verbis, quàm in ſuis, ſcopare ait, non ſcopere. hoc eſt primæ coniugationis verbo vſus,non tertiæ, niſi me codex fallit. R. Scribere. Deinde, Cicero ait, Sæpe ſcribam ad te,tu ad me velim. nunquam dicit tibi. L. Hoc iterum ſuperius præceperat. timuit enim,niſi obliuione factum eſt, ne tam eximium elegantiæ præceptum non ſatis aduerteretur,niſi repetiſſet. quod ſi verum eſſet, nimirũ & Raudẽſi ob hoc inuentũ gloriari liceret: & ego vt confiteor, erubeſcerem, qui hoc non aduertiſſem, cum de elegantia ſcripſi.Verum hoc non me fefellit,ſed illum: nam (vt taceam alios authores) ille ipſe, quem Raudenſis protulit,ita Trebatio ſcribit, Scripſit ad me Cæſar perhumaniter,nõdum te ſibi ſatis eſſe familiarẽ propter occupationes ſuas: ſed certe fore, cui

Videat. Scopare. Scribo ad te, ſcribo tibi.

ego quidem rescripsi.nõ dixit,ad quẽ ego rescripsi. Iterum circa finem, Scribit enim ipse mihi sibi gratias agere debere. Et iterũ in tertia ab hac epistola,Sed tu in ista epistola nihil mihi scripsisti.Et multis adhuc aliis in locis. Idem in Philippicis, At etiam literas, quas me sibi misisse diceret, recitauit homo, & humanitatis expers, & vitæ communis ignarus. R. Secretus.Deinde, Penetralia, & aditus sunt loca secreta. L. Adytum non aditus dicitur, videlicet cum y,non cum i.significátque secretiorem,& (vt sic dicam) inaccessam partem templi, & quasi sancta sanctorum:sic autem proprie templorum penetralia dicuntur adyta,vt ianua, valuæ. vt Cicero in Verrem, Quæ multos annos ad valuas Iunonis Samiæ steterunt. Et in eundem postea, Conuulsis repagulis, effractísque valuis, demoliri signum, ac vestibus labefactare conantur. nam quod Ouidius inquit, Argenti bifores radiabant lumine valuæ:Domus solum pro templo accipiẽda est, quũ templum nihil sit aliud, quàm domus Dei alicuius. etiam valuæ curiæ, locorúmque solennium dicuntur. R.Senatorum. Deinde, Cicero autem de senectute tantum aliquando senectuti honoris tributum scribit, quòd vt quisque natu grandior esset, ita prior in senatu sententiã rogaretur. L. Cur Ciceronis verba deprauas, & eum barbare loqui facis? non dicimus grandior & prior inter plures, sed inter duos. rogaretur etiam dixit pro rogabantur:quod ideo ipsi contigit,quòd pro illo VT, quod erat accõmodatius,dixit QVÒD. R.Seneca. Deinde,Quintilianum nominat Seneca nono Declamationum suarum libro,dicens, Transeo istos, quorum cum vita fama extincta est.

Adytum. Ianua. Valuæ. Domus. Templum. Cõparatiuũ.

L. In hunc errorem incidit Petrarcha, qualia multa peccat Vincentius historialis, vt alii multi ex plebe illiteratorum, quî alium pro alio, vel authorem,vel principem virum ponit.velut Statium Tholosanum, pro Statio Cæcilio: ac tres Catones pro vno, duósque Scipiones pro vno, nescientes quo quisque tempore fuerit. ita hi duo non vident Quintilianum plurimis annis superstitem Senecæ fuisse:quippe qui opus de institutione oratoria sub Domitiano, Traianóque composuit: & mentionem Plinii iam mortui facit, sicut & ipse Plinius de Seneca mortuo. Senecam verò à Nerone interfectum, qui senior Quintiliano circiter octoginta annos fuit, quíque (si ipsi credimus) potuisset audire Ciceronem qui ante Quintilianum obiit circirter centum quinquaginta annos. ergo alius Quintilianus fuit, de quo Seneca meminit, & forte pater Quintiliani aut auus. Nam pater Quintiliani eloquẽs sanè fuit,vt quodam loco

Senecæ ætas. Ciceronis seculum.

filius ipſe teſtatur,afferens orationis illius teſtimonium. Quod ſi ita eſt,non ex Calaguritana vrbe oriũdus eſt, vt Hieronymus ait:ſin illinc eſt,ergo nec pater Quintiliani fuit,de quo facit Seneca mentionem,quoniam Calaguræ non Romæ eloquentiam exercuit.Nam idem Hieronymus ait,Galbam(qui fuit imperator poſt Neronem) duxiſſe Quintilianũ ex Hiſpania, vt Romæ rhetoricam doceret,de quo alias plura dicemus:hoc tantum dixiſſe contenti,Quintilianum hunc à puero Romæ fuiſſe eruditum, & Hieronymum ita in Quintiliano potuiſſe errare,vt fecit in Bruto,quem ait duxiſſe Porciam Catonis filiam in matrimoniũ virginem,quæ fuerat Bibuli vxor, vt Plutarchus ait. De Seneca autem,an vnus ſit,an duo, minus diligenter attigit,contẽtus ſentẽtia neſcio cuius Sidonii poetæ.nec animaduertit Quintilianũ teſtimonium afferre Senecæ in tragœdiis, vbi Medea ad Creontem loquitur,Quas peti terras iubes? & tamen vnum Senecam inter legendos nominare , cuius & epiſtolæ & dialogi & poemata & opera philoſophiæ ferantur. Tamen duo eximii Senecæ fuerunt, vt Martialis teſtatur, qui fuit æqualis Quintiliani Iuuenaliſque : ait enim, Binóſque Senecas, & vnum Lucanum facũda loquitur Corduba. Cæterum,an idẽ ſit qui tragœdias & alia opera condidit,dubitari poteſt.certe qui nouæ tragœdiæ author eſt, Seneca maior non fuit,de quo alias ſuo loco dicemus: nam de ementitis ad Paulum, & Pauli ad eum epiſtolis, in alio opere diſputauimus. R.Secta. L.Sectam & factionẽ idem eſſe vult: cum ſecta ſit inter philoſophos,aut philoſophis ſimiles.factio autem inter potenteis ciues,vt ſuperius oſtẽdimus. R.Sentire.Nonius ait,Senſus,qui ſentiũt: ſenſa,quæ ſentiũtur. L.Cur non afferebas ad hanc rem Quintilianum qui eam exponit planius,inquiens,Non raro tamen & ſic locuti ſunt,vt ſenſa ſua dicerent.nam ſenſus corporis vocabantur:ſed conſuetudo iam tenuit,vt mente concepta ſenſus vocaremus. R.Sententia,eſt color rhetoricus Ciceronis.Quem ſi imitari collibuerit,non incõgrue conuenit exordio, modo non ponatur in principio: tunc enim incideret illud exordii vitium,quod appellatur cõmune & vulgare. L. Hoc eſt quod me promiſi redditurũ,quo ſe primũ offerret loco:ideóque quæ hîc dico,eadem in cæteris, aut ſimilia poſſem dicere.nam quis iſtas minutias præceptorum aut tradidit,aut traditas cuſtodire poſſet? præterea,quis te Raudenſis docuit ſententiam facere vitium,quod dicitur cõmune & vulgare? ſi enim ita eſſet,omnis ſententia vitioſa eſſet.ſiquidem vitiũ cõmune aut vulgare in qualibet parte orationis committi poteſt,

Senecæ duo.

Secta.
Factio.

Senſus.

De ſentẽtia.

non tantum in exordio, atque in ipſo exordio infinitæ ſentẽtiæ reperiũtur, vt apud Quintilianum, Fas eſt vita periclitari, qui natum ſe meminit lege pereundi. Et Cicero in Saluſtiũ, ſic exorſus à ſententia, Ea demum magna voluptas eſt Criſpe Saluſti, æqualem ac parem verbis vitam agere. Statímque poſt, Neque qui viuit vt tu, aliter ac tu loqui poteſt: nec qui tam illorum ſermone vtitur, vita modeſtior eſt. Nec longe poſt, Nõ enim procacitate linguæ, vitæ ſordes eluuntur. R. Sed tale ſit exordii principium, quale Cicero præcipit. L. Quod iſtud genus principii eſt? neque enim vnum eſt exordiendi genus. R. Valet in confirmatione & confutatione. L. Cur nõ in narratione? vt pro Milone Cicero, Quod quiſque ſeruos ſuos in tali re facere voluiſſet. Et Quintilianus, Semper apud ſolicitos in deterius prona perſuaſio eſt. Et alibi, Scitis quàm negligenter cuſtodiat ferrum bona conſciẽtia. Cur non in egreſſione? vt idem Cicero & pro eodẽ, Fabulam vanam, fictam, falſam perhorreſcimus. R. Concluſioni autem conuenit per amplificationem & commiſerationem. L. Ergo ſine amplificatione & commiſeratione ſententiis vti non poſſumus: ergo omnes ſentẽtiæ, aut lachrymas mouent aut indignationem. An illud, Difficile eſt tacere, cum doleas. Aut illud, Nihil eſt tam populare, quàm bonitas. Aut illud, Nulla eſt tãta virtus, quæ dulcedine gloriæ non tãgatur, aut infinita huiuſmodi verſantur in lachrymis aut indignatione? O quàm longe & ab arte, & ab vſu abeſt, qui hoc de ſententia ſentit. R. Congruit generi demonſtratiuo, maximéque deliberatiuo generi. L. Si indignationi ac miſerationi congruit ſententia, color profecto non minus iudiciali conueniet, in quo maxime indignatio, commiſeratióque verſantur. R. Etiam honeſto nonnunquam in dubio.

Exordia à ſententia.

Sententia in narratione.

Egreſſio.

Sententiæ variæ.

Sententia in iudiciali.

L. Vix dici poteſt quãtopere Raudenſis ineptiat, qui honeſtum genus cauſæ, & dubium cum genere demonſtratiuo, deliberatiuóque coniũgit, quaſi aliquid ſimile inter ſe habeant. Verũ quia nonnihil hac in re etiam Victorinus errauit, non ſatis intelligens in quo differant tria genera cauſarum, Demonſtratiuũ, Deliberatiuum, Iudiciale, ab aliis quatuor generibus cauſarũ, ſeu quinque, honeſto, turpi, ambiguo, humili, admirabili, reddam ipſe differentiam. Omnis cauſa aut de præterito eſt, aut de futuro. ſi de præterito, aut pro noſtra voluntate laudamus, vituperamúſve: aut alium accuſamus, petimúſve, ſiue defendimus. Illud demõſtratiuum genus cauſæ eſt, hoc iudiciale. Si de futuro conſultamus, hoc erit deliberatiuum. Item omnis cauſa aut in lite eſt, aut extra litem. ſi in lite, iudicialis eſt. ſin extra litem, aut in conſul-

Genera cauſarum.

Demonſtratiuum.

Deliberatiuũ.

Iudiciale.

tationem venit,quod eſt deliberationis: aut laudamus,vituperamúſque,quod eſt generis demonſtratiui. At illa alia quatuor nō ſunt niſi procemii,quæ eſt vna pars orationis,nec cōmunis ambarum partium, ſiquidem cauſa iudicialis communis eſt actoris & rei,vt Milonis & Clodianorum.Deliberatiua, vt Fabii & Scipionis de traducendo in Africam exercitu.Cōmunis eſt demōſtratiua,vbi hinc laudatur,illinc quiſpiam vituperatur, vt Tu laudas Dionyſium,ego vitupero:vtriuſque perſonæ communis eſt.

Cauſa iudicialis. Deliberatiua. Demonſtratiua. Communis.

An in exordio ſecus fit: ponamus ipſius verba Ciceronis, vt pro viro forti contra parricidam. Cauſa erit iudicialis,& hæc tam ad parricidam pertinet,quàm ad virum fortem.ergo vna erit amborum.in procemio verò diuerſa. nam ſua cuiuſque erit,altera viri fortis,altera parricidæ.illa quidē honeſta,quòd pro viro forti:& eo honeſtior,quòd cōtra parricidam. hæc verò turpis,quòd pro parricida:& eo turpior,quòd cōtra virum fortem.erunt itaque duæ cauſæ ac diuerſæ,& inter ſe plerunque contrariæ,vt cōmunes eſſe nullo modo poſſint.neque verò vis hæc cauſæ honeſtáſque, aut turpitudo ad cauſam illam, quæ & controuerſia dicitur,aliquid pertinet, ſed eſt præſumpta quædam hominū opinio de actoris parte,vel rei,quòd partem hāc honeſtam eſſe exiſtimant,illam turpem:neque id ſemper recte,cum de bona poſſint male ſentire,& de mala bene.quod etiā ſæpe vſu venit,adeò vt fortis viri cauſa queat eſſe iniuſta,& parricidæ iuſta.non enim perſonæ faciunt cauſam bonam aut malam. ideóque orator cū intelligit partem quam tuetur, laborare infamia,apud iudicum, auditorúmque mentes purgat infamiam , conciliátque eorum animos ad bene ſperandum de cauſa, quam acturus eſt:& quātum fieri poteſt, contrahit in exordio beneuolentiam ſibi,& ab aduerſario alienat, vt poſtea probationem ipſius cauſæ in qua iudicium pendet,audiant de iure noſtro bene, de aduerſarii male, iam opinionem quandam præſumentes. Ideóque hoc honeſtum genus cauſæ apud Græcos ab illo honeſto quod virtutem ſignificat:& hoc turpe ab illo,quod vitium diuerſo nomine appellatur : dicitur enim ἔνδοξον , & ἄδοξον, quaſi bonæ famæ & malæ famæ. Quod etiam probant cæterorum generum nomina, dubium, humile,admirabile, & ſiquod eſt aliud,non mutāt genus cauſæ, quo minus ſit,aut iudiciale,aut deliberatiuum, aut demonſtratiuum : ſed tantum innuunt auditorum tacitam quandam vel de noſtra, vel de altera parte opinionem,quæ plerunque nihil ad ipſam cauſam facit, eóque extra ipſam probationem cauſæ . nam procemium quoque magis ſatelles, ac fa-

Procemium.

mulus causæ est, quo causa ferè tractatur. Sed hæc satis: pergamus ad reliqua. R. Magis id conuenit coniecturali & iudiciali, quàm legitimæ. L. Quomodo istud probas? an legalis materia minus pōderis habet, quàm cæteræ: & quod coniecturalis recipit, id legitima non recipiet? Quid, non legitima versatur in coniectura frequenter, sempérque aut coniecturæ, aut finitioni, aut qualitati succedit, quæ sunt sola capita constitutionum? *Legalis materia.*

R. In argumentando confirmationi & exornationi tantum.

L. Argumentatio est pars confirmationis, non confutationis. nam confutationem Aristoteles non numerat inter partes orationis, hoc ipso, quòd qui confutat alteram partem, confirmat suam. Est autem idcirco argumentatio pars confirmationis, &, si vis, confutationis, quia non tantum argumentis canfirmatio, confutatióque constat, sed etiam testibus, tabulis, aliísque nonnullis. quod si confirmationi conuenit: ergo & confutationi. sed his conuenit: ergo & omnia argumentationi. R. Item figuræ graui & mediocri aliquando etiam attenuatæ conuenit, quum ipsa attenuata ad mediocrem transit. L. Quasi omnes sententiæ graues sint & mediocres, ac non etiam plurimæ attenuatæ. vt enim materia vel grandis, vel parua, vel mediocris est, ita sententiæ variæ reperiuntur: nec tantum sub hac trium generum varietate inclusæ, sed sub alia mille genera. sunt enim dulces, acres, tristes, lætæ, honorificæ, lasciuæ, mordaces, blandæ, flebiles, inuidiosæ, & aliæ, quas persequi longum est, in vnumquodque cadentes causæ genus. At enim vt sibi credamus, affert è Terētio exēplum. R. Quod animaduersum à Terentio nonnullis locis videmus, quum præsertim sermo datur pluribus, vt Simoni in Andria: & aliis grauibus, & bonis viris, vt Chremeti quū Menedemum alloquitur in principio Heautont. tunc enim liceret vti sententia. L. Vbi non apud Terentium est aliqua sententia? an non statim libertus Sosia non pauciora sententiose dixit, quàm Simo patronus & senex? veluti illud, Nam ista commemoratio, quasi exprobratio est immemoris beneficii. Et iterum, Nam apprime in vita vtile credo, nequid nimis. Atque iterum, Obsequiū amicos, veritas odium parit. Et iterum, Nam si illum obiurges, vitæ qui auxilium tulit: quid facias illi qui dederit damnum aut malum? Et hoc quidem in narratione, in qua non vult Raudensis locum esse sententiis, quum in eodem loco Simo dicat & ipse nonnulla sententiose, quale est illud, Nam qui cum ingeniis conflictatur eiusmodi, neque commouetur animus in ea re tamen; scias posse habere iam ipsum suæ vitæ modum.

Argumētatio Confutatio.

Sententiæ attenuatæ, genera attenuatarum.

Sententiæ in Terentio plurimæ.

Et iterum, Ita vt eſt ingenium omniũ hominum procliue à labore ad libidinem. R. In epiſtolis maxime ad cõfirmationem narrationis, vel petitionis, aut etiam concluſionis. L. Aliáne ratio eſt vtendi ſentẽtiis in epiſtolis, quàm in cæteris ſermonibus? cum plurimæ epiſtolæ ſint graues ac ſublimes, multúmque admonitionum & præceptorũ continẽtes, proximéque accedẽtes ad ſummum illum gradum, qui eſt in orationibus, quemadmodum multæ ſunt orationes, præſertim aliquibus in locis quotidiano ſermoni proximæ: quid porro dices de libris, quales ſunt dialogi, aut ex perſona ipſius authoris? R. Aliqui tamen vtebãtur in exemplo, ſed non Cicero & antiqui. L. An non ſententioſe locutus eſt Cicero pro Milone? Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus eius imperatoris interfectus ab eo eſt, cui vim afferebat. Facere enim probus adoleſcens periculoſe, quàm perpeti turpiter maluit. Atque ille ſummus vir ſcelere ſolutum, periculo liberauit. Deniq; hæc præcepta ita perplexa, ita dura, ita difficilia, etiã ſi forent vera, mihi videntur, vt iam nunc deſperarẽ me illa cuſtodire poſſe. Nam ad ſingulos colores, aut totidem, aut plura præcipit. verũ quid ago, & retexo reprehenſionem meam? Redeo enim in memoriam, hæc Alanum, & alios quoſdam (quorum nomina pro amicitia noſtra proferre vereor) tradidiſſe, in quos mea accuſatio præcipue quidem cadit. ſed nõnulla quoque in Raudenſem ipſum, qui vel ſtulta dicta imitari, vel (quod turpius eſt) aliena pro ſuis habere voluit. Hoc contra alterum illud è noſtro addimus, Ire in ſententiam pedibus, eſt alterius ſententiæ nõ verbo, ſed corpore accedere: vt apparet quũ ex aliis multis locis, tum verò è ſeptimo Liuii libro, vbi Decius ad commilitones, qui ſecum obſeſſi intempeſta nocte erant, orationem habens inquit, Qui hoc ſentitis, in dextram partem pedibus tranſite: quæ maior pars erit, eo ſtabitur conſilio. Deinde peracta oratione dicitur, Omnes in dextram pedibus tranſierunt. Hæc ratio inuenta eſt, quòd nonnunquam longum eſt audire ſingulos, dum plurima ſunt, vel duo capita ſententiarũ ſunt, vt expeditius res fiant. Aliquando ne pedibus quidem ire præ multitudine ad ſententiã poſſumus, ideóque manu ſententiã ſignificamus. Quod Quintilianus intelligit, vbi ait, Manibus pedibúſque imus in ſententiam neceſſitatis. R. Sequitur deinde, Imitationes. Cicero, Liuius & alii antiqui non dicerent à ſequenti, ſed inſequenti: & dies inſequentes, non ſequentes. L. Imò frequenter & ſequens. vt Ille menſis fuit foris periculoſus, ſequens non minus domi. R. Ser-

Sententiæ in epiſtolis.

Sententiæ in exemplo.

Alanus.

Ire in ſentẽtiam pedibus.

Manibus ire in ſentẽtiã.

Sequens.

uus. Paulo post, Dedititii sunt, qui ante libertatem ob manifestam culpam à dominis suis stigmata vel torméta perpessi sunt.

L. Hoc mihi inauditum est, sed dedititios esse omnes, qui se vel hostibus dedunt, vt ciuitates obsessæ, præsertim desperantes se posse vrbem defendere, aut castra: vel qui metu hostium alteri principi, aut populo sese dedunt, vt periculis impendentibus liberentur. Quod fecerũt quũ alii plurimi, tum Campani, quũ metu Samnitium sese dedidere populo Romano. Per abusionem tamen dicimus, Ego sum dedititius tuus. id est tibi deditus, atque tuo imperio obnoxius. R. Clientela, est multitudo seruorum. Dedititii. Clientela.

L. Imo eorum, qui potentem aliquem ciuem, principémve fauore prosequuntur, & cuius dignitatem factionémque tutantur, ducti aliqua mercede vel beneficio. Forte Raudensem fefellit, quòd Lucanus inquit, Emptíque clientes. Verum non de seruis loquitur poeta. Non enim in seruis Pompeius spem sibi reponebat, sed in liberis ac ciuibus, seruilem tamen, non liberalem animum habentibus, qui vænalem haberẽt ingenuitatem: ideóque addidit empti, quia clientes emptitii non sunt: quales si forent, non adderetur empti: quia quũ dicimus seruos, non adiicimus emptos. R. Misit vnum de stipatoribus suis, id est seruis pedissequis. L. Cur seruos interpretaris stipatores, quum regum stipatores sint maxima ex parte potentes ac nobiles? ex hoc dicti stipatores, quòd regem stipant, & vndique circundant ac claudunt, pene constringentes, instar apium circa ipsarum regem. Clientes. Stipator.

R. Prægustator, est seruus qui ad mensam domini sui prægustat cibum & potum. L. Cur seruum appellas, qui plerunque apud mensas principum est egregius aliquis? R. Si, siquidẽ, quasi idẽ sunt, vide imitationes. Cicero ait, Molesta veritas est, si quidem ex ea nascitur odium. L. Imo siquidem pro quoniam, si tamen hæc sunt verba Ciceronis. Nam homini ipsi molesta est veritas, quia odium parit: non autem, si parit odium: quasi de hoc author dubitet, quod non facit, sed eodem modo affirmat quo Terentius in Andria, Veritas odium parit. Nonnunquam si quidem pro si. Lege nos in elegantiis. R. Sic. Paulo post, Hactenus excanduit, id est sic, vt malum his qui desciissent minaretur. Item de eodem, Domum suam quũ absolutam dedicaret, hactenus comprobauit. id est sic, vt se diceret, quasi hominem tandem habitare. L. Nisi deprauauit authoris verba Raudensis, melius exposuisset, intantum, vel adeò, vel vsque eo. Idem autem efficiunt hactenus & eatenus, quemadmodum hic & is, quũ dicimus, Qui bonus, hic diues est, vel is diues est. R. Sigillũ. Paulo pòst, Spinge Prægustator. Siquidem. Sic. Hactenus. Eatenus. Hic & Is.

vſus eſt imagine,id eſt griphonis. L.Quis tibi aſſentiatur ſphingem eſſe quod griphen, ſiue (vt verbo tuo vtar) griphonem? R.Simulare.Paulo poſt,Qui fingit ſe ſcire quod neſcit,ſimulat: qui verò quod ſcit,neſcire,diſſimulat. L.Abſolutius exponitur, qui fingit aliquid eſſe quod non eſt,ſimulat: qui fingit non eſſe quod eſt,diſſimulat. R.Simonia à Simone mago dicta eſt,ſcribitur.ff.Ad legem Iuliam de ambitu. L.Nunquid in Δ fit mentio de Simone Mago? Sciamus autem literam,qua ſignificamus opus.ff.Non duplicem f eſſe,ſed Δ Græcum ſolennius: quod ita fieri debet,Δ, ad differẽtiam minoris d,pro ſignificatione diſtinctionis:ſicut fit in C grandiuſculo,qua litera intelligitur codex, vt differat à c parua, quæ ſignificat capitulum. R. Sine cauſa, non ab re,id eſt non ſine cauſa. L. Imò non ſine vtilitate, aut non ſine iuſta ratione vel cauſa. Hoc præterea præceptũ addere poterat,per cauſam ſignificare, per ſimulatam cauſam, ſiue per ſpeciẽ.vt Liuius libro 24,Vt cum appropinquaret ianuæ rex, per cauſam aliquã in anguſtiis ſuſtineret à tergo agmen. Frontinus libro tertio ſtratagematon(Nam ipſe dignus eſt qui in teſtimoniũ afferatur) Huiuſmodi fallaciam inſtruxit, vt ille per cauſam venandi noctu procederet.Hoc Frontini exemplũ ideo protuli, quòd Liuius hunc eundem locum ſic refert,Hi priuſquã aliquid mouerẽt, colloquendum cum Annibale rati,nocte per ſpeciem venandi vrbe egreſſi,eò proficiſcuntur.En apparet idem eſſe per cauſam, & per ſpeciem, id eſt per ſimulationem. ſiquidẽ Liuius idem non ita diſtante illinc loco ait,Quem vt incautum opprimeret Appius Claudius, per ſimulationem prouinciæ circuẽdæ Meſſanam traiecit. R.Societas.Non multo poſt,Caterua eſt hominum,turma eſt auium. L.Imo Caterua eſt peditum,aut cõmunius nomẽ eſt. Turma verò, equitũ,quæ certo numero cõſtat,vt Vegetius & alii nõnulli tradunt. R.Sonare.Paulo pòſt, Tinnire, eſt ſonare acute. L. Tinnire proprie dicimus quũ de metallis loquimur. vnde Quintilianus, Nam homines ſono, ſicut æra tinnitu, dignoſcimus. hoc eſt, quòd aliter tinnit aurum, aliter argentum, aliter æs,aliter ferrum, aliter plumbum, aliter ſtannum, aliter orichalcum, aliter electrum, & ſiquid eſt aliud. R. Thraiciam digitis increpuiſſe lyram. id eſt ſonaſſe.

L. Sonaſſe pro ſonuiſſe poſuit. accuſatiuum etiam præter eius naturam tribuit, immutata etiam ſignificatione. Nam ſonare regit accuſatiuum in alia ſignificatione. vt Virgilius, Nec vox hominem ſonat. Cicero, Poetis Cordubenſibus pingue quædam ſonantibus. Itaque pulſaſſe, aut percuſſiſſe debuit dicere,ſi-

Simulo. Diſſimulo. ff. Δ d. C. c. Non ab re. Per cauſam. Per ſpeciem. Caterua. Turma. Tinnire. ſonare.

ue lyra cecinisse. nã qui pulsat fides, organáve, aut tibias inflat, canere dicitur. R. Nablum Hebraice, Psalterium Latine. L. Imò Psalterium Græcum est, & nablum quoque Græci suum vendicant, nec videtur idem esse. Nablium nõ nablum inuenio apud Ouidium libro tertio de arte, Cano. Psalterium. Nablum. Nablium.

Disce etiam duplici genialia nablia palma
Vertere, conueniunt dulcibus illa iocis.

Nec abnuo, nablum Hebraicum esse posse, vt ait Hieronymus in procemio super psalmos. Psalteriũ Græcum est: & Latine organum dicitur, quod Hebræi nablum vocant. R. Lira ab ipso sono dicitur, scilicet liron: liron, id est syringa. L. Proba, quia non credo: lyra manu pulsatur, vt versus Ouidianus modo ostẽdit: syringam ore modulamur, vt apud eundem est, quũ fuisset facta syringa ex arundine. R. Nola est sonalium accipitrum. Lyra. Syringa. Nola.

L. Si nola nomen vetus est, non potest esse id quod accipitres nunc ferunt, quũ veteres ne venaticas quidem aues mansuefecissent, & ad prædam instituissent, vt nos facimus, nedum tintinnabulis ornarent. sin nouum, referat authorem vnde prolatũ sit.

R. Somniare. Deinde, Hallucinare, vana somniare. L. Imo hallucinari, est visu errare, atque caligine quadam obducta, minus recte dignoscere: quod ad oculos etiam mentis transfertur. Hallucinari.

R. Sperma, genitale est semen. L. Græcũ nomen est pro omni semine, & quod dicitur apud Ecclesiasticos, de semine Abrahæ, de semine Dauid, Adæ, spermate Græcè dicitur. Quod non minus pudens vocabulum est, quàm apud nos semen. nam idem nomen est, cum dicitur, Exiit qui seminat seminare semen suũ. Sperma.

R. Spina. Deinde, Frutex, pluraliter fruteсta. L. Quasi frutices plurale non reperiatur. sic autem dicuntur fruteсta à frutex, vt à carex careсta, à sentes senticeta, à rosis rosetum, & plurale roseta. est tamen frutex aliud quàm spina. lege nostras elegantias. Frutecta. Senticeta. Rosetum.

R. Stipendium. Paulo pòst, Item meruerant sub eis, stipendiarii fuerant, & mercenarium militem, id est stipendiarium. L. Imo stipendiarii sunt, qui pendunt stipendium, non qui recipiunt. populi multi erant stipẽdiarii reipublicæ Romanæ, hoc est, quòd pendebãt, soluebantque stipendium. Igitur dicendum est stipendiati, id est stipendia recipientes. quo vocabulo nescio an de veteribus: certe de recentibus nonnulli vtuntur. R. Studium. Deinde, Gymnasium locus exercitii studiosi. L. Imo locus ludorum appellatur à palæstra, quam nudi exercent. quo in loco quũ à ludis vacaretur, consueuerant philosophantes disputare. quod probat Cicero cũ ait, Multis sæculis antè gymnasia inuen- Stipendiarii. Stipendiati. Gymnasium.

ta esse,quàm in iis philosophi garrire cœpissent. R. Subrogare. Paulo pòst,Si militare non vis,vicarium tibi dabo,cui arma tua tradas.id est,in loco tui qui vicem gerat. L.Loco tuo dicēdum erat,non tui. Possessio enim significatur,nō passio,quale,Amore tui huc veni: nempe quia tu amaris à me. hoc tamen in elegantiæ opere dixi. Illud non dixi, induere habere hanc constructionem. vt apud Ciceronem in Academicis, Et (vt docui) Antiochus in idipsum se induit,quod timebat.Quintilianus in 11,Quū in grauissimas frequenter legum,semper verò malæ conscientiæ pœnas à semetipsis improuiso rerum exitu induantur. R. Superfluere.In fine, Hic autem ex abundanti facit,id est superflue.

Loco tuo,pro loco tui. *Induere.* *Ex abundāti.* *Superflue.*

L. Imo accumulate,& quodammodo benignius,vt nō solum satis sit rationum in causa, sed (quod multo præstat)abunde sit.

R. Tanquam. Deinde, At ipse (vtpote adolescens alti cordis) idem tanquam, vtpote præsens fuisset. id est tanquam,velut,veluti. L.Aliud est vtpote,aliud tanquam.est enim vtpote causatiua,vt quippe,quemadmodum in elegātiis ostendi: verum hæc exempla Raudensis,vt solet,ex seipso fingit,non aliunde repetit. quorum secundum ineptum est ac minime Latinum: primum verò sic exponatur,At ipse alti cordis est,vtpote adolescens.id est quia adolescens est, cuius ætatis est proprium esse sublimi animo. R.Tarde.Paulo pòst,Surrexit tempestiue,mature venit.

Vtpote.

L.Videtur accipere tempestiue pro cito,cum significet tempore suo & debito. vt Virgilius in primo Georgicorum, Aut tempestiuam syluis euertere pinum.Et Cicero nos admonet,ne irascamur aduersus eos,qui nos intempestiue adeunt.hoc est,tempore non idoneo. R.Tempestas.Paulo pòst,Procella nō est minus terrarum,quàm cæli.sed tempestas,fluctuum est:fluctus,vis maris. L.Contrarium foret verius,sed magis hoc modo differunt, quòd procella est vehementior quidam venti impetus, nec ita durans:& in mari potius,quàm in terra.Tempestas,maris terræque communis.vt Cicero in Philippicis, Sed statuæ interierūt tempestate,vi,vetustate. Et in Verrē,Totæ enim res rusticæ eiusmodi sunt,vt eas non ratio,neque labor,sed res incertissimæ vēto,tempestatéque moderētur. Fluctus est lacuum quoque atque stagnorū, magnarúmque paludū, ac maximorum fluminum, vt Gangis. R. Temperantia moderata. Deinde, Frugalitas est honesta largitas & parcitas moderata. L.Nihil habet frugalitas affinitatis cum liberalitate, víxque etiā cum parcitate. Frugi homo vocatur proprie,qui in victu tēperans est,nonnunquā in vestitu,similibúsque:sicut è cōtrario luxuriosus,vt apud Senecam,

Tempestiue. *Intempestiue* *Procella.* *Tempestas.* *Fluctus.* *Frugalitas.* *Frugi homo.*

Quintilianúmque de duobus filiis frugi, luxuriosóque. Cicero etiam vult frugi esse, qui ad omnia aptus, vtilísque est,& omni virtute prædítus. cui contrarium sit nequam, cuius significatio vna est, quòd sit libidinis intemperatioris. altera quòd ad nihil bonus sit, sed plane malus. vnde Piso frugi appellatus est, cuius adhuc cum hoc cognomine numismata extant. R. Priscianus dixit hic & hæc & hoc frugi,sed moderni tres obliquos casus habent, frugi frugem fruge. L. Qui sunt isti quæso moderni, si moderni Latinum vocabulum est? frugem & fruge ab eo venit,quod est fruges, non ab eo,quod est frugi. R.Tegere tegumina tegulæ, quia ædes teguntur. tigillum diminutiuum à tecto. L.Tegmina dicimus, non tegumina. tigillum à tignum est diminutiuum,quod significat lignum,præsertim trabale,vnde tigillum,parua trabes. R. Terentius. Multo post, Nam in prologis scribundis operam abutitur,non qui argumẽtum narret, sed qui maleuoli. posuit vtrobique qui pro quomodo. — *Nequam. Moderni. Fruges. Tegmina. Tigillum.*

L.Imo sic exponendũ est illud Terentii,Non is qui argumentum narret,sed is,qui maleuoli veteris poetæ maledictis respondeat. R.Sint à vobis spectandæ,id est probandæ: vel exigendæ, id est expellendæ. L.AN EXIGENDAE dicere debuit,non VEL, vt in elegantiis ostendimus:& ita Terentius scripsit,non vt Raudensis immutat. Illud quoque Spectandæ,intelligendum est,videndæ,quũ aguntur in scena, potius quàm probandæ. Transeo quòd ait,duci nos falso gaudio, de Simonis gaudio accipiẽdum esse,non de Pamphili ac Daui sperantium nuptias nunquam fore. R.Expletis his dubiis iuxta petitionem scholarium restarent multa alia. L.Scholarium dixit pro scholasticorum siue discipulorum.Scholaris enim adiectiuum est,non substantiuum.male ergo, qui dixit, communia dico scholaris, quod Priscianus, veterúmque alius nunquam scriptum reliquit. R.Per Priscianum tam in minori volumine. L.Admonui superius vnum esse Prisciani opus,non duo.volumen quoque librum vnum esse, non vnum vtique opus,in elegantiis planum feci. R.Credo etiam,quòd iuristæ acceperunt à Terentio titulum illum de restitutione in integrum. L. Ridiculum,quasi hoc non foret verbũ ante Terentium cæterósque comicos omnes & in iudiciis & in legibus frequentatum,vnde Terentius,sicuti multa alia,mutuatus est. R.Thesaurus.Deinde,Thesaurus non est aurum,nec argentum,sed locus,vbi talia reponuntur. L.Imo proprie ipsum aurum,argentúmve. Nam qui thesaurum inuenit, non locum auri,argentíve,sed aurum ipsum,argentúmve dicitur inuenisse: — *Qui. An exigẽdæ. Spectandæ. Scholaris. Volumen. De restiutione in integrũ. Thesaurus.*

& ſublato auro,qui hūc locum reperit, nequaquam dicitur theſaurum reperiſſe. R.Teſtamentum.Deinde,Codicillus eſt ſcriptura nulla indigens ſolennitate,ſed ſolum teſtatoris voluntaté ſignificans. L.Codicilli dicuntur,non codicillus.præterea cum alia quædam addere debuit,tum verò illud, quod ſemper ad aliquem codicilli ſcribuntur. R.Tribulor. L.Græcum non Latinum verbum eſt, & ideo nūquam à veteribus vſurpatum,niſi deriuamus hoc verbum à tribulis,quod etiam Græcum eſt nomen. nam verbum illorū potius transferendū eſſet per l, quàm per r,tlibulor. R.Cicero, Obſecro te,nequo aut timore,aut ægritudine afficias. L.Hæc Ciceronis verba non ſunt, vtpote minus eleganter dicta : cum enim nequo antecedat, neceſſe eſt ea quæ ſequuntur,aut neutri generis eſſe,aut maſculini,ſic, Nequo te aut timore,aut angore afficias. nam intermiſcere fœmininū (vt Raudenſis facit) nō ſecus permiſſum eſt,quàm ſi diceremus, Nequo te aut ægritudine,aut moleſtia afficias.ergo tollendū eſt primum aut,ſic, Nequo te timore.hæc tamē in elegātiis latius.

Codicilli.

Tribulor.

Nequo aut &c.

Orcheſtra.

R.Tribunal.In fine,Ex his apparet orcheſtram potius eſſe locū, aut cameram ſenatoriam,quàm pulpitū aut ſuggeſtū. L. Imo locus vbi ſaltabatur publice, & vbi ſimilia quædam fiebant, & quē circūſedebant magiſtratus,& alii pro ſua dignitate,& prout ordines poſcunt: plebe autem ſtante magis,quàm ſedēte. Varro ſic exponit, Orcheſtra,locus in ſcena. R. Triumphus.Deinde, Trophæum pro triumpho, vt ibi,Trophæa ſacra pangimus.

Trophæum.

L.Cur magis hoc loco trophæum pro triūpho accipitur,quàm pro ſuo ſignificato? nunquid magis laudamus honorē virtutis, quàm ipſam virtutem? trophæum autem & triumphus, honor victoriæ eſt,non victoria: verum hoc loco accipitur trophæum pro victoria ſiue pro virtute ipſa,per quā victoria parta eſt. Cæterum non ſunt digni illi,qui in teſtimonium linguæ Latinæ afferantur.In quo autē hæc duo differunt? nempe quòd triūphus (vt aliàs dixi) eſt pompa illa ſolennis,quæ fit redeuntibus in vrbem cum victoria.Trophæum,quod in teſtimonium victori publico in loco ſtatuitur,vt apud Ciceronem,quòd Thebani equū æneum in monumentum victoriæ contra Lacedæmonios ſtatuerant. R. Tuba. Non multo poſt, Claſſica ſunt cornua,quæ conuocandi cauſa erant facta,& à calcando claſſica ſunt dicta.

Triumphus.

Claſſicum.

L. Imo proprie claſſicum eſt ſonus tubæ quod Priſcianus etiā ait,& Vegetius aliique teſtantur.vnde Quintilianus ad primum obſcœnæ libidinis ſermonem non aliter quàm ſi in hoſtem claſſicum ceciniſſet,gladium illum,quem à te pro pudicitia noſtra-

rum coniugum acceperat, per pectus infandi corruptoris exegit. Vegetii verba hæc sunt, Classicum item appellatur, quod buccinatores per cornu dicunt. hoc insigne videtur imperii. quia cum classicum canit, imperator est præsens, vel cum in militem capitaliter animaduertitur. quia hoc ex imperatoris legibus fieri necesse est. R. Tullius. In fine, Possem nunc catalogum totum oratorum his inserere commentariis. L. Quid magis diuersum, quàm idem opus suum appellare librum, id est vnum commẽtarium & commẽtarios? præsertim cum superius dicat cõmentarium ac librum. R. Tus. Deinde, Ferula verò in Gargano nascitur. L. Quasi alibi non sint ferulæ, quàm in monte Gargano, cum & plures & proceriores sint in ipsa planitie Apuleiæ, & in aliis multis locis. Vidíque in Sicilia, quantum recordor, crassiores ac longiores. R. Vagari. In fine, Homo discolus est vagus, indisciplinatus. L. Græcum nõ Latinum nomen est, significátque malum, perniciosúmque, ac toleratu difficilem. vnde Petrus in epistola prima, Seruite dominis, non solum bonis, sed etiam dyscolis. scribitur per y, non per i. R. Volumen. Paulo post, Credo quòd orarium & peplum sit idem. item sudarium & orarium habeas pro capite sacerdotis. L. De sudario & orario ipse probet, qui sapit. certe peplus, non peplum dicitur, vestémque significat solennem, quæ iniicitur vel viro, vel fœminæ, vel deo vel deæ, vt apud Homerum & alios Græcos poetas. nam hoc nomen Græcum est, à quibus Virgilius mutuatus dixit, Crinibus Iliades passis, peplúmque ferebant. etiam pepli iniiciuntur equis, vt Pandarus ad AEneam apud Homerum inquit, Suis equis peplos decoros fuisse. R. Vẽdere. Aliquãto post, Vnde auctio proprie videtur mihi fieri sub hasta. L. Imo vẽditio rerũ domesticarum, vt vtensiliũ, supellectilium, quæ alicuius dominio seruierant, domorũ quoque ac prædiorum, de quo in elegãtiis diximus. Sub hasta autẽ ciuiũ proscriptorũ, damnatorúmq; bona væneunt. Hastariũ pro loco (vt ait Raudensis) nõ memini inuenisse. R. Et alter alterum superare contendunt. L. Alius aliũ dicere debebat, vtpote de multis loquens. R. Mango, id est proseneta. L. Imo qui vendit, & cõmodat pretio pueros, vt latius in elegantiis dixi. R. Venalitii mercatores venditores exponit Nonius. L. An hoc dicat Nonius, tu videris. Vænalitiarii dicũtur, nõ vænalitii: nec mercatores, sed seruorũ negotiatores, id est qui mancipia & emunt & venditant. R. Venire. Deinde, Cicero ait, Brundusium futurus sum, id est venturus. L. Cur Brundusium dixit pro Brundusii? R. Item, Denuntiat Domitium

[Margin: Ferula. — Dyscolus. — Sudarium. — Orarium. — Peplus. — Auctio sub hasta. — Hastarium. — Mango. — Vænalitiarii.]

Iter habere. ad me iter habere,id est venire. L.Imo venire velle,siue constituisse ad me venire. R.Et huc cōmigrauit,id est venit. L.Imo commutato domicilio huc ad habitandum venit. R.Venenū. Deinde,Hippomanes est herba equos insanire faciēs. L.Pro veneno ab inguinibus equæ distillante Virgilius accipit, cū inquit,

Commigro.

Hippomanes.

Hinc demum,Hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores,lentum distillat ab inguine virus.
Hippomanes,quod sæpe malæ legere nouercæ,
Miscuerúntque herbas,& non innoxia verba.

Nam pro herba improprie apud Hesiodum poni significat. neque homo Latinus de authore Latino, atque vsu Latino silere debuit,& loqui de Græco: eo quidem minus,quòd tunc Hippomanes vtique venenum est, cum saniem illam equinam significat, non autem cum herbam: & tunc esse venenum Virgilius ait,appellans illam virus. R.Verecundia.Circa finem,Labem & ignominiam, id est verecundiam, & quanto probro ciuitati sit, id est verecundiæ. L.Verecūdiam eo,quo nemo vnquam modo, accipit, quæ est honestus quidam timor ignominiæ, infamiæ, probríque subeundi: & Raudensis pro ignominia ac probro interpretatur. R. Via. Circa medium,Strata,quia pedibus vulgi trita. L. Sicubi strata sine appositione viæ reperitur, non ideo dicta est, quia pedibus trita sit, sed quia lapidibus strata, vt sunt viæ Romanæ in omnes ferè Italiæ vrbes silicibus stratæ: ideóque plus sceleris latro, prædo, percussórque committit,si in via strata in viatorem grassatur. R. Vitiosus. Deinde, Exoleti sunt fœtidi, præsertim in luxuriæ vitio. L. Exoleti sunt impudici: nec tam pueri, quàm grandiusculi, aut adulti,de quo nomine latius in elegantiis.Luxuriæ autem nō Latine dixit pro libidinis. nam Luxuria multū abest à libidine,eóque non videtur in fine literæ T,intelligere Ciceronē,cuius testimoniū repetit ex primo libro Officiorū, Luxuria quū omni ætati turpis , tū senectuti fœdissima est: non de venereo vitio loquitur Cicero,cū luxuriam nominat,quæ est verborum,vestiúmque,& quæ sunt id genus,delicatior ac sumptuosior cura,& ea propter adiicit tāquā diuersum dicens,Sin autē etiā libidinū intēperantia accesserit,duplex malum est. R. Vilis.Deinde, Popularis,est de grege,& de minoribus. L.Imo frequentius,vsitatiúsque,quod Cicero non modo vsurpat, sed nōnullis in locis explanat,qui potēs in populo,& charus est plebi:qualis Pōpeius,Cæsárque ante bellū ciuile, & alii multi, & hodie,& vbique huiusmodi sunt. R.Vernilis animo, & minuti animi. vnde & de Seneca dicitur, quod habuit

Verecundia.

Strata.

Exoleti.

Luxuria.

Popularis.

eloquentiam vernaculam. L. Imo vernilis eſt ſeruilis à verna, quod eſt ſeruus. & vernaculam dixit Aulus Gellius, vel ſeruilem, vel plebeiam linguam, qua tanquam communi ac naturali omnes vulgo vtuntur. Vernaculum enim dicitur, quod domeſticũ,& noſtri loci eſt.vt in elegantiis diximus.Cicero in Verrem actione ſecunda, Non vt ſolemus interdum in defenſionibus dicere crimen domeſticum ac vernaculum. R.Vlterius ſecundum communem vſum loquendi, tantum valet ſicut inſuper,& ſicut quin,& ſicut cæterum,& ſicut extra hæc. L.Vt ita ſit Raudenſis, quod longe eſt ſecus: tantúmne etiam valebit, ſicut quantum inſuper,quantum quin,quantum cæterum,quantum extra hæc? ſed(vt dixi)hæc non tantundem valent quantum vlterius. R.Vltra,præter modum diligit,id eſt vltra:ille citra mare,ille præter erat.erant enim præter quadraginta,id eſt vltra. itẽ præter cæteros, boni & honeſti ſectator. L. Conſule aures tuas Raudenſis,etiam vel ipſe iudica, an elegans,purúſque ſermo ſit, præter mare, & præter quadraginta, id eſt vltra. quod ſi rectum putas,afferre aliorum teſtimonium,non tua confingere, pro aliení ſque afferre debes. ego neſcio an illa præpoſitione vti liceat in hunc ſenſum,quoties ad locum refertur, vel ad tempus. Vtrũ acutius dicitur iſtud quod tu,an hoc quod ego annotaui,perinde accipi pro peræque? vt Plinius,Funus Verginii Ruffi clari,etiã magni viri,& perinde fœlicis.id eſt ita fœlicis vt clari. Cicero libro primo de finibus,Eas artes perſequeretur,viuendi artem tantã,támque operoſam,& perinde fructuoſam relinqueret. R.Vnus.Deinde,Cicero ait,Vnas à te literas accepi.Terentius ait vnis domibus,id eſt in vna domo. L.In vnis ædibus inquit Terẽtius, non in vnis domibus. alioquin in nominibus quæ ſingulari carent,neceſſe eſt nos ſic loqui, vt latius dixi in elegantiis. R. Voco.In fine,Cio cis,& Cieo cies. L.Duo hæc,pro eo quod eſt voco Raudenſis accipit,quum ſecundum ſignificet idem quod moueo.vt Cicero de Repub.Motu cietur interiore & ſuo.Et inde citus,id eſt velox:& concitus,commotus:& percitus in malum,veluti in furorem,iracundiámve motus:& frequentatiuum concito,incito,ſuſcito. R.Voluntas. Deinde,Auſpiciis meis,id eſt voluntate. L.Imo ductu,& ſub fortuna mea,quia dux belli auſpicia accipere ſolet. R.Dicimus volutas,ſicuti & volũtas. L.Quid abſurdius, quàm rem incredibilẽ ſine authoritate proferre? quũ omnia huius loci præcepta authoritate nitantur, quis vnquam volutas ſcriptum reliquit,quale eſt etiam quod ſequitur? R.Vſquequo.Deinde,Ad quo potero,id eſt quoad. L.Quis iſtud di-

Vernilis. Vernacula lingua. Vernaculum. Vlterius. Præter,pro vltra. Perinde. Vnæ ædes. Cio. Cieo. Citus. Concitus. Percitus. Concito. Auſpicia. Voluntas. Ad quo.

Quadruplator. xit bone Raudensis? R. Vsurarius. Deinde, Quadruplator, est vsurarius. L. Imo qui accusationibus ac delationibus, quartam partem bonorum damnati expectat. R. Sed tamen amoto quæramus seria ludo. id est vtilia. L. Imo grauia & non iocosa Horatius intelligit, cuius hic versus est. R. Vtor. Deinde, Curabo obsoleta calcare vestigia. id est dissueta. L. Cuius sunt ista verba? cur non nominas authorem, vt possimus sensum verborum, sententiæque cognoscere? Obsoletum appellamus sordidum: vnde apud Horatium, Caret obsoleti sordibus tecti. Et apud Hieronymum, Viri vox obsoletior quàm fœminæ. Cicero tamen pro desueta posuit, non, vt ais, dissueta. vt in Pompeiana, Obsoleuit ista oratio, re multo magis, quàm verbis refutata. Et pro Quintio, Audacem, cupidum, perfidiosum, vulgaria & obsoleta sunt. Iterum pro eodem, His moribus obsoleuit. id est inueterauit. Et quia quòd veterascit, quasi sordescit, siue in nihilum recidit: ideo pro hoc quoque accipitur, quale fuit primum exemplum: & eiusdem pro Cælio, Verum hæc genera virtutis, non solum in moribus nostris, sed vix iam in libris reperiũtur: chartæ quoque quæ illam priscam seueritatem continebant, obsoleuerunt. Et alibi in eundem, Non vult populus Romanus obsoletis criminibus accusari Verrem, noua postulat, inaudita desyderat. R. In logica detriti sumus. id est vsi. L. Aptius exponere poteras, quanquam tu teipsum exponis, & author pariter & glossator es: quòd ita in logica sumus exercitati, vt gladius exercitatus, & ipso nimio vsu comminutus est. Et apud eũdem Hieronymum dicitur, Pes tuus terat limen magistrorum. quum vsum & audiendi exercitationem significat. R. Perfuncta satis sum his. id est vsa. L. Imo finem vtendi, fungendíque feci. vt Cicero, Perfuncta hoc misero, fatalíque bello Respublica: & hoc in malum, sed frequentius in bonum: sicut defunctus in bonum & malum, quod videlicet finit vitam: defunctus morte, vel periculis, vel laboribus, quod iam imposuit semel finem his malis. exempla discentibus inquirenda relinquimus. R. Vtrinque. In fine, Vltro, citróque res male est. id est hinc inde. L. Non vterer hoc ego genere sermonis. Vltro citróque enim, significat reciprocam quandam itionem, aut reciprocum respectum, quod de re vtrobique male gesta dici non potest. Vtrobique dixi, non vt Raudẽsis hinc inde. R. Vua præcoqua, vel præcox, id est præmatura. L. Præcoqua est, quæ ante alias vuas matura est. Præmatura, quæ ante maturitatem legitur, vt in elegantiis latius. R. Racemus, dicitur vnum granum, vel acinus, vel granellum, quod in racemo est. L. Imo

Marginal notes: Seria. Obsoletum. Detriti. Perfunctus. Defunctus. Vltro citróq; Hinc inde. Vtrobique. Præcoquus. Præmaturus.

racemus est illa (vt sic dicam) testa vuarum, plurima grana continens. Acinus verò, est id quod Raudensis appellat racemum. Vinaceum autem, quod idem acinum vocat. nã arillum & granellum Raudensia sunt, & non Latina vocabula. Racemus. Acinus. Vinaceum. Arillum & granellum.

LAVRENTII VALLAE IN POGIVM LIBELLVS ADMODVM FESTIVVS, IN DIALOGO CONCSRIPTVS.

PRAEFATIO.

AVDIO Pogium alterã in me composuisse inuectiuam, longe priore acerbiorem, in qua nihil admodum de iure causæ suæ disputat: quasi planè victus, superatúsque, sed totus in maledictis conuitiísque versatur. Eam nondum habere potui. Interea peragam triumphum meum, aut potius iterum triumphabo, ritu eorũ imperatorum, quibus vnus dies ad triumphandũ non fuit satis: atque eo audacius id facere possum, quòd iam ipsius quoque hostis cõfessione, victoriam sum adeptus. Qui enim aduersus argumenta, rationes, probationésque, non argumentis, sed opprobriis: non rationibus, sed conuitiis: non probationibus, sed spurcitiis agit: is certè declarat se imparẽ, ac victum esse: &, velut canem à fortiori laceratum, plagas suas vlulatu latratúq; solari, & hoc saltẽ vindictæ genere inimicũ suũ vlcisci. Et quia iusto è prælio non potuit discedere superior, sperat se superiorem iniusto. Nam quis, quæso, non dico strenuus, fortis, & in bello iam victor, sed probus atque moderatus, velit contendere cum auaro de auaritia, cum ebrioso de ebrietate, cum proditore de proditione, cũ libidinoso de libidine? certè nemo. ita nec cum maledico de maledicentia. De virtutibus est cum egregiis viris, non de vitiis cum inhonestis, aut cum facinorosis certamen & æmulatio. Loquatur itaq; Pogius quantũ velit, obscœne & spurce, facit quod suum est: sui semper est similis pugnator pessimus, calumniator insignis: cuius dicacitatem cõtemnere ac damnare me, non imitari decet: licet non ita de ipso sim meritus, vt in me carpẽdo pergere debuerit. Siquidẽ cum promisissem me omnes eius libros recogniturum, & eorum vitia in triumpho tanquam captiuos exhibiturum, id tamen non feci, mollitia quadam animi retentus: quasi satis haberem, vitia Epistolarum ostendisse.

Sed quoniam hostis me cogit (si modo hostis appellãdus est, qui victus atq; captus est) peragamus vltionem, ac veluti secundo die triumphemus, &, quia debellatum est, aliquanto hilarius: repræsentantes quodam modo illum priscum Romanorum morem triumphandi. Nam ita accepimus inter mensas, quas ciues per vias esculentis, poculentísque referserant, exercitum victorem comessabũdum potabundúmque transisse. Sic nos quasi edentes atque potantes, aut certè ridentes triumphemus, postea alio modo de inuectiua triumphaturi. Decet enim devinoso ebriosóque hoste superato, talem nos agere triumphum: incipientes ab epistolis ad Nicolaum Nicoli missis. sed, quo res sit iucũdior legentibus, sub apologo tanquam Guarinus cum schola sua atque domo adsit. Erit autem vel apologus, vel scenicus quidam actus.

LAVRENTIVS.

SALVVS sis Guarine. G. Salue Laurenti, & tu Pogi, licet taceas. sed cur taces? P. Vtinã tam bene loquerer, quàm bene taceo. L. At cur non sæpius taces, quàm loqueris? P. Quia, qui malè loquuntur, rarius tacent. L. Atqui nunc bene loqueris, quod multo est satius, quàm tacere. Cur ergo Guarinum non salutasti? P. Non dico me male loqui, quòd loqui nesciam, sed quòd de aliis malè loquar. ideóque ad salutandum sum tardus. G. Ego me abs te Pogi salutatum puto. quid vultis? L. Guarine, quæso te pro tua singulari & humanitate & eruditione, te huic facto iudicem præbeas. tui enim artificii est. de lingua Latina agimus, in qua tradenda tu principatum obtines. G. Ego verò libẽs, si modo Pogius forũ nõ declinet. P. Quid ego forũ declinem, quod semper amaui & colui? quippe, in quo tot res ad delectandam gulam pertinentes, emere solemus, non dico lactucas, caules, allia, sed perdices, fasianos, anseres, anates, gallinas, columbos, turdos, ficedulas, itémque oratas, murenas, congros, mulos, præterea pastillos, copullos, salsamenta, & ante omnia duodetriginta genera vini egregii, quæ enumerabo, si vultis. G. Ista fora tibi relinquimus colenda Pogi. ego de illo foro loquor, vnde dicũtur causæ forenses. P. Relinquis mihi hæc fora? & relinquas volo: malo enim ficedulas colere, quàm lites: cauponas, quàm causas. Itaque forum causarum per me vos colatis licet, id vobis colendum relinquo. G. Geramus Pogio morem. non te in forum ad Iudicem, Pogi, sed in scholam vocari ad Magistrum existima. P. Ego ne puer quidem, aut adolescens scholam adii, quomodo nunc adibo decrepitus? G. Non dico vt discas, sed vt cum Laurentio disputes. P. Quis me ad disputãdum

adiget? G.Honeſtas,ratio,pudor. P.Si de ſaporibus diſputandũ ſit,non recuſo. G.Quid de ſonis?an pluris guſtus eſt,quàm auditus? P.Quidni?cum ſine ſono viui poſſit, ſine ſapore non poſſit. G.Iſtud Laurentii intereſt,non mea.ego pro iudice vocatus ſum,non pro litigatore.itaque verbum non addo. tu modo Pogi videto,ne,dũ iſta dicis,tergiuerſari ac fugere videare. P.Egóne ſubterfugere ac tergiuerſari velim,qui nunquã fugi,nec terga verti, qui victus, proſtratúſque nunquam me fateor victum, contráque mihi incumbentem vnguibus dentibúſque pugno? ideo non eſt cauſa cur nos audias altercantes. L.Tu verò Pogi, dum modo proſternaris,pugna, quantunuis dẽtibus vnguibúſque.Non enim pardus es aut leo,vt vngues tui ſint ac dentes formidandi,præſertim habenti duriſſimam pellem . ſi tamen fateri vis,mei ſunt in te pardini leoniníque dẽtes & vngues. Cæterum nolo tecum pugnare: Guarinus modo ſit examinator epiſtolarum tuarum ad Nicolaum : me nihil verborum facturo , niſi hoc vnum,ne culpam in librariũ reiicias . éſtne hic codex tuus?

P.Quid ſi negem meum eſſe? L. Si negaueris tuum,ego dicã eſſe meum. P.Guarine,hic furti ſe alligat. L. Nemo eſt fur rei domino carentis. P. Ego iſtius codicis dominus ſum, & tu eius fur. L.Non dixi,me hunc librum eſſe meum dicere,ſed dicturum,ſi tuum negaſſes. Quod ſi faceres,iam huius libri fur non ero,ſed dominus:tuverò non dominus libri,ſed mei calumniator. P.Imo ipſe ſum dominus libri,non tu,quem tu fortè furatus es illi , cui commodaui tranſcribendum, niſi ab eo tu commodato accepiſti , licet hoc illi vetuerim. L. Iam culpam in librarium refundere non potes,tanquam liber inemẽdatè ſit ſcriptus,quem tradis etiam nõ amicis tranſcribendum: verum quid ita vetuiſti homini,ne mihi commodaret ? an ne te reprehenderem? P.Tu me reprehenderes, homo maximè reprehẽdendus?

L.Experiamur,an iſthuc poſſim, Guarino diſceptatore & iudice:in plurimis enim,vt opinor,erraſti. P.Mentiris. L.An mentiar,cognoſcas licet,en locos annotaui. P.Vbi ſunt ? cedo codicem. L. Iſtud non faciam, ne hinc te proripias cum codice, tu potius Guarine inſpice:& quoniam ipſe hunc inſectari non poſſum, tu pro peccatorum qualitate reprehende. P. Quid poteris reprehendere? L.Si te non poterit, me poterit, qui locos in tuo libro,vt reprehendendos,annotaui. vter peccauerit,eum cenſoria auſteritate inſectetur . placétne hoc tibi? P. Cur non placeat mihi te reprehendi? G.Vultiſne me caſtigare cẽſorie, vel te Laurenti calumniantem, vel te Pogi malè loquentem? P. Accipio

conditionem, dum Laurētium more Pogiano, ſcis quid dicam, inſecteris. L. Ita volo, ſed vt tu viciſſim Guarine ſuſtineas partes meas, omiſſis tuis: vt ſicubi reperies Pogium barbare loquentem, nō iudicem agas, ſed accuſatorem. G. Ita fiet. igitur legam locos abs te Laurenti notatos. LIB. POG. Illud autem diligenter annotaui, nullo modo licere ſacerdoti capere quicquam ex altari præter victum & veſtitum: quòd ſi plura, furem dicūt & latronem. G. Vnde pendet Pogi illud, quòd ſi plura? verū hæc donemus: nemo eſt qui in huiuſmodi non aliquando erret incuria quadā. Hoc mihi præ cæteris moleſtiæ plus affert: quid ſibi vult præ & plus, Cicero nūquam ſic dixit. LIB. POG. Poſt quindenā ab his partibus diſcedā. G. Coquū ſtabulariumq; meos ſæpe ſic audio loquentes, Volo ire ad partes, Venerunt multi ex partibus meis: quos ita loquētes, etſi nō Italicos, tamen ridere ſoleo: quindenā autē in ore illorū nunquā audiui. Hoc ſi licet, nō video cur nō etiā liceat dicere decenā, quarātenā, & quædā alia more idiotarū. LIB. POG. Conſtitue te in locū meū. G. Trāſfer te in locū meum, aut cōfer, aut perge, dicimus. Mane, ſede, pone te in loco meo, nō dicimus, ita nec cōſtitue. LIB. POG. Quū de proximo inſtet coronatio Regis. G. De proximo, coqui mei iſte ac ſtabularii ſermo eſt. Vbi bis peccatū eſt, quòd neque de proximo dicimus: & ſatis erat dicere, Inſtabat dies coronationis. hoc eſt aduentabat, & proxima erat dies. vt Cæſar Commentario I, Diē ex die ducere Hedui. Cæſar vbi ſe diutius duci intellexit, & diem inſtare, quo die frumentum militibus metiri oportebat. Et Lucanus, Inſtabátq; dies qui dat noua nomina faſtis. Et mox, Dum tamē emeriti remanet pars vltima iuris. LIB. POG. Vtile igitur cōſiliū eſſet incipere quātotius fieri poſſet, mihi crede. Libri ſacri, quos legi, & quotidie lego, refrixerunt priſtinum ſtudium humanitatis.

G. Coquus meus Parmeno, & ſtabularius Dromo, ſic mecum loquuntur, nec dedocere eos poſſum, quin auribus meis inculcent quantotius, exiſtimantes ſic ſe loqui pereleganter. at refrixit cum accuſatiuo nunquam dixerunt. Adeſdum Dionyſi adoleſcens, Ignis caleſcit manus meas, diciturne Latine? DI. Minime, mi magiſter. G. Cur ita? DI. Quia inchoatiua hunc caſum reſpuunt. G. Voca quæſo Pogi filios tuos, qui etſi pueri, niſi hoc ſciant, verberandi ſunt: non poſſe dici, Lectio refrigeſcit ſtudium. Quod ergo in puero verberibus dignum eſt, id in te Pogi caſtigandum nō erit? LIB. POG. Quid fiet ſub diuo. G. Si Græca noſſes, vt noſſe videris, ſub dio diceres: id eſt ſub Ioue, nō ſub diuo. LIB. POG. Rerum quas miſeram Piſas per vnam nauem, quæ,

Partes. Quindena. Transſer. Cōſtitue te in locum. De proximo. Inſtat dies. Quantotius. Refrixit actiue. Inchoatiua verba. Sub dio.

vt certum eſt, iamdudum appulit in portum. G. Vna pro quædam: vt, Inueni hodie vnum hominem amicum, ſæpe ex Parmenone meo audiui ac Dromone. & iamdudum, pro iampridem: appulit in portum, pro appulſa eſt, nunquam audiui. homo potius vel ventus appellit, quàm nauis. LIB. POG. Nam ſignum eſſet aliqualem memoriam remanſiſſe. G. Plura ego à Parmenone barbara, quàm ille à me Latina, didici: aliqualis, aliqualiter, quæ nollem didiciſſe, nequando iis vterer, vt tu facis, quæ nunquid à tuo coquo didiciſti? cum quo genere hominũ maior tibi, quàm mihi eſt conſuetudo. LIB. POG. Rogo vt me certifices. G. Et hoc culinariũ vocabulum eſt. LIB. POG. Ne deuenirent in manibus fratris. G. Parmeno ades huc, diciturne hoc grãmatice, Deuenerunt in manibus fratris? PA. Mi domine, quis hoc dixit? G. Nempe hic Pogius. PA. Iſte Pogius peius me loquitur, qui coquinariam factito. quæſo mi domine, pro me coquum Pogium facito. nanque ad hanc rem videtur mihi ſanè idoneus, vt vultus promittit, aut certè cellarium. nam neſcio quid vinaticum præ ſe fert. G. Abi hinc improbe Parmeno in culinam tuam. LIB. POG. Neſcis reperire modum, quo tria fruſtecula panis exportentur? G. Redi Parmeno, redi, redi: fruſtecula panis, inquit Pogius, tu quomodo diceres? PA. Ego ſẽper fruſtula carnis dico, & fruſtula panis. hui ſubcoque Pogi, veni in culinam meam: non fruſtulis panis & carnis, ſed fuſtibus pro pane carnẽ tuam ſatiabo. G. Tace iam Parmeno. LIB. POG. Scripſi ad te, me abiturũ ad vos hoc menſe Maii, aut amplius ad feſtum Maii. G. Amplius, in iſtum ſenſum vbi reperiſti? Cicero, cuius te cultorem ais, ad ſummum ſolet dicere. LIB. POG. Diſcutiemus diligẽter hoc faſciculum cogitationum mearum. G. Hoc faſciculum dixiſti Pogi? PA. Mi patrone, ego, quem tu per cõtemptũ appellas Parmenonẽ, non ſic dixiſſem. ſemper faſciculos phaſeolorum, fœniculi, herbarum dico tibi me attuliſſe de foro, nõ faſcicula. fortè hic de paruis faſciis loquitur, quibus cogitationes ſuas inuoluit. verum tunc diceret faſciculã. iam ſcio mi patrone, rectè locutus eſt pol homo iſte, faſciculũ hoc à fas deriuatur, cuius genitiuus eſt, vt iſte vult, faſcis. G. Iam odioſus es Parmeno.

LIB. POG. Ego veſtræ huic cœnæ condimentum, quod eſt meæ artis, adiiciã. Ideo te rogo, vt illos libros ad me quamprimũ mittas, ſi illos habes: ſin autem, ſumas mutuo à Nicolao. G. Sin autem, pro ſi non, vbi apud Ciceronem legiſti? PA. Quid illud mi domine, ſume librum mutuo? ego nõnunqnam oleum, ſalem, acetum, panẽ, vinum mutuor à vicinis: non ſartaginem, ollam, cultrum, ſecurim, piſtillum, mortarium, ſed cõmodato accipio.

Aliqua nauis. Vnus homo. Nauis appulſa. Appellit homo. Aliqualis. Certifico. Deuenire in manus. Fruſtula panis. Amplius ad feſtum Maii. Ad ſummũ. Faſciculus. Sin autem. Mutuo. Commodato accipio.

G.Tu iam pro me factus es iudex Parmeno. PA. Assessor tuus ero,si lubet, aut certè testis meæ doctrinæ, quam me hercule non commutauerim cum Pogiana. fac quæso periculum, vter doctior. G.Apagesis,vino cales. PA.At hic vinū olet.dii te perdant Pogi, vt vehementer crapulā exhalasti, eructastiq;. G. Nō hinc abis? PA.Si me irritas,etiam Dromonem vocabo. G.Pœnitet me hūc vocasse foras. nam coquum,cuius in manu tua vita est, caue lædas. LIB.POG. Quæ quū omnibus grauia sint, tū mihi præsertim consueuerunt esse grauissima. G. Quid ita Pogi aggessisti,tum & præsertim & grauissima?mallē dixisses,Quæ quum omnibus, tū verò mihi grauia esse consueuerunt, eóque magis,quòd SINT,subiūctiui modi est:& Cōsueuerūt,indicatiui

Quū omnibus,tum mihi præsertim.

LIB.POG. Vestes illas attritas, quæ penes te sunt,cupio vt vendantur. PA.Licétne domine? G.Minime:tace,si sapis. PA.Ego sapio : sed hic sermo mihi non sapit, fatuus enim est & insulsus.

G.Abi hinc,abi inquam. PA.Non abeo.Dromo,herus te vocat. DR.Quid vis here? G.Hic tuus est herus,is iubeat quid velit,qui mihi nihil obtemperat. PA.Sublimem intro hunc rape, quantum potes,in stabulum tuum. DR. Quem? PA. Pogium hunc. DR.Quamobrem? PA.Vt in stabulo tibi seruiat,& mihi quandoque in culina. DR.Quid fecit? PA.Latinitatē Grammaticámque tanquam ollas frangit, quem nisi prohibeamus,actum est de lingua Latina.Et postea Italici nos transalpinos barbaros vocant,quum nemo Italicorum, præter hūc nostrum herum grammaticus sit. DR.Quid iste dixit? PA.Cupio, vt illas vestes attritas vendantur. DR.Magis ipse attritum caput habet, quàm illæ vestes fuerint.sed quid iubes here?hūccine attritorem confractorémque Latinarum ollarum in stabulum rapio, vt cū caballo & asino vitam degat? G. Huic tu asino credis caballe? apagete ambo. LIB.POG.Tum quia vidi paulum commotum propter literas ad te meas, quia difficiliter tolluntur. G.Paulo commotum dicimus,non paulum:& difficile,difficultérque,nō difficiliter. PA.Istæ sunt subtilitates Italicorum vanæ,in quibus nullum peccatum est.tunc verè peccatur,quum grāmatica tanquam bonum pulmentum secordia coqui corrumpitur. G.Tu ergo illa iudicato,hæc ego.quanquam iniussu meo, ac partibus repugnantibus, factus es iudex. PA. Nunquid hic alter recusat me iudicem? I.Ego verò te nec iudicem,nec assessorem,nec testem, nec aduocatum recusauerim, ita mihi videris coquorum omnium(quos vidi)doctissimus.sed vide,ne hîc sint,quibus magis placeāt manus tuæ,quàm lingua. PA.Quid tu putas bonum

Vestes attritas vt vendātur.

Paulo commotus.

Difficile.

coquum esse posse sine lingua & palato? mihi crede, boni coqui magis lingua, palatúmq; agit, quàm manus. Non vides, vt magister coquorum, quem herus meus vocat archimagirum, non manibus vtitur, sed lingua atque palato? Quare si sapis, sine me, tanquam archimagirum, vti lingua in hũc subcoquum meum, qui barbaram linguam habet. vtinã possem & manibus vti. scisne quãdo archimagirus vtitur manibus? quando peccantes subcoquos verberat. G. Iam me enecas lingua tua Parmeno: reserua ista ad tua pulmẽta: vereor, ne hic eam sic defatiges, vt postea nihil intelligat. PA. Mi here, quũ lingua, veluti pinsẽdo, defessa est, tunc calefacta præcipue sapores intelligit, vini præsertim. Si non credis, vel Pogium interrogato, qui singularis mihi videtur iudex ac cẽsor vinaliorum. G. Iam desine. LIB. POG. Nec nũc quoque illum mitto, sed infra paucos dies certũ quid sciemus. G. Hoc tu vitium non vides Parmeno? PA. Pro, ne nũc quidem, dictum est, nec nunc quoque: &, infra paucos dies, pro intra paucos dies. LIB. POG. Melius est peccare in hãc partem, quàm omnino esse incredulus. G. Quid nũc dicis Parmeno? PA. Nescio: quid vitii videre videor, dic tu. DR. Quid, non vides bestia illud, incredulus? PA. Per Iouẽ, istud ipsum animaduertebam, sed subdubitabam. vere bestia. nam quid subdubitare oportuit, an dicendum esset incredulus, an incredulum? sic enim construitur, Esse omnino incredulum hominem est peius, quàm eum peccare in hanc partem. Nam ita cõstruendum esse, magister meus Rodolphus Chercheph nos docebat. LIB. POG. Aristoteles dixit demo cratiam omnibus peiorem. G. Quid hic Parmeno & Dromo? Iam iudicum numerus creuit, & testium. DR. Certe omnium pessimam dixissem, non peiorem: sicut, Hic homo est omnium pessimus: nõ omnibus peior, ne seipso peior esse dicatur, & superlatiuum ad ea, quæ sunt eiusdem generis, comparetur, comparatiuum verò ad ea quæ diuersi. G. Dignus es Dromo, qui tam recte loqueris, vt de stabulo in aliud honestius te transferam ministerium. DR. Sed quis caballum aut asinum tuum curabit? G. Quasi desint, qui illos curẽt. PA. En Pogium tibi dignum mehercule, qui asinum agitet. G. Mitte contumelias. LIB. POG. Sũma cum animi iocunditate. G. Non sic loquimur, Pogi. cum voluptate dicimus animi, non cum iocunditate. dicimus enim iocunditatem vocis, orationis, aspectus, quasi amœnitatem: hoc est, illud vnde nascitur voluptas. LIB. POG. Non cupio diuitem fieri, hoc est valde opulentum. G. Neque hoc tacebit Parmeno. PA. Modo dicebat incredulus pro incredulum: nunc autem

Ne nunc quidem.

Intra paucos dies.

Melius est quàm esse incredulus.

Omnium pessimus.

Iocunditas.

Voluptas.

Nõ cupio fieri diuitem.

diuitem pro diues. an te putas factum ſuperius emendaſſe poſteriore? mediuſfidius nō alio modo, quàm fecit nuper ſocius meus Gotſchalcus, qui, quoniam à me reprehenſus eſt (fuit enim adiutor meus in coquendis epulis nuptialibus) quòd in prandio carnes quaſdam parum elixaſſet, veſperi, quum aſſaret gallinas, penè combuſſit, iterum à me reprehenſus, reſpondit, Nimis & Minus ſi commiſceantur, efficere temperatum: vt, Si nimis temperatum aqua vinum cum meraciore commiſceas, fit tale vinum, quali vti ſolemus. Quo reſponſo, perturbatus ego, fateor, non lingua ſum vſus, ſed manibus: tótque pugnis hominem contudi, vt omne quod ſorbillauerat, vinum coegerim euomere. quod idem, ſi liceret, in Pogium facerem, qui cum ſemicrudis ſemiuſta permiſcet, quæ conuiuis ſuis apponat, credens ſe vitium vitio emendare. LIB. POG. Peractis ex more ſolenniis pluuiali veste indutus eſt, inde quum pontifex, tum imperator equos conſcendentes, vnà verſus pontem Adriani proficiſcuntur. G. Eodem modo locutus es, quo quidam qui librū ſuum inſcripſit, De inſigniis & armis, quum dicere deberet, de inſignibus. Eadem ratione dicuntur inſignia & ſolennia. vnde ſicut inſignibus, ita de ſolennibus dicendum eſt. verſus quoque pontem, negant Grammatici dici poſſe, ſed pontem verſus. Illud quoque conſcendentes, ego maluiſſem dicere, equis conſcenſis. LIB. POG. Supra pontem autem quum tranſiret, deſcendens ex equo, quàm plures ſtrenuos milites, viros atque adoleſcētes, militaribus inſigniis donauit. G. En tu quoque Pogi dixiſti inſigniis, pro inſignibus, ſicut ſolenniis, pro ſolēnibus. etiam quāplures dixiſti, pro complures. vbi enim legiſti quamplures? P. Iſtud ego frequenter audiui.

Solennibus. *Verſus pontē.* *Inſignibus.* *Quamplures.*

G. Vbi legerit quæro, non vbi audierit, nec de recentibus ſcriptis loquor, ſed de vetuſtis. Etiam, Supra pontem tranſire, magis auium eſt quàm hominum. homines enim ſupra flumen tranſeunt, ſed per pontem. LIB. P O G. Et niſi eſſet mendoſitas exemplariorū, nō eſſem moleſtus Leonardo. Bellum Lucanum ſumma ſtultitia cœptum, neſcio quem finem habebit. Tyrannus ille Lucanus, qui tam diu vrbem illam oppreſſit. G. Exemplariorum, ſimile eſt in inſigniis & ſolenniis. an putas hæc ſimilia illis quæ Macrobius colligit, quale eſt Saturnalium & Saturnaliorū? Bellum quoque Lucanum, pro Lucēſe poſuiſti, perinde acſi poneres Rheginum, pro Rhegienſe. Alii enim ſunt Lucani à prouincia ſupra Neapolim poſita, alii Lucenſes à Luca, quæ eſt ſupra Piſas. LIB. P O G. Propter inopiam exemplariorum, vt præſto poſſim diſcedere. G. En iterum exemplariorum pro exem-

Supra & per pōtē trāſire. *Exēplariorū.* *Lucani.* *Lucenſes.*

plarium. Præsto quoque pro cito posuisti, quum significet præsens, sempérque positum reperiatur cum verbo substantiuo, vt Præsto sum. LIB.POG. Ego dixi sibi, ipse autem semper cogit me ire ad eum. G.Abite Parmeno & Dromo hinc paulisper, ne contra me testimoniũ perhibeatis. PA. Quid ita here? G.Quia contra vos dicam semper ita loquentes. PA.Doce nos obsecro. Præsto.

G.Docebo, qui alium coquum verberas, aut minus, aut nimis coquentem cibos, te multo magis esse verberãdum. quum te dico, & Dromonem & Pogium dico, qui cibos nõ coquendos coquitis, & coquendos non coquitis. PA.Istud ego nunquam feci.

G.An hoc nõ facitis, quũ pro ei dicatis sibi, & pro se dicatis eũ? dicẽdũ enim erat, Ego dixi ei, ipse autem cogit me semper ire ad se. PA.Here, miror cur non moriamur omnes. G. Quid ita?

PA.Quia nemo, te excepto, est, qui non edat cucurbitas crudas & pepones coctos. G.Quid istud est? PA.Nõ intelligis illud ipsum quod dicis de cibis coquendis ac nõ coquendis? Nã quum dicimus, Si tibi fides habẽda est: ego dixi sibi, pepones coquimus. quũ rursus, Cogit me sẽper ire ad eũ: crudas cucurbitas edimus.

G.Sile iã, atq; audi. LIB.POG.Nec miror accolas circũuicinos.

G.Demus, quòd circunuicini reperiantur: qui sunt alii accolæ, quàm circũuicini? pene nãque idem sunt accolæ & finitimi. incolas, opinor, dicere volebas. DR.Istud mi here ignorabã: tribus ferè stadiis ex eo loco Rheni cadentis rumor exauditur. DR. At istud nõ ignoro mi here, in quo, vt nũc Pogius, ita pleriq; Italici errant, quũ apud nos nemo erret. Nos enim dicimus rumorem, vnde rumigerulus, pro vulgi sermone de re aliqua noua. vos quoque pro strepitu & fragore, qualis est Rheni, qui non longe à patria mea de montibus cadit. sed iste porcus, quonam vocatur nomine? PA.Pogius. DR.Iste, inquam, siue Pogius, siue porcus non ruminat, quum rumorem in istum sensum accipiat. Circunuicini Accolæ. Finitimi. Rumor. Rumigerulus.

LIB.POG.Fenestrellæ perplures demissæ. G.An ignoras mi Pogi, scriptorem illum vocatum esse Fenestellã à fenestra? Cur tu r interposuisti? perplures quoque non dici, sed cõplures, iamiam admonui. etiã fenestræ non demittuntur, sed canistella & funes per fenestras. tu autem significare volebas (vt opinor) illas fuisse solo propinquas. LIB.POG.Cõposita mensa, desuper aquam natante. G.Desuper tu dixisses Dromo? DR.Quid? ni mẽtior, aduerbiũ est desuper, non præpositio, ideo casui nõ seruit. G.Dionysi, dic aliquod è Virgilio exemplum huius dictionis desuper. Fenestellæ. Complures. Desuper aquam.

DI. Desuper Alcides telis premit. LIB.POG. Desuper aquam fluitante. G. En iterum desuper aquam. Dionysi, dic tu aliud

ſimile exemplum. DI. Tum ſyluis ſcena coruſcis Deſuper, horrentique atrum nemus imminet vmbra. LIB. POG. Qui eam pilam capit, potior habetur: iſque iterũ proiicit eam ad perſonam ſibi acceptiorem, quum illam multi petãt. G. Perſonam pro corpore hominis, quale eſt, mittere pilam ad perſonam, vbi legiſti? tu Dionyſi, vtrum hæc dixiſſes, potior & acceptior, an potiſſimus & acceptiſſimus? DI. Nempe per ſuperlatiuum, quia de compluribus ſermo eſt, iiſque eiuſdem generis. DR. Mi here hic adoleſcens tuus ſenex eſt: ille verò ſenex adoleſcens & puer, ſed qui iam diſcipulus eſſe, id eſt diſcere amplius non poſſit. PA. Minus dediſcere. Nam nihil admodum didicit. DR. An didicerit, neſcio: ſi didicit, profectò iam dedidicit. G. Sinite reſpondere adoleſcentem. LIB. POG. Mihi crede abiet in ſudorem. G. Eſtne hîc quippiam vitii? DI. Abiet pro abibit: Eo enim futurum facit ibit, non iet. LIB. POG. Volebam Lucretium pro quindecim diebus. G. Quomodo tu hoc dixiſſes? DI. Ad quindecim dies. G. Cur ita? DI. Quia ſic diceretur pro quindecim diebus, vt pro amicis meis, quippe ea re indigentibus: at dies non indigent libro. LIB. POG. Nihil enim vnquam de te noui, quãuis ſæpius inueſtigaui. G. Quid differunt Dionyſi veſtigo & inueſtigo? DI. Veſtigo, quaſi per veſtigia quæro: & inueſtigo, veſtigãdo inuenio. LIR. POG. Ipſe habitat penes ſanctum Petrum, ego prope Cincium. G. Túne Dionyſi ita dixiſſes? DI. Quid ita dixiſſé, penes pro prope, quũ præſertim abs te audierim, penes, eſſe aliquid in arbitrio, & quaſi in manu eſſe? LIB. POG. Neque tantum damna æſtimanda ſunt, quantum dedecus & ignominia. G. Et hoc ita dixiſſes Dionyſi? DI. Minime, ſed tanti & quanti, vt ſemper te audio loquentem. DR. Nunc taceo, quum audio à puero ſenem doceri. PA. Caballe & aſine, negabas modo hunc poſſe diſcere, nunc contrà doceri ais. DI. Docetur quidem Pogius, ſed non diſcit. an putas omnia, quæ magiſter docet audientes diſcere? PA. Me vincis. LIB. POG. Itaque intellige me non dormire, aut te verbis paſcere & inani pollicitatione, vt cæteri. PA. Hîc ego pro Dionyſio reſpondebo. hoc tale vitium eſt, quale ſuperius, nominatiuus pro acuſatiuo. Itaque hunc nominatiuũ accuſabo. ohe Pogi, ohe, cur ſic barbare loqueris? barbam tibi propè vellam. G. Caue vellas verbero. LIB. POG. Habet hortum egregiũ, in quo eſt fons irriguus. G. Ha Pogi, fõtẽ irriguum dicis: quid appellares hortum? tu Dionyſi, quid diceres? DI. Ego hortũ dicerẽ irriguũ, quòd irrigaretur à fonte: verum apud Virgilium legimus, irriguũ fõtem, in quarto Georgicorũ:

Perſona pro corpore hominis.

Superlatiuus.

Abiet in ſudorem.

Pro quindecim diebus.

Adquindecim dies.

Veſtigo.

Inueſtigo.

Penes ſanctũ Petrum.

Tantum pro tanti.

Me nõ te verbis paſcere, vt cæteri.

Fons irriguus

Hortus.

Irriguúmque bibant violaria fontem. G.Hoc eſt, quod parum cautos fallit,quòd putãt idem ſibi licere quod poetis.Dicit enim idẽ Virgilius, -ſedere carinæ Omnes innocuæ.hoc eſt,quòd fra Locus Virgilii. ctæ non ſunt. Itaque ſicut hic poſuit actiuum pro paſſiuo (nam innocuus eſt qui non nocet: quod nũc poſitũ eſt,quòd nauibus Innocuus. à terra nocitum nõ eſt)ita hic paſſiuum pro actiuo. Eſt enim irriguum, Irriguum. quod irrigatur, non quod irrigat. LIB.POG. Sed quia in culpanda auaritia ſacerdotum ii potiſſime apti videntur, quos illi dignificãt. Certifices me item, ſiqui libri Petrarchæ ſunt venales inter iſtos Colutii. G. Túne diceres dignificant Dionyſi? Certifico.

DI. Ego ne potiſſime quidem dicerem, ſed potiſſimum: & dignos Dignifico. faciunt, ſiue pro dignis habent, & certiorem me facias. Potiſſime.

LIB.POG. Sed hic præſto ſcribit, & ego ad vos præſto veniam. Præſto.

G.Quid hoc? ſic tu diceres Dionyſi? DI. Imo, ſed is celeriter Celeriter ſcribere. ſcribit,& ego ad vos propere veniam. LIB.POG. Nam, quo ad animum,ita exceſſit è vita,vt qui ſponte abeunt,non qui eiiciuntur. Propere. G.Iſtud,quo ad animum,tu quomodo? DI. Quantum ad animum pertinet:nam quoad,pro quantum,non audiui. LIB. Quoad,pro quantum. POG.Credo meme propediem valere,& rem confecturus, vt ſpero. G. Hiccine animaduertis aliquid Dionyſi? DI. Quòd fruſtrà Meme valere. geminatur me. G.Nunquid aliud? DI.Quòd ſuperuacuũ duorũ verborũ alterũ eſt,credo & ſpero. G.Nunquid etiã aliud?

DI.Quòd valiturũ eſt dicendũ, vt confecturũ. G.Recte ſentis.

LIB.POG.AEſtimo libros Antonii,niſi quid ille ſecus ſtatuit,venum iri debere. G.Quid hic animaduertis Dionyſi? DI.Nẽpe, quòd venũ iri nõ dicitur. G.Cur ita? DI.Quia nec vapulatũ iri Venum ire. dicimus,ſed ire. G.Quamobrem? DI.Quia in cæteris,quæ ambigua ſunt,quòd actiue & paſſiue accipi poſſunt, ad diſtinguẽdũ ſenſum accõmodamus infinitiuũ,hoc, vel actiuũ vel paſſiuũ. vt, Video te amatum,lectũ,doctũ,auditum,ire vel iri.Talia enim ſupina Supina. ambiguæ ſiue ancipitis ſignificationis ſunt. At venũ,vapulatum,& ſiqua ſunt talia,nõ ſunt ancipitis,ſed ſemper paſſiuæ ſignificationis.Ideo non poteſt addi vtrunque, ſed alterius infinitum,hoc eſt ire, non iri,ne duo paſſiua copulentur. G. Nũquid aliud animaduertis? DI. Superuacaneũ etiam illud,debere: ſic Debeo. enim iſti loqui ſolẽt Dromo & Parmeno,Dominus iubet,quòd debeã ire ad forũ. LIB.POG.Saculũ accepi, in quo mẽbranæ erant vnà cum finiculo, quem iam maiori ex parte amicis dedi.

PA.Tu nos reprehẽdis Dionyſi,qui magiſtri,aut certe reprehẽſores huius viri ſumus. mi here hoc contrariũ illi vitiũ eſt,quod Pogius ſuperius admiſit.Nam vt ibi dixit,hoc faſciculũ, pro hic

fasciculus : ita hîc econtrario, hic finiculus,pro hoc finiculum. hoc profecto est vitium verberibus , plagísque dignum, non illud quod in nobis iste reprehendit. G.Nunquid hîc aliud vides?

PA.Ego non aliud. G.Quid tu Dionysi? DI.Opinor dicẽdum

Fœniculum. fœniculum, pro finiculum. G.Recte sentis. LIB.POG. Nicola noster,cum est longus natura,tum rebus suis vacandum fuit.

G.Quid hîc vos vitii videtis? DI. Dic tu Parmeno, qui vendicas tibi facultatem Pogiũ reprehendendi. PA. Dic tu Dromo.

DR.Audiamus Dionysium.fortè quod dicet,nihil erit. DI.V-

Cum & Tum. bi sunt hæc,Cum & Tum,ibi est semper idem suppositum.nũc non potest illud Nicola suppositum esse illius Vacandum fuit, quum dicendum sit , Nicolæ vacandum fuit. PA. Istud quod ais Dionysi,nec ego curo,nec aliquid est,nisi secus herus sentit.

G.Ego cũ Dionysio sentio, & ea re ipsum interrogaui . verum in hoc malo te interrogare Dromo , quod sequitur. LIB.POG. Sis contentus libruncula castratelli. G.Qualis hic sermo esse ti-

Castratellum. bi videtur? DR.De castratello loqueris? G.Et de isto & de alio.

DR.Mallem te interrogare Parmenonem, qui carnem castra-

Sueterum. tenam & emere solet,& coquere(sic enim sueterum vos appellatis Italici)an hoc est,quod me interrogas, quod castratellum di-

Veruecculus. xit Pogius,pro veruece ? Verè est hic veruex, qui pro verueculo

Librũcula,pro libella. dixit castratellum. G.Nunquid est aliud? DR.Libruncula non placet mihi,& nescio quare.nam potius ego dicerem castruncula,quàm libruncula. sicut enim nõ dicimus librunculus, ita nec libruncula dici debet. G. Quomodo ergo pro libruncul o dicis

Libellus. librum paruulum? DI.Certè libellum. G.Sic nunc de parua libra dicas,quam malè librunculam dici sentis? DR.Ah ah intelligo libella dicendum , sicut de labrum labellum. Dii tibi Pogi de istis tuis veruecinis,siue castratinis libellis,ac libris non vnam libellam , sed duas libras carnis auferant , vt linguam ostendas, quæ tam barbare loquitur. LIB.POG.Te autem non potui conuiuari , quia domus erat incœpta. G.Quid hic est Dionysi vitii?

Conuiuari. DR.Quia conuiuari deponens est, non inuitare alium in conuiuium,sed in conuiuio esse. LIB.POG.Emas mihi lecticam vel nouam vel veterem.nam in domo sum quasi forensis. G.Quid

Lectica. hîc est vitii? DR. Lectica,qui est paruulus lectus, pro fulcris ac-

Fulcra. cipit,quæ sunt tabulæ compactæ,super quas lectus ponitur.Item

Forensis. forensem,pro extraneo & peregrino.sed ita semper Parmeno lo

Extraneus. quitur & Dromo.Ideo vitium hoc non viderũt. LIB.POG. Ve-

Tædet eum conditio fortunæ suæ. rum ii motus parantur , vt vnumquenque tædeat cõditio fortunæ suæ. G.At hoc vitium fortasse isti videbunt. PA.Ego video,

peccauit,quia. DR.Et ego video, mitte me potius Parmeno dicere. PA.Imo me tu potius qui prior cœpi. DR. Non debuisti incipere: expectare alterum fuerat modestius. PA. Cur ergo tu me nõ expectas? DR. Quia tu nõ prior me expectaras. G.Quid tempus teritis?quod alter dixerit,id vtrunque dixisse existimabo. tu Dromo cõcede coquo.perniciosa res est coquum habere inimicum. saluberrimum verò atq; dulcissimum habere amicum.

DR.Recte admones here:Dic mi Parmeno. PA.Quis nisi veruex,atque castratus diceret isto modo?quid vult mi Dromo ante se verbum,tædet? DR.Accusatiuum. PA. Nunc quid habet? DR. Nominatiuum. PA. Quid post se? DR. Genitiuum.

PA.Nunc quid habet? DR.Accusatiuum. PA.Ergo ambo hominem accusemus. DR. Imo verberemus. Hem dormit.

PA.Pol dormit,&(vt opinor) vsque dormiuit. G.Excitate hominem. PA.Euigila Pogi. DR. Dormit apertis oculis, surge Pogi,surge. P.Quid me percutitis?quid me excitatis? DR.Quia apertis oculis dormis vt lepus. P.Semper sic dormio. DR.Itane quum dormis, oculos habes apertos: quum quis tecũ loquitur,aures habes clausas? P.Quis mecum loquitur? DR.Guarinus. P. Vbi is est? DR. En tibi Pogi. G.Imo tu hinc abieras Pogi. P.AEdepol nihil,siquid dixisti,audiui. G. At vnum audi quod restat. LIB.POG. Si volumen decadarum tibi placeret.

G. Vbi reperisti decadarum? P.An non decadarum dicitur,sicut cicadarũ? G.Non decada,sicut cicada,sed decas. P.Istud tuũ Græcum est,hoc meum Latinum. sed fac istos abire, si vis,vt de cæteris respondeam. G.Iam nihil est,quod amplius notarit Laurentius. P.Notet,si volet:sumat alios quoscũque è meis libros. Decadarum.

G.Placet. L.Fiat.

LAVRENTII VALLAE IN EVNDEM POGIVM ALTER LIBELLVS.

LAVRENTIVS.

CONCEDAMVS in hanc sanè amœnam porticum nobilis adolescentis & inter primos docti ac facundi Marcelli capitis ferrei,vt possimus animos molestia disceptandi affectos,loci amœnitate relaxare. G. Illiúsne honesta ac liberali facie adolescentis,qui nos modo, quũ equo veheretur,salutauit ex hac domo egressus? L. Illius verò. G.Eo magis in eius porticum concedamus,si modo idem Pogio placet. PO. Præstola-

mini isthic mihi, dum ad meam sanè propinquam domum recurro,vt id afferam,de quo iudicandum est. G. Nempe opinor libros. P. Nam quid aliud? G. Sed quin potius mittis famulum? P.Famulum inquis? Tu verò, si sapis, nunquam famulo aut libros, aut pecuniam, aut vinum credideris, si hæc pretiosa sint. cætera, si bonus ille est, credere potes. L.Quid vestes?

P. Quasi non appellatione pecuniæ contineantur & vestes.

L. Quasi non & libri, & vina eadem appellatione contineantur. GONDISLAVVS. Here,quid ergo libros & vinum famulo non credes, vxorem credes? P. Quasi verò vxorem possit eripere,vt libros,vinum, pecuniam. GO. Atqui tractatio vxoris magis quàm librorum,pecuniæ, vini,periculosa est, etiam magis quàm vitri. G.Abi hinc sceleste cum istac loquendi licentia.

P. Noli castigare famulum meum Guarine: habent hanc famuli mei apud me non modo loquẽdi,sed etiam faciendi licentiam,præterquam in libris, vt dixi, vinóq; ac pecunia. L. Quid tempus terimus,cur non is? iam reditum oportuit. P. Ne festines:nam te magnopere festinasse pœnitebit. L. Omnes afferto libros tuos. P.Eorum tibi vel vnus satis supérque fuerit, nec te putes omnes posse reprehendere. L. Quot possim, experire.

P. Scio quid agam. L. Etiam restitas? vereor ne cito non redeas. P.Ego citius quàm voles,redibo. L.Si expectas,dum volem,nunquam redibis. P.Faciam,vt cum rediero,euolare istinc cupias. L.Cum gladiis venies,an cum libris? P.Libri mei dum irascuntur,gladii sunt. L.Etiámne tui libri,vt tu,irasci solent?

P. A quibus irreuerenter tractantur, eos veluti gladii punctim cæsímque feriunt. L. Sed quid ego tibi in mora sum? P.Properè adero Guarine. G. Facito commodo tuo. L. Obambulemúsne Guarine an consideamus? G.Vt tibi lubet. nam ego dubito. quippe qui mallem obambulare,quàm sedere: sed timeo, ne apud Stoicos Peripateticum agam. L. Quid ita? G. Quia Stoici à porticu,quæ Græcè,vt scis, dicitur στόα, & Peripatetici ex ambulando sunt dicti.quo fit, vt absurdum duntaxat Stoicis videatur esse in porticu deambulare. L. Si isthuc, ne Stoicis displiceat,times, quid ni timeas quoque, ne Peripateticos offendas, si videant te in porticu quasi quondam Stoicorum theatro considere? G.Recte admones,ideóq; ne alterutros offendamus,obambulemus,sed intra porticũ. L.Si volumus Epicureis quoque morẽ gerere,eccos amœnos etiã hortos,qualibus Epicurei delectabantur: genus hominum,etsi vulgo male audit,frugi admodum & temperatũ.Sed en tibi Pogius festinabundus regreditur.

Stoici.
Peripatetici.

G.Strenuus fuisti Pogi, & opinione nostra celerior. P. Verebar ne quid tibi iste me absente persuaderet. L.De hoc tu viro optimo non optime sentis. P.Heus tu,suspiciosa res est cõtrouersia.nec prudentis,sinere aduersarium & iudicem colloqui solos. L.Quia noluisti credere famulo libros,necesse habuisti credere aduersario iudicẽ. P.Et idcirco propere redi. G.Nõ fuit causa Pogi cur redire properares: nec postulo, nisi inter fidem mihi habentes,ferre sententiam.Sed vbi sunt codices? P.Profer Gondislaue librũ. GO.En tibi liber vxore charior. PO.Neque isthuc tibi dolet. GO.Imo placet,& perplacet. L.Quid tu vnũ attulisti librum? P. Satis tibi supérque futurum,vt prædixi.

L.Cur ita satis supérque mihi erit? P.Quia is est,quem nouissime composui. Annota in eo, siquid potes. quem ausim dicere ipsam mihi Mineruam dictauisse. L.Tu paulo ante,quem mallem de tuis libris sumere,offerebas electionem,nũc ipse pro me eligis. P.An tu malles,vt contra te,quàm pro te,eligerẽ? L.Secus mea verba interpretaris,atque à me dicuntur.pro me,hoc est loco meo dico, me nolle,vt tu eligas. Nã istud eligere pro me, planè est eligere cõtra me. P.An nõ semper eligenda sunt optima? hoc autem ex operibus meis optimum est. L. Non cupio aduersariũ partes meas præsumere. P. Melius ego mea,quàm tu nosti. Mihi crede nullum possem è meis libris meliorem eligere. Neque te debeo permittere eligere pessimum. Vide quàm tecum agam amice.Si de gallinis,anatibus,anseribus,columbis, turturibus meis velles eligere pessimam,id te non sinerem facere,sed pro te eligerem optimam. L.Dii te diuitem faciant gallinarum,anatum, anserũ, columbarum,turturum copia,qui tã munificus etiam in aduersario es. Verum timeo Danaos & dona ferentes. Itaque sine quæso me meo arbitratu gallinam siue anatem,anserem,columbam,turturem eligere. P.Nunquid tu aliam quàm optimam vis? L. Non aliam, sed quam tu sentis esse optimam. P.Nẽpe pinguissimam. L. Atqui talis non est liber tuus. P.Quid ita? L.Quia non pingui Minerua & crassa compositus est,sed ab ipsa Minerua dictatur. qualem librũ quis audeat reprehendere? P.Fateor in eo nihil pinguis esse & crassæ Mineruæ,& ideo esse optimũ. L. Cur igitur eum pinguissimæ gallinæ,anati,anseri,columbæ,turturi,comparabas? qui si foret pingui Minerua compositus, permitterem tibi pro me electionem.Haberem enim,quod notare in eo possem. Nũc eum elegisti,qui tibi optimus,mihi pessimus est ad nostrã contẽtionem.

Pro me eligis.

P.Si tibi ipsi confidis,hunc sumito,cuius vel parua reprehensio

pluris facienda eſt,quàm alterius magna. G. Gere morem Pogio Laurenti:non abſurda admodum loquitur. L. Age fiat. Dii gallinarii,& anatarii,& anſerarii, colūbariíque,& turturarii vortant bene. Timeo enim,ne nihil eſculentū in iſta Pogiana gallina vel anate inueniam. G. Quid times Laurenti? Nunquid ſi nihil reprehenſione dignum compereris,victus diſcedis? Neque enim aliter ſuperaberis,quàm ſiquid falſo obieceris. Quód item in te Pogi fit, ſiquid quærere in libris Laurentii voles: vinci non potes, ſiquid forte non inueneris, ſed ſi falſò dixeris te inueniſſe: quod reprehendendum nō eſſet. PO. Probe inquis Guarine. Sed non velim Laurentium ſectari atque inſectari verba,ſed res atq; ſentētias. L. Etiámne hoc poſtulas Pogi,ídq; eo in opere,quod ais à Minerua dictatum? PO. Mineruæ non de verbis curæ eſt, ſed de ſententiis. L. Itáne parum momenti in verbis eſt? in quibus ſi non inſunt ſententiæ,tamen inſunt ſenſus, quos negligēdos eſſe ne Minerua quidem dixerit, nec Apollo, nec Iupiter. Verum prius facito certiorem me,quis iſte ſit liber. PO. Ille celeberrimus tertio abhinc anno cōpoſitus de tribus conuiualibus quæſtionibus. En accipe. L. Ideo Guarine tātopere confidit huic operi Pogius, in cuius procœmio, ſi memini, ſibi promittit immortalitatem. legamus. LIB. POG. Nonnulla hactenus conſcripſi,quæ iam inter multos diffuſa,longiorem mihi paulo poſt obitum vitam allatura videantur. L. Et quantulum eſt in iſto opere ſententiarum,quod auſim,vt abs te dictum,reprehendere? Quum in perſona tua loqueris,ferè totus in recitandis authorū teſtimoniis es occupatus,vt vix quippiā tuū poſſim notare. Quū in aliorum,ſiquid notaro, excuſabis cōſuetudinem Dialogorū, in quibus non poſſum dici vere omnia ab iis, qui vtrinque diſputāt: quale eſt,quòd Nicolaū facis vltimo loco reſpōdentē,cui quia nemo cōtradixit, ſignificas eam tuam ipſius eſſe ſententiā. Hāc quoque legamus. LIB. POG. Omnia præclara & memoratu digna,ab iniuria atque iniuſtitia contēptis ſunt legibus profecta. Vt verò deſcēdamus ad noſtra,quid hac ætate, nónne Lōbardiæ duces, Veneti, Florentini, multíque præterea aliena appetendo rapiēdóque creuere? quibus nulla lex imperat,neque eius reguntur imperio. Credo quū Florentinus populus, aut Veneti alicui bellum inferunt,aduocant Iuriſperitos, ex eorum cōſilio indicunt bella: an potius vtilitate & augmēto ſuæ reipublicæ ducūtur? Abige hinc ergo leges & iura tua, quæ ſunt imperiis propagandis,quærendis regnis,& rerum publicarū amplitudini, impedimento. L. Et alia in hanc ſententiam permulta,quorū ver-

borum ſcriptor fuſtuarium meretur, atque in furcam ſuſpendi, & illic nō modo ab iis, qui nominati ſunt, ducibus Venetis, Florentinis, ſed ab omni humano genere lapidari. Hoc nō Phalaris, non Dionyſius, nō Verres, non alius quiſpiam aut tyrannus aut latro dixit, auſus ius diuinū humanúmq; damnare, quū omnes in quocunque literarum genere libri de iure gentiū, de iure bellorum, ſocietatum, ciuiū, hoſpitúmque vno ore conſentiant. In hanc tam perditam non hominis ſed leonis, aut lupi ſentētiam, nō vnius viri oratione, ſed totius humani generis acclamatione eſſet obuiam eundum. Quam tamen hic ab alio, nō à ſe dictam excuſabit, quaſi ipſe non illam pro ſua ſcripſerit. Talia plurima equidē notare poſſem, niſi hic ſub vmbra ſe alienæ perſonæ occultaret. PO. Bona verba quæſo. iſta (vt inquis Laurenti) alius dixit, non ego. neque te bonitatē ſententiarū excutere iubeo, ſed an aliquid, quod ad bene componendum pertineat, peccauerim.

Perdita vox Pogii de legibus.

L. Cur nō me iubes cælū pugno ferire? vis me hunc potiſſimū librū ſumere ad notandū, quē accuratiſſime cōdidiſti? vis me de verbis notādis nullū verbū facere, ſed de ſentētiis? vis poſtremo ipſarū ſententiarum non bonitatē excutere, ſed neſcio quā bene cōponendi rationē? G. Quid Laurenti ſtomacharis? quaſi nullus tibi ſit alius liber ad excutiendū, & non ab iſto, quē accepiſti inuitus, quāprimū queas diſcedere. L. Bene admones: cedo alios libros Pogi. hūc miſſum faciamus. PO. Non, niſi te à me victū eſſe fateare. L. Iſtæ iudicis ſunt partes, alterum victorem, alterū victum pronuntiare. PO. Si tu cauſa cedas, imò cadas, iam non eſt amplius opus iudicis partibus. L. Itáne loqueris? Faciā profecto, vt te victum, non tu quidem confiteare: non enim eſt hoc abs te poſtulandum, ſed vt iudex pronuntiet. Animaduerte hîc quæſo Guarine, cuius partes hic me præripere iubet. Agedū Pogi, nō ex arte oratoria iubemur magis veriſimilia dicere, quàm vera, ſeruaréque vbique in perſonis ac rebus decorem? Hoc quàm abs te præſtetur, inſpiciamus. legamus librum. LIB. POG. Quū me ad terrā Nouā natalē patriā cū familia contuliſſem, venit eò poſtmodū rogatus à me, qui Florētiam ob negotia publica adibat, paulū de via concedēs Carolus Aretinus, vir omni laude ac doctrina præſtātiſſimus. Is enim pluréſq; alii, in quibus erāt viri doctiſſimi Benedictus Aretinus Iurecōſultus, ac Nicolaus Fulginas, inſignis philoſophia atque arte medicus, Aretinum petierant peſtis vitandæ gratia. Contigit autē vt eodem die & Nicolaus ex Aretio ad curandū ægrū quendā accerſitus, & Benedictus in patriam iturus ſimul me conuenirent. Magna me animi voluptas

cœpit, cum viderem tres ornatissimos viros, mihíque singulari beneuolentia coniunctos forte in idem loci diuertisse. Qui omnes quũ hortatu meo in hortulo mecum cœnassent, post varios in ea sermones habitos remota mensa, quum tempus abeũdi videretur, Age, vt moris est, Carole, Benedictus inquit, huic hospiti nostro gratias, quia ita hilare atq; humaniter nos excepit. Scis enim consueuisse homines agere post cibum gratias iis, qui ad cœnam vocarint. Sicui vero agendæ sunt, hic est profecto, cuius opera non solum epulis, sed etiam vario suauíque sermone cœna iocunda fuit. L. Quomodo istuc Pogi aut verisimiliter narras, aut cum decore? Et vt prius de eo, quod prius proposui, dicã, quî fieri potest vt post cœnam, quæ variis sermonibus traducta est, tantum temporis fuerit, vt de tribus quæstionibus disputaretur, quas tu in librum retulisti ad quatuor amplius millia versuum? quantum verborum nescio an in vllo Dialogorum Ciceronis libro contineatur: factum intra medium diem, cũ præsertim in calce libri scribas. LIB. POG. Sed iam satis collocuti sumus: aliquid dandum est temporis deambulationi. Hæc cum dixisset, surreximus, portámque oppidi egressi ad fluuium diuertimus aeris animíque gratia. L. O solem Pogi illo die stabilem, nec se mouentem. credo subauscultabat sententiarũ suauitatem: aut conuiuio intererat, vt non nisi iussu vestro discederet ad occasum, quemadmodum fecit olim iussus à Iosue præliante. At quãto minora colloquia apud Virgiliũ Sibylla inquit? Nox ruit AEnea, nos fando ducimus horas. Apud te Pogi nulla fuit interuenientis noctis cogitatio. Putabas te fortassis esse, vbi aliquãdo fuisti, in extrema Germania aut Hybernia, vbi noctes breuissimæ sunt æstate, & speciem diei habentes. P. Imo vero cœnam pro prandio posui, vt multi fecerunt. L. Qui sunt isti multi? profecto siqui sunt, non nisi poetæ fuerunt. Quanquam non vides te tecum nõ constare. Si tempus erat anni frigidum, non ad fluuium extra portam aeris gratia issetis. Sin calidum, vt magis credibile est (quia in hortulo comedistis) post prãdiũ, hoc est, in meridie non suasisset ille medicus, vt secum vos ad solem & æstiuum & meridianum è conuiuio & longis altercationibus deambulatum extra oppidum prodiretis. G. Caue istuc dicas Pogi: non modo quia nũquam pro prandio dixisti cœnã, verum etiam, quæ tua liberalitas est, nequaquam fecisses, vt tales viros, & tam tibi familiares in tua patria ad prãdium modo, & non etiam ad cœnam inuitares. Ego nunquam amicum meũ quempiam prandio accipio, nisi eodem die mecum etiam cœ-

naturum. L.Atqui ego Guarine opinor neque prandium illud, neque cœnam fuisse, sed à Pogio fictum. ideóque in fingendo hallucinatum, vt aliis in multis solet: immemor illius præcepti, quod Quintilianus tradit, Prima sit curarum, vt id, quod fingemus, fieri possit. deinde, vt & personæ, & loco, & tēpori congruat. Et mox iterum, Curandum præcipue, quod fingentibus frequēter accidit, ne qua inter se pugnent. PO. Ita disputas non fuisse conuiuium illud verum: quasi non soleam amicos & ad prandium & ad cœnā inuitare. L. Soles tu quidem istud facere, sed non post prandium æstiuum cōuiuas ad solem meridianum educere, aut post hybernum ad flumen & aerem. PO. At illa, fateor, cœna, non prādium, fuit. L. Si fuit vera cœna, profecto nō fuit secundum eam tandiu disputatum: &, si tandiu disputatum, quod tamen incredibile est, nō ab oppido exitum, & ad flumen itū, nisi fortè, vt per noctem piscaremini. Hæc sunt quæ probant, tuam narrationem non esse verisimilem. Illa autem, non seruatum esse in rebus ac personis decorem, quòd secundum cœnam variis, vt dixi, sermonibus traductam, quum iam remota mensa conuiuæ sibi abeundum putarent, atque abitum pararent, introducis eos disputantes, & quasi in causis iudicialibus, vtrinque orantes, & in secunda causa ita rixantes conuitiantésque, vt vterque mihi Pogius esse videatur, quòd eosdem adeò otiosos facis, vel ad loquendum, vel ad spatiandum: quasi nō vnus ad curam ægrotorum accersitus esset, alter in patriam properaret, tertius ob publica negotia sibi iniuncta iter faceret. quod præterea post duas sanè prolixas disputationes te conuiuatorem, postquā conuiuæ tibi gratias egerant, facis apud eos iam abire volentes esse loquacissimū. quæ tua fabulatio ad mille amplius versus in tuo libro extenditur, neque te excusat quod scribis. LIB. POG. Et certe is mihi animus semper fuit, vt aliquid contra suam sentētiam scriberem. sed variæ occupationes fuerunt hactenus impedimento. Nunc quoniam & otium est nobis, & Benedictus postulat, Carolus verò in me hanc prouinciam reiicit, parebo voluntati vestræ: afferens primum ea, quibus arbitror causam meā facile omnibus probaturum. deinde ad Leonardi epistolam respōdebo. L. An te Benedictus & Carolus ad hoc sint adhortati, veritas viderit. certe tu conuiuator post tot sermones, & ea hora, & apud proficisci volentes breuissimus, non verbosissimus esse debuisti: quod postremo, & id nescio an sit omniū maxime indecorū, quos feceras in principio libri voluisse abire abs te, eosdem in calce libri facis nō abiisse, sed tecum portam egressos ad

Pogium non seruare in rebus ac personis decorem.

fluuium diuertiſſe deambulatum: oblitos domum reuerti, opinor, vt poſtquam ad flumen deambulaſſetis, iterũ diſputaretis: quoniam ſatis diei ad confabulandum ſupererat. Vtrum horum quæſo Guarine maius ſentis eſſe peccatum, quòd fidem Pogius, an quòd decorem nõ eſt ſectatus? G. Diuerſa ſunt iſta peccata, ideóque non facile dixerim, vtrum vtri præſtet. L. At id, quod ſubiiciam, lõge grauius vtroque iudicabis. PO. Aliquid friuolũ, vt hactenus feciſti, obiicies. L. Guarini ſtabo ſententia, imò etiã tua ipſius. PO. Stabis mea ſentẽtia? L. Stabo equidẽ: ſed cordis dico, quæ vera eſt ſententia, non oris. PO. Et quomodo ſcies, an quod ſentio, pronuntiem? L. Si pro me pronuntiaueris. PO. Iã nolo ſtes mea ſententia. L. Tua iam culpa ſit, ſi tuo iudicio nõ ſtabo. PO. Omitte loqui friuola, & ad rem redi. L. Nónne in tuo libro, etſi abs te poſtmodum ſcripto, te ipſum inducis loquẽtem, vt verba, quæ modo recitaui, teſtantur? PO. Induco me loquentem, aut potius locutus ſum vere, quæ ſcripſi. L. Loqueris tu in vno libro, vt vnus quilibet aliorum collocutorũ? PO. Loquor: quid iſtuc? L. Quia poſtea facis te ſcribentem. PO. An non ea, vt modo dicebam, ſcripſi verba, quum retuli in libellũ? L. Non iſtud ego dico, ſed inter conuiuas ſcribentẽ. PO. Ego inter conuiuas ſcripſi, inquis? deliras, vt video: quippe qui nunc fatebare, librum à me poſtea ſcriptum. L. Iſtud ipſum miror, quòd quũ librum poſtea ſcripſeris, hoc eſt, inter conuiuas locutus ſis, nõ ſcripſeris: tamen te inter eos ſcribere magis, quàm loqui ſignifices. PO. Neſcio quid dicas, niſi deliramenta. L. Scies, ſi auſcultabis. nónne in his verbis, quæ paulo ante recitaui, dicis inter conuiuas? LIB. POG. Is mihi animus ſemper fuit, vt aliquid contra ſuã ſententiã ſcriberem. L. Et mox. LIB. POG. Nũc quoniam & otium eſt nobis. L. Nempe otium reſcribendi.

PO. Nónne dicebam probe, te nihil dicere, ſed delirare? Dixi tunc eſſe otium, non mihi ſoli, ſed omnibus. ergo otium illud erat loquẽdi, non ſcribẽdi, vt tu prauiſſime interpretaris. L. Qua ratione tu iſtuc dicis? Nónne illud, quod ſequitur, te de te ipſo ſentire conuincit? LIB. POG. Sed variæ occupationes fuere hactenus impedimẽto. L. Cuius iſtæ fuere occupationes? certe tuæ. & cui fuere impedimento? certe tibi. & cuius rei impedimento? certe ſcribendi, non loquendi. ergo iſtud otium eſt interpretandum, non loquendi, ſed ſcribendi. PO. Nunc magis deliras, qui contendas: melius te intelligere ſenſa orationis meæ, quàm ipſe, qui loquor, intelligam. L. Accipe in quo tergiuerſaris, è quo elabi non poteris. Scribis nõ multo ante finem tuæ diſputationis

per orationem hoc idem apertius. legamus tuum librum. LIB. POG. Quanquam cui hæc quæ à me relata sunt, non sufficiã, nescio quid satis esse aliud queat. ita multis testibus probatum est priscos Romanos omnes Latine fuisse locutos, & Latinum sermonem maternum fuisse. quibus licet Leoanardi epistolæ satis responsum sit, tamen paucis ad quasdam eius sentẽtias rescribã, quæ, pace sua dixerim, nimiũ à vero aberrare videntur. L. Deinde confutare niteris Leonardi rationes certe loquẽdo, nõ scribendo. Cur ergo te scripturum atque ei rescripturum dixisti, etsi nõ ad te ille, sed ad Flauiũ Forliuiensem scripserat? PO. Respõdebo, Me credidi scribere, sed lapsa est manus, vt solet. L. Quid in illo, quod est apertius, vitio, num manum excusabis? In fine enim disputationis audi quæ scripsisti. LIB. POG. Multis insuper verbis suam sentẽtiam nititur tueri, quæ facillime dilui possent. Sed nos superius adeò multis authoribus exemplísque hãc causam tutati sumus, vt nullum quantumuis proteruum, qui ea legerit, nõ existimem tantorũ virorum authoritati sententiǽque cessurum. Quæ cum à me dicta essent, Ego, inquit Carolus, tecũ sensi semper: & qui secus opinãtur, non recte, meo iudicio, existimant. L. Quũ loqueris Pogi, ais, qui ista legent. ergo scribere te significas, non loqui. Esto verum fuerit illud conuiuium Pogi, sint inter vos habitæ illæ disputationes, sis tu hac oratione vsus, finge tibi aliquem illorũ admirabũdum dicere, Quid ais Pogi? quæ sunt ista, quæ legenda dicis? si scripsisti, cur ais te scripturũ? quin illa profers? Si non scripsisti, cur ais? Qui ista legẽt? Nemo enim dicit, Qui ista legẽt, nisi de rebus scriptis, quasi nõ scripsisses. Cur igitur ista inter se diuersa dixisti? nẽpe quòd, vt fert mea opinio, de hac ipsa materia prius sine vlla fictione Dialogi, cõposueras, in qua verba ista inerant, scriberẽ, rescribã, legent. quæ quũ per Dialogum disputare iucundius existimasti, immutare oblitus es. siue quia personã tuã ad loquendum cum cæteris introduxeras: neque id colloquiũ vnquam extiterat, excidit tibi: te sub persona collocutoris ista disputare, & iã habita abs te verba scribere, sed tũc primũ promere quod sentires, in persona authoris scribentem opinatus es: maiore vitio quàm illa, quæ superius annotaui, nisi aliter Guarine sentias. G. Equidem aliter nõ sentio. Cui simile quiddam admisit vir eximius, & in iure põtificio interpretando, vt aiunt, nulli secundus Franciscus Zabarella in libris de summo bono. in quibus quũ quosdã loquentes inducat, quorum vnus est ipse author: tamen facit se aliquando dicẽtem collocutori, quemadmodum in primo aut in secũdo libro

Qui ista legẽt de sermone.

probaui:quasi eis colloquentibus libri per sese scriberētur, vt lebetes Vulcani,qui sua sponte in certamen prodierūt: aut fistulæ illæ deorum,quæ per se ipsæ canebant,vt poetæ narrant.Id docti non faciūt, sed,aut quemadmodum heri probauimus,aut quēadmodū hodie à Crasso dicebatur,aut aliquid huiuscemodi. etsi magnus quidam ecclesiasticus in hoc incidit, cuius nomē satius est subticere. L.Istud,quod tu ais Guarine,nesciomaius,an Pogianum hoc vitium sit,simile illi,de quo Cicero ait in Bruto de Curione, Magna hæc immemoris ingenii signa, sed nihil turpius,quàm quòd etiā in scriptis obliuiscebatur.quod paulo ante posuisset,vt in eo libro, vbi se exeuntem è senatu, & cum Pansa nostro & cum Curione filio colloquentem facit,Quū senatum Cæsar consul habuisset,omnísque ille sermo ductus è percontatione filii, quid in senatu esset actum. In quo quū multis verbis inueheretur in Cæsarem Curio, disputatióque esset inter eos, vt est consuetudo dialogorum,quum sermo esset institutus:senatu misso, quem senatum Cæsar Consul habuisset, reprehendit eas res,quas idem Cæsar anno post, & deinceps reliquis annis administrauisset in Gallia. Tum Brutus admirans, Tantámne fuisse obliuionem, inquit, in scripto præsertim, vt né legens quidem vnquam senserit,quātum flagitii commisisset? Quid autem inquam Brute stultius,quàm si ea vituperare volebat, quæ vituperauit: nō eo tempore instituere sermonem, quum illarum rerū tempora iam præteriissent? Sed ita totus errat, vt in eodem sermone dicat in senatum se Cæsare consule non accedere, sed id dicat ipso cōsule exiens è senatu.ista de te Pogi puta Ciceronem dicere,qui non minus illo Curionis flagitiū admisisti. PO.Dūmodo me parem Curioni facias,id non laboro, de quo in eodē idem Cicero loco ita inquit, Orator autē proximus optimis numerabatur, propter verborum bonitatem, & expeditam & profluētem quodammodo celeritatem. Itaque eius orationes aspiciendas cēseo.Fuerint itaque optimi oratoresLeonardus & Guarinus,ego autem eis proximus,hoc est tertius orator. L. Quid ego? PO.Non nisi tres primi nominantur.vnde Virgilius, -tres præmia primi Accipient. L.Ex tuis verbis redeo in memoriā facti Hannibalis,qui à Scipione interrogatus,quem maximum imperatorem iudicaret? respondit,Alexandrum. quem secūdū? respondit, Pyrrhum. quem tertium? respondit,se. Itaque facile patior te in tertio loco teipsum ponere, me in nullo. quoniam isto facto te Hānibalem,me Scipionem esse significas. PO.Ego istuc non cogitabam.sed cur non potius quàm de his nugis, ali-

qua disputas contra rationes meas de lingua Latina, fueritne eadem literatorum & illiteratorũ? quibus si nihil habes, quod opponas, quid ita superius calũniabaris, nihil esse, quod in eo libro, vt meum, posses reprehendere? L. Noli tãtopere tibi placere ob illam disputationem, tanquam hominibus persuaseris: nullam fuisse inter literatos illiteratósque verborũ differentiam. De quo quid mihi dubium faciat, promam, vbi duo quædam tua errata paucis, sed non parua notauero. Primũ est, vbi Aristotelem male videris accipere. ita enim scribis. LIB. POG. Anglici etiam post decimum diem, quoties in eum, qui se pauit, inciderint, gratias pro suscepto prandio agunt, ne immemores honoris impẽsi videantur. Id quoque mecum sentire arbitror, sententiam videlicet Aristotelis tibi notam, qui honorem inquit esse honorãtis. Apud illum igitur, penes quem honor remanet, necesse est & gratiam residere. Ergo & conuiuii magistro gratia mihi videtur habenda.

L. Aristoteles non sentit honorem aut esse honorantis, aut non esse honorati: cuius hæc verba sunt, Δοκεῖ γὰρ ἐν τοῖς τιμῶσι μᾶλλον εἶναι, ἢ ἐν τῷ τιμωμένῳ· τ᾽ἀγαθὸν δὲ οἰκεῖόν τι, καὶ δυσαφαίρετον εἶναι μαντευόμεθα. Quod sic potest interpretari, Videtur honor in honorantibus potius esse, quàm in eo qui honoratur: hoc est, videtur esse in potestate dantis, non autem accipientis, ideóque non esse illud excellens bonum, & quod ipse appellat δυσαφαίρετον, id est quod difficulter eripi possit: quale bonum est virtus, quæ in nostra ipsorum, non in alterius, est manu. PO. Atqui ita vulgo accipiunt, honorẽ nõ esse honorati, sed honorantis. L. At vulgus non sanè probatus est bene sentiendi magister. POG. Ita omnes fermè accipiunt hac tempestate philosophantes. L. At nõ peritiores. sed quid oportet te Latinos sequi in authore Græco, homo, si tibi credimus, interpres Græcorum librorum optimus? Verum vbi est acumen tuum? vbi tam diuturnæ ætatis experientia? vbi notitia illa, quam tibi vendicas, antiquitatis? Nunquid cum statuas, triumphos, cæteráque veterum monumenta cernis, ea magnis honorifica esse illis existimas, qui hunc honorem habuerunt, quàm iis quibus hic honor habitus est, nedum nullum honorati, omnem autem esse honorãtis? Equidem non video, cur honoratum queamus illum appellare, ad quem honor ipse non peruenit. An illi qui à regibus, principibus, ducibus aliqua accipiũt insignia, aut vtcũque honestãtur, nõ honore afficiuntur, sed ipsos duces, principes, reges honore afficiunt? Hoc pacto non honorati forent appellãdi, sed honorãtes. Quod si dedecus, ignominia, cõtumelia, iniuria, eius est, cui fit, cur non

Locus Aristotelis de honore.

etiã honor,hoc eſt decus,gloria,laus? G.Quid multis Laurenti diſputas,quaſi de iſto ſit tibi controuerſia, & non de Ariſtotelis ſententia? eam certũ eſt tecũ facere.perge ad alias,ſi quas habes.

L.Vnum ſupereſt,quod hic ita ſcribit. LIB. POG. Mercurius inter medicinæ artis repertores perhibetur, qui ob eam rem relati ſunt inter deos. Mercurius verò etiam inter planetas annumeratus.AEſculapius eius filius honorem immortaliũ medendi exercitio adeptus eſt.tanta inter priſcos gloria ac nominis fama, vt coram Ioue à diis ſit inferis accuſatus, quòd eorum imperiũ diminueret. L.Sine quæſo Guarine pauliſper interrogare Pogium,præter rem,cuius gratia recitaui hæc verba.Quæro abs te Pogi,nunquid honor, quo homines AEſculapiũ proſecuti ſunt, hominum ſit ipſorũ,an AEſculapii? PO.Perge quo inſtitueras.

L.Certe AEſculapii,non hominum: nec alia ratio eſt diuinorũ honorum,quàm humanorum. Quare poſthac caue dixeris honorem non eſſe honorati,ſed honorãtis: nec iniuriam etiam dicas eſſe inferentis,non patiẽtis. Verum vt ad rem redeam,à quo nam accepiſti Pogi Mercurium fuiſſe medicinæ repertorem,eũdémque AEſculapii patrem? PO.Quis id negat? L.Nemo negat,quia nemo id dixerat.poetæ enim ſcriptoréſque teſtantur omnes Apollinem fuiſſe AEſculapii patrem,ac medicinæ repertorem. PO.Deum pro Deo poſui.Apollinem cũ deberem,ſcripſi Mercurium. L.At quomodo inter planetas Apollo numerabitur? PO. Iſta culpa eſt Nicolai medici,cui ſermonem attribui. Nõ enim præſtare ſcriptor debet omnes, quæ à collocutoribus afferuntur,rationes. L.Tu ſi iſtam nõ probaſſes ſententiam,per aduerſarium medici Iuriſconſultum improbaſſes.Et tamen ſtolidiſſimum eſt, diſputantes introducere viros graues ac doctos, qui leuiter & imperite loquantur. PO.Iſta dicta ſunt à me in aliena perſona.Inſpice quæ dicta ſunt in mea ipſius. L.Tu prohibebas dudum me excutere bonitatem ſententiarum. nunc ecõtrario facere iubes. PO. Vetabam dudum te facere id,quod facis: excutere bonitatem ſentẽtiarum ſub aliena perſona dictarũ. Nunc meas ipſius excutias velim: non magis id facturus,quàm ſi ex Adamante coneris ſtylo imaginem ſculpere. L.Equidem an iſtuc efficere poſſim,haud ſcio.id certe ſcio:tecum ipſo te diſcrepare. PO.Quid ita? L.Quoniam quæ inter ſe diſcrepant ſcribis.En legamus. LIB. POG.Sentio enim de hac re viros doctiſſimos diſſentire. Leonardus Aretinus epiſtola, quam ſcripſit ad Flauium Forliuienſem probare nititur:non fuiſſe eam linguam omnibus communem, ſed aliam popularem, aliam eruditorũ

Iniuria Mercuri⁹ neq; medicinæ repertor,neq; pater AEſculapii. AEſculapius.

virorũ extitiſſe locutionem. Qua in ſententia fuit vir clariſſimus Antonius Luſcus,qui aiebat ſe adduci non poſſe vt crederet cerdones, ſutores, coquos, ac reliquã vulgi fæcem Latino ſermone vſam. L.Legamus alia quoq; deinceps loca. LIB.POG. Hîc ego,inquam,fateor Carole me cum antea cum Leonardo Antonióque ſæpius diſceptaſſe, tum poſt illam Leonardi epiſtolam plura ex variis collegiſſe ſcriptoribus, quibus facile probatur, illos non recta ſenſiſſe. Leonardum quippe memini dixiſſe mihi, eam ſe conſcripſiſſe epiſtolam, quo me alliceret ad reſpõdendũ. etſi certe mihi ſemper animus fuit, vt aliquid contra ſuam ſententiam ſcriberem. L.Atque iterum hîc. LIB.POG. Sed non tam ad oſtẽdendam ſuam opinionem, quàm ad meam cognoſcendam, vt ab eo accepi, arbitror ab eo epiſtolam illam fuiſſe conſcriptã.Nam leuibus admodũ argumentis oſtendere nititur: alium vulgarem, aliũ literatũ,vt ſuis vtar verbis, ſermonẽ extitiſſe. L. Et ad extremum. LIB.POG.Multis inſuper verbis ſuã ſententiam nititur tueri,quæ facillime dilui poſſent. L. In his, quæ ſcripſiſti Pogi,quæro,quomodo tecum conſtes.Cum enim dicas ter,Leonardũ probare ſententiam ſuã eſſe nixũ,eũdémque tecum ſæpius diſceptaſſe, quî fieri poteſt vt idẽ tibi dixerit ſe illã epiſtolam conſcripſiſſe tui alliciendi ad reſpondendũ gratia, nec ad oſtendendũ opinionẽ ſuã,ſed ad cognoſcendã tuam? In quo mecũ agnoſce quot inſint cõtraria. Vnum,quòd,qui nõ ſolum frequenti diſputatione cum diſſentiẽtibus,quorũ,tu vnus fuiſti, egit,ſed etiã ſcriptis, ídque multis verbis multíſque argumentis probare nititur ſententiã ſuam:is profecto non aduerſarii elicere vult opinionẽ,ſed ſuã oſtẽdere.At ſunt leuia illa argumẽta.Eſto tamẽ pro grauibus ille,nõ pro leuibus ſcripſit.Neque quiſquam adeò ſtultus eſſet, vt leuiora promeret argumenta aduerſus hoſtes,nec grauibus vnquã vteretur.Alterũ,quòd nemo ſcribit epiſtolã, quãtumuis etiã leuibus argumentis nixã,ad cognoſcendã eius opinionẽ, quocũ ſæpius diſputaſſet (inter diſputandũ enim cognoſcit eius opinionẽ) præſertim cũ nõ ad hũc, ſed ad alium ſcribat,à quo eſſet literis prouocatus. Tertiũ,quod ſi ille dixit,vt meminiſti,&,quẽadmodũ iterum ais,ab eo accepiſti:ab ipſo epiſtolam ad Flauiũ fuiſſe cõſcriptã,ob eã,quã dixiſti,cauſam,certe non diceres te arbitrari. Ea enim,quæ videmus,audimus,aliquo ſenſu percipimus, non opinamur ſiue arbitramur, ſed ſcimus. Quòd ſi illũ fuiſſe Leonardi ſuſpicaris animũ, profecto tibi nũquã hæc ab eo ſunt dicta,ſed ad tuã vtilitatẽ tuo more præſertim de mortuo iſta finxiſti. PO. Imò tu fictor es, qui poetari ſoles.

Pugnãtia inter ſe ſcribere Pogium.

Arbitrari. Opinari. Scire.

An quōdam idē fuerit sermo doctorū & vulgi.

Ego de Leonardo vera ſcripſi. L.Ergo de te non vera,quòd ab illo arbitratus es ob id illā epiſtolam fuiſſe conſcriptā. PO.Nō arbitratus ſum:ſed ſcio,quia ab ipſo audiui. G.Verum loquitur Pogius.perge Laurenti. PO.Dic quid ſentias de opinione mea, quòd priſci Romani Latine loquebantur omnes. L.Quis iſtuc negabat? PO.Leonardus ipſe.nónne legiſti? L. Non animaduerti. PO.Hui tardus es,atque hebes,& nihil,niſi ad carpendum acutus. L.Ne ad carpendum quidem ſatis acutus ſum.nā multa,opinor,quæ carpi poſſent,non animaduerti. Sed legamus iterum. LIB.POG.Probare nititur non fuiſſe eam linguā omnibus cōmunem: ſed aliam popularem, aliam eruditorum fuiſſe locutionem. L.Et iterum. LIB.POG. Nam leuibus argumētis oſtendere alium vulgarem, alium literatum, vt ſuis vtar verbis,ſermonem extitiſſe. L. En,non negat Latinum ſermonem fuiſſe vulgarem atque popularem. POG. O tardiſſimo ingenio virum . cum negat linguam eruditorum fuiſſe eandem popularem, nónne negat vulgus Latine locutum fuiſſe, cum eruditi Latine loquerentur? L.Nōdum iſtuc video. PO.En tibi mea ocularia. L.His,qui bene vident, non eſt iſtis opus. Quod autē hæc non video,non mea eſt culpa,ſed tua,qui rem non promis.

PO.Non eſt opus promi,quæ prompta ſunt. L.Imò in promptuario condita. PO. Quid ais? Nónne eſt alius nunc vulgaris ſermo,alius Latinus? L. Nunquid Leonardus ſentit: ita vulgus olim Romæ locutum,vt nunc loquitur? PO.Non ita quidem, ſed multo melius:veruntamen aliter,quàm literati & eruditi.

L.Nunquid igitur non Latine? PO.Sanè verò.cum enim cōfiteatur alium eſſe ſermonem literarū,alium vulgarem, neceſſe eſt confiteatur, vt nunc Romani nō loquuntur Latine, ita olim vulgo nō fuiſſe Latine locutos. L. Quid? ergo Hebraice nunc Romani loquūtur? PO.Rides me.non iſtud dico,ſed vulgariter.

L.An non etiam olim fuit ſermo vulgaris,vt Leonardus ait?

PO. Iſtud eſt, in quo ipſe aduerſor Leonardo. L. Imò & tibi.

PO.Quā ob rē? L.Quia iſta tu affers Quintiliani verba.legam⁹.

LIB.POG.In duodecimo verò,cū ſcribit de genere dicendi, ait, Nā aliā mihi quandā videtur habere naturā ſermo vulgaris,aliā viri eloquētis oratio,cui ſi res modo indicare ſatis eſſet,nihil vltra verborū proprietatē elaboraret. His verbis cōſtat eūdē fuiſſe ſermonē hominis vulgaris,& eloquētis,quo ad verborū proprietatē,elocutione differre atque ornatu. L.En quod Leonardus aiebat aliū vulgarē, aliū eruditum eſſe ſermonē, quod pernegabas.

PO.Aliter iſthic accipitur vulgaris,atque Leonardus intelligit.

L.Iſtud neſcio.Tu tamen videris loqui contraria,dum negas, aiſque, quendam vulgarem fuiſſe ſermonem. Leonardus ſentit, de ſermone vulgari priſcorum,qualis nũc Romæ eſt vulgo loquentiũ,etſi non adeò,vt nunc,deprauato: qui certe ſermo Latinus non eſt,ſed vulgaris. tu vulgarẽ alicuius gentis appellas ſermonem.Afferam tua iterum cõtra te ſcripta. LIB. POG. Nẽpe opinor illam,qua Latini populi vtebãtur,& ab eis ortam:illáque eos fuiſſe vſos, qui dicebantur Latini, à quibus & nomen ſortita eſt: quã & Romanis,quũ Latini eſſent,& in Latio ſiti,in vſu fuiſſe communi neceſſe eſt. Nam ſicut linguam dicimus Gallicam, Hiſpanam,Germanam,Italã: qua Galli,Hiſpani,Germani, Itali loquuntur: itémque de Græca & reliquis,eodem modo: & Latinam linguam eam fuiſſe oportet, quæ in cõmuni erat vſu apud Latinos. L. Si Romani Latini ſunt, & à gente nominatur lingua:non ergo lingua Romanorum alia nunc eſt,quàm Latina, ſicut & olim fuit, quemadmodum ab omibus aliis nationibus appellatur.Siquidem Italica lingua,quæ olim diuerſa ac multiplex fuit,& mox propter Romanas Colonias,ac Romanorũ cõſuetudinem in linguam Romanam conceſſit,id eſt Latinam,ab exteris gentibus,non niſi Latina nominatur. Itaque non modo quondam loquebantur, verũetiam nunc vulgo Latine Romani loquuntur.Vides vt tibi conceditur, quod tu tantopere probare contendis,olim Romanos fuiſſe locutos Latine? PO.Non iſto modo, vt ex meis verbis licet cognoſcere, accipiebã Latine,ſed grãmatice.ac ne Leonardus quidẽ.Lege mea verba. L.P.Quæro à vobis,quã linguã appelletis Latinam: eam,quã grammaticam vocamus,& à quibus ortũ habuiſſe putetis?Nempe opinor illã, qua Latini vtebantur,& ab eis ortam. L.Et iterũ. L.P.Diutina me dubitatio tenuit, vtrũ priſcis Romanis Latina lingua, quam grãmaticã vocamus,fuerit omniũ cõmunis: an alia quædã eſſet doctorum virorum,alia plebis & vulgi oratio.id eſt, vt apertius loquar,vtrum docti pariter & indocti ab ipſa vſque infantia Latino veluti materno domeſticóque ſermone loquerentur: an eſſet alius quiſpiam doctorum hominũ,prout nobis contingit,ab vſu vulgari diuerſus.Sentio enim hac de re viros doctiſſimos diſſentire. PO.Ecce,quem voco Latinũ,hoc eſt grammaticũ.nihil enim intereſſe volo,grammaticũ dixerim an Latinũ. L.Te miror Pogi,qui paſſim tibi ipſe repugnas. PO.Quid ita? L.Legamus tua,quæ non longe ſequuntur,verba,vbi Quintilianum afferst eſtem. LIB. POG.Idem in primo ſui operis libro, quũ de grammatica diſputat, Quid,inquit,de aliis dicam? quũ ſenatus

ſenatus ſenatui,an ſenatus ſenati ſenato faciat incertũ ſit?Quare mihi non venuſte dici videtur, aliud eſſe Latine,aliud grãmatice loqui. Quibus conſtat verbis omnes Latine,ſed nõ omnes grãmatice loqui ſolitos,quũ Latinam linguã omnibus tribuat: grãmaticam,hoc eſt loquẽdi doctrinã,literarũ peritis. Latine igitur omnes,ſed emendatius docti loquebãtur, à quibus ſenatũ quartæ declinationis dici affirmat,ab indoctis ſecũdæ.Docti enim ratione iudicabant, quod alii vſu aſſequebantur, nulla ſuorũ verborum ratione habita. 1.Ais linguam Latinam eandem quam grammaticã eſſe.dehinc affers Quintilianũ dicentẽ aliud Latine eſſe,aliud grammatice loqui.Quid aliud vult Leonardus,quàm omnes Romanos fuiſſe Latine locutos,ſed non grammatice?Vides vt tu cauſam aduerſarii agis,& tuam euertis?Sed ego te Pogi ſubleuare volo,atque oſtendere,nihil ad hanc rem verba Quintiliani agere. Nam ea tu nõ recte accipis,qui ais, eũ velle emendatius dici grãmatice & doctius,quàm Latine.Hoc ille nõ ſentit: ſed melius eſſe Latine,quàm grammatice loqui: hoc eſt,ex conſuetudine peritorũ, q̃ ex artis analogia: quũ tota ſit illa Quintiliani diſputatio de laude cõſuetudinis loquendi aduerſus analogiã,de quarũ vtraque ita ait, Cõſuetudo verò certiſſima loquẽdi magiſtra. vtendúmque planè ſermone, vt nummo, cui publica forma eſt.Deinde,Sed meminerimus non per omnia duci analogiæ poſſe rationẽ, quũ ſibi ipſa plurimis in locis repugnet. Et paulo poſt,Non enim,quũ primũ fingerentur homines,analogia demiſſa cælo formã loquendi dedit,ſed inuenta eſt,poſtquã loquebantur,& notatum in ſermone,quid quoquo modo caderet.Itaque non ratione nititur,ſed exemplo: nec lex eſt loquẽdi, ſed obſeruatio: vt ipſam analogiam nulla res alia fecerit, quàm conſuetudo.Inhærent tamen quidã moleſtiſſima diligentiæ peruerſitate,vt audaciter potius dicant,quàm audacter: licet omnes oratores aliud ſequantur:& emicauit,non emicuit: & conire,nõ coire. Et quũ multa in hanc ſententiam diſputaſſet,ad extremũ intulit,Quare mihi nõ inuenuſte dici videtur, aliud eſſe Latine, aliud grammatice loqui. Vides,vt Latine loqui eſt oratorum & eruditorum, & plus etiam,quàm grammatice ? Ideóque Latine loqui, inter virtutes Rhetoricæ ponitur, vt grammatica ſit locutionis,Latinitas elocutionis.Hæc eſt inter grammatice ac Latine loqui differentia,nõ quam tu cõſtituis, & quantũuis falſa ratione conaris probare,inquiens,Senatum quartæ dici à doctis,ſecũdæ ab indoctis . Nam neque iſtud, vt tu ais, Quintilianus affirmat,ſed plane negat,neque vllo exemplo confirmari poteſt. An

Latine,& Grammatice loqui.

Cicero indoctus est,qui quum alibi, tum verò in Philippicis ait, Nō semper habebitis eundem senatū,nec senati ducem: qualia exempla sunt plurima, vt ista vera sint tu propositum meū tueris,nō alium fuisse Latinum, alium grammaticum sermonem, de quo à me disputatio fuit instituta.nam qui Latine,iidē grammatice loquebātur.Quomodo tu isthuc dicis,vt sermo Latinus, qui grammatico præstat,esset omniū communis,nec plebis modo,& vulgi mulierúmque,verumetiam puerorum atque infantium? O rem miram Pogi, infantes eā habuisse facultatem, quā Cicero sæpenumero in quibusdam oratoribus desyderat,in nōnullis prædicat. Si omnes Latinū sermonem à matribus nutricibúsve discebāt: ergo omnes norant,quemadmodum nunc in omnibus ciuitatibus fieri videmus de sermone vernaculo: quæ res nulli hominum inter conciues vnquam laudi data est. Sin verò laudanda, quia labore, studio, industria comparatur: ergo non à parētibus aut nutricibus tradebatur. PO.An non ego dixi omnes Romanos Latine locutos, sed emendatius doctos?

L.Cur dicas emendatius,non video. Alius alio ornatius,sublimius, eloquentius,fateor: sed non Latinius, si omnium Romanorum sic erat communis lingua Latina, vt nunc est ciuitatum sua cuiusque vernacula, vt Florentina, vt Neapolitanorū Neapolitana, vt Venetorum Veneta. Quoniam nunquam animaduerti Romanum Romane, aut Florentinum Florentine, aut Neapolitanum Neapolitane, aut Venetum Venete alium alio magis loquentem. Vnus est modus, atque vnum genus, & vna veluti in suo cuiusque ciuitatis numismate,figura dicendi.Quod si non loquebantur prisci Romani alius alio Latinius:ergo nihil est quod dicis, emendatius locutos doctos. Quanquam non vides,quū dicis doctos, fateri te doctrinam fuisse: quæ superuacua fuisset,si linguam Latinam infantes sine doctore didicissent.

PO.Quasi nō fuerim cōfessus à Quintiliano tribui literarū peritis,loquēdi doctrinā,hoc est grāmaticā. L.Istud Quintilianus nec dicit,nec sentit. PO.Ergo si grāmatica nō magis peritorum doctorúmque est,q̄ imperitorū & indoctorū:sequitur id quod à principio proposuerā, grāmaticā fuisse etiā vulgi infantiúmque sermonē. L.Non id dixi equidē:sed Quintilianū nō id sentire, vt doctorū sit grāmatice loqui magis quàm Latine. PO.Igitur quod volebā,doctorū sit pariter & indoctorū apud priscos Latine ac grāmatice loqui. L. Idem Pogi,modo ais,modo negas: nūc grammaticā esse doctorum & peritorum tātummodo,nūc etiam imperitorū atque infantiū. Sed quî fieri putas potuisse,vt

infantes grammatice loquerentur? Nempe quòd illam à matribus, vt inquis, nutricibúsque discebant. idque duabus te rationibus probasse confidis. Vna, quòd scribis. LIB. POG. Quũ ab ipsa infantia barbarorũ filii cum materno lacte vernaculam linguã discant, quãuis hiulcam, rudẽ, asperã, barbaram, absonã prolatu, quæ nobis viris esset admodũ scitu difficilis. L. O te præter cæteros homines ridiculum Pogi. Cui non aliena lingua difficilis, absona, atque adeò barbara? Nũquid putas minus absurdam videri Germanis Italicam, quàm nobis videatur illorum? aut non ita laborant Teuthones in percipienda nostra, vt nos in ipsorũ? Equidẽ nescio an aliquem Germanum audierim recte loquentẽ Italice, quãuis in Italia totã penè egisset ætatem: quod facerent, si nostra, quàm illorum esset scitu facilior. Quotusquisque est, aut Græcus qui Latina, aut Latinus qui Græca recte pronuntiet? Audiui adolescens à quibusdam, qui se audisse dicerent, quũ iter ad Alpes facerent, quendam sociorum suorum admiratum, quòd pueri illi Teuthonice loquerentur, dura, rigida, & minime apta pueris lingua: quasi deberẽt omnes infantes statim Italice loqui, lingua, si tibi credimus, suaui, dulci, & accommodata infantibus veluti lacte. Cur ita? nempe quia Itali sic loquebantur. Nõ alium opinor fuisse, quàm te Pogi, qui miraris, tanquam rem arduam, & discendæ grammaticæ similem, pueros discere barbaram aliquam linguam. Altera quòd scribis, multos te nouisse in Curia Romana, qui solo vsu grammatice loquendi, grammatici euasissent. Ego certe & natus & alitus Romæ, atque in Romana (vt vocant) Curia, qui cõgrue loqueretur, cognoui neminẽ, nec hoc contingere posse existimo. An tu ignoras illã sacerdotis fabulã, qui famulum iubebat secũ loqui grãmatice: identidẽ eũ reprehendẽs, quòd nesciret dicere, Da mihi clauẽ. Vbi est clauis? iuberétque nũc clauis dicere, nunc clauem. Quo facto ille desperans, vicissim cœpit herũ indignabũdus reprehẽdere, his verbis, quæ in iocum vulgi emanauerũt, Modo clauis, modo clauem, nunquã vidi homo talẽ. & tu hæc facillima etiam pueris esse existimas? Quæ quãtopere facilia sint, vel tu (nã quid alia documẽta quærimus?) testimonio es, qui ista ætate, isto studio, ista perpetua grã matice loquẽdi atq; scribẽdi cõsuetudine, nõdũ tamẽ grãmatice aut loqueris, aut scribis. Quo minus tibi obsequar postulanti, ne quid de erroribus verborũ tuis in hoc opere loquar. Quod cum à me poscas, satis significas, te nõdũ satis grãmaticũ esse: hoc est, difficile admodũ, grãmatice loqui. De quibus tuis erroribus ad
Grammatica. extremũ agam. At tu grãmaticã adeò facilem facis, vt eã artem

esse negare videaris, ídque Quintiliani testimonio. Nam ita scribis, LIB. POG. Quod consilium superuacaneum esset, si lingua Latina tunc in scholis à præceptoribus tradita extitisset. L. Cur quæso Pogi semper à teipso dissentis? quæ est tua inconstantia? aut quæ tanta ingenii hebetudo? præceptores fuisse cõcedis, scholas non concedis. Quid est enim aliud schola, nisi vbi præceptor docet plures duntaxat? An non scholas non dico fuisse, sed etiam debere esse confirmat, ad quas pueri etiam infantésque mittantur, cuius secundus titulus est, Vtilius domi, an in scholis erudiantur? Quid ais Pogi, Grammatice statim pueri loquebãtur? nullæ scholæ erant? frustra igitur compositi erant tam scrupulosi libri de arte grammatica. frustra vocabantur præceptores. frustra ei doctrinæ dabatur opera, si vsu percipi poterat. frustra de ipsa Quintilianus idem inquit, Quæ nisi oratoris futuri fundamenta fideliter iecerit, quicquid superstruxeris corruet: necessaria pueris, iocunda senibus, dulcis secretorum comes: & quæ vel sola in omni studiorum genere plus habet operis, quàm ostentationis. Schola.

POG. Quasi verò ego non dixerim doctos ratione iudicasse, quod alii vsu assequebantur, nulla suorumverborum ratione habita. L. O ineptissimum hominem: quasi oporteat de ea re rationem reddere, quæ non ratione constabat, sed vsu. Quò mihi rationem istam, si satis est vsus? Quis de lingua Gallica, Hispanica, Germanica, Florentina, Neapolitana, Veneta, & item de reliquis rationem exigit, & non ipso vsu contentus est? An Quintiliani ex eodem libro verborum oblitus es, quæ paulo ante retuli? Itaque non ratione nititur, sed exemplo: nec lex est loquendi, sed obseruatio, vt ipsam analogiam nulla res alia fecerit, quàm consuetudo. Quum dico analogiam, quicquid penè rationis est in Grammatica, complector. Nam ita ait idẽ in eodem loco author, Sermo constat ratione, vetustate, authoritate, consuetudine. Rationem præstat præcipue analogia, nonnunquã etymologia. Vides vt vix reddi ratio possit grãmaticæ, quam tu vis totam constare ratione? POG. Tu verò pro mea causa loqueris, qui nõ artificium olim fuisse grammaticam, vt nunc est, sed vsum & consuetudinem volo, eóque pueris quoque, & infantibus scitu facilem. L. Istud Pogi tua fit culpa, non mea. POG. Cur ita?

L. Quia quum inter se contraria loquaris, ídque persæpe, non possum facere, quin etiam pro te dicam, vt mirum quiddam, & prima fronte ridiculum videatur esse, altercãtes inter se alterum pro altero dicere. Verum hoc inter me atque te interest, quòd ego etsi pro te, non tamen contra me dico: tu non magis contra

me, quàm contra te ipſum dicis. Verum Pogi nec aduerſum me, nec pro cauſa tua loquor. Nam hæc eſt, vt ad ipſum caput veniam, quæſtio tua: vtrũ priſcis Romanis Latina lingua, quam Grammaticam vocamus, fuerit omnium communis, etiam infantium. hoccine tu ſentis Pogi? POG. Quid ni ſentiam?

L. Ergo Grammatice fuiſſe locutos confiteris infantes?

POG. Sentio, & confiteor. L. Cur igitur ad præceptorem grammatices mittebantur, vt diſcerent linguæ, quam norant, rationes & cauſas? POG. Eodem reuolueris. vtinam ego recte grammatice loquerer, ne aliquid cauſarum ac rationum grammaticæ noſſem. Quanquam in hac tu re longe antecellis, qui nunquam de huius artis præceptis magnopere curaſti. Quid ais? aut ars grammatica eſt, & ab eruditis, non autem à nutricibus tradebatur: aut ars non eſt, quam omnes fatentur eſſe artem, vt tu vnus plus omnibus ſapere videare, & cæteros tanquam tardiſſimo ingenio damnare, qui artem fecerint id quod vſu & ſua ſponte percipi poterat. G. Noli reniti vlterius Pogi, ac cõtendere: grammatice omnes priſcos Romanos cuiuſcunque conditionis, ſexus, ætatis, locutos fuiſſe. POG. Si iſtuc concedendum eſt, illud certe concedat Laurentius oportet, omnes fuiſſe locutos Latine. L. Ego verò etiam hodie Romanos loqui Latine fateor. POG. At multum differenter à priſcis. L. Et iſtud quoque fateor, ſed abs te diſcere velim, quàm differenter olim vulgus ab oratorum ſermone loquebatur. POG. Quantum ad verba pertinet, nihil omnino. L. Iam in idem redimus. POG. Quamobrem? L. Quia ſermo oratorum ad Grammaticam compoſitus erat, vt omnes ſcriptores huius artis præceptoréſque teſtantur, & tu præter vllam artem eſſe vulgi ſermonem modo concedebas. POG. Dicam igitur non grammaticum vulgi fuiſſe infantiúmq; ſermonem, ſed tanquam grammaticum. L. Ad riſum me adigis. POG. Quare? L. Quia videris itidem loqui, atque illi, qui aiunt, deos non habere ſanguinem, ſed tanquam ſanguinem. Nam quis intelligat quid illud ſit, tanquam ſanguis, non tamen ſanguis? Ita te quis audiat dicentem, illos non grammatice, ſed tanquam grammatice locutos? POG. Dum ita loquor, id intelligo, ſermonem vulgi atque infantium parum abfuiſſe à ſermone oratorum, duntaxat in verborum proprietate. L. Hoc ipſum, quantum diſtantiæ erat, quæritur, & in controuerſia eſt. Si multum, recte ſenſit Leonardus: ſin parum, & propè nihil, tu viceris. Neque verò tua exempla palàm oſtendunt, nihil interfuiſſe inter eorum orationem, quorum ſcripta legimus: & eam,

Tãquam ſanguis.

qua pueri à nutricibus matribúsque imbuebantur. Nam illa, quæ ex Quintiliano repetisti, magis contra te facere probaui, cuius & illud testimonium vide an tecum faciat ex eodem libro. Id vel hoc argumento patet, quòd intra biennium, postquam recte formare verba potuerunt, quanuis nullo instante omnia ferè loquuntur. Non dico nunc, si fuisset eadem lingua indoctorum & doctorum, quid oportuisset pueros iam grammatice loquentes ad grammaticum mittere: sed quî fieri potest, vt quod nos tanto studio ac labore, instantibus præceptoribus, pædagogis, patribus, in assidua scholarum ac condiscipulorum consuetudine, intra tot annos nequimus assequi (loquor de grammatice fando) id illi infantes inter lusum, nullo instante, intra biennium, ex quo cœperant posse verba proloqui, assequerentur: ita, vt oratores ac poetas intelligerent, quos vix nos exacta pueritia intelligere possumus? Neque nos tardiori, quàm illi fuerunt, ingenio facias (quoniam quibusdam in artibus nequaquam illis cedimus) quales si non sumus, sed veteribus pares: vnde fit, vt vulgus (Romanum, atque adeò Italicum illiteratorum dico) non possit vllo pacto conseruare, imo consequi & imitari sonum literatarũ vocum etiã milies auditarum, & quotidie inculcatarũ, cuiusmodi sunt eæ quæ à sacerdotibus subinde repetũtur? Et, vt de Romanis, de quibus controuersia est, potissimum dicam, frequentissime audiunt legẽtes in via Appia, Domine quo vadis? at vulgus ait, Domina couata? de ara cæli: dicit, arocielo. de arcus nerue, arcanoe. sancti Petri ad vincula, sancto Petro mencolo. & alia infinita, adeò nullum literati soni verbum in ore vulgi est. Neq; aliter in cætera Italia Hispaniáq; & Gallia, quæ quandã habent cum nostra lingua cognationem. Neq; illud fuit abs te faciendum, vt exempla linguæ Hispanæ in testimonium afferres: quasi aut Italici pauciora vocabula habeãt grammaticis similia, aut non illi cuncta nomina numero plurali, s litera finiant. Quo nullum maius indicium est, gentem illã olim grãmatice locutam. Quæ natio, si quondã more literatorũ loquebatur: cur nec ipsa inflexionẽ illã casuũ, de qua Leonardus quærebat: nec participia quædã, atque gerundia, supináque: nec deriuãdi, nisi in paucis, vsum: nec alia plurima, quæ grammatica præcipit, custodiuit? Vnde articulos, quos lingua Latina non habet, asciuit, quemadmodum & Roma & Gallia & Italia? Sed hæc hactenus. Nolo enim in præsentiarum meam promere sententiam, quum non sit id mei propositi: sed, vt tuæ aduerser, ne tantopere tibi de isto opere placeas, ex quo tibi te immortalem fore promittis.

Nunc quo videatur id quod disputaui, verisimilius non fuisse facile factu, sed difficile sanè: loqui vulgus, vt oratores, solitum esse, tua in lingua Latina annotabo vitia, quæ in hoc opere admisisti, si idem iudici nostro arbitróque videatur. G. Ego verò, & quòd ita fecisti, probo: &, sicuti ais, reor esse faciendum. L. Et eo magis, quòd siqua sunt, alia (puto autem esse multa) quæ ad hãc rem pertineant, commodius abs te explicabuntur, si ea Pogio libebit audire. G. Sunt, vt inquis Laurẽti, alia, in quibus ista quæstio finiri potest, nec mihi ignota: quæ si Pogio, sicut ais, libebit audire, explicabo. POG. Libebit nimirum mihi audire, si contra me non sis locuturus. G. Cõtra te velim ego loqui? sum iudex: istæ Laurentii, qui aduersarius est, sunt partes. meæ sunt, non contra quempiam, imo nec pro quopiã loqui, nisi pro veritate, contráque mẽdacium. POG. Iam mihi libet audire. L. Mihi quoque, sed vbi paucula in te non Latine posita verba notauero: Latine dico, vt docti loquebantur, non vt indocti, aut quomodo nunc seculum nostrum Latine loquitur: quod potius dicẽdum est loqui semilatine ac semibarbare: scripsisti enim primum,

Natale solũ. Patria. LIB. POG. Natalem patriã. L. Pro natale solũ. Idẽ enim pollet vnũ nomen, patria: quod duo, natale solũ. Ex quo superuacuum est, natalem. item, LIB. POG. Conuiuii magister potius gratias conuiuis debeat qui venerint, quàm illi ei qui ad epulum vocarit. Et iterum, Horum quemuis non magis gratias debere arbitror conuiuii authori, quàm tibicines aut cytharistas, vel cantores ad epulum adhibitos voluptatis causa: qui nedum gratias pro cibis impensis agunt, sed præmium insuper suæ artis exposcunt. Atque iterum, Sicut ergo turpe ducimus non adhiberi ad epulũ aliorum, sic honestũ videtur accersiri. L. Cur dixisti modo conuiuii magister, modo author? nempe quia ignoras cõuiuatorem reperiri. quod reperias licet quum alibi, tum apud Liuium lib. 6. de bello Macedonico. Præterea epulum pro epulis ponis: quam differentiam aperirem, exemplísque comprobarem, nisi doctissimus vir adesset iudex noster. Nedum quoque non secundo loco posuisti, vt debebas, sed primo, quod sæpe aliàs reprehẽdi. sed illud nõ semilatinum, sed barbarum fuit, accersiri, vt dicimus audiri: quasi dicatur accersior, & non accersor. Posuisti item multoties pro frequenter. quælibet pro vnaquæque. vmbeculam pro vmbellam. sua pro eius. & eius pro sua. sibi pro ei. eũ pro se. abhorreo rẽ, pro abhorreo ab re. aliàs pro aliter, siue alioquin. subtus lectum, pro subter lectum. impartiti sunt studium suum in illis, pro impertierunt studium illis. quantũ pro quanto. quoad

(Margin notes: Conuiuator. Author conuiuii. Epulum. Nedum. Accersor. Multoties. Frequenter. Vmbella. Subtus. Impertior.)

pro quantum.applaudiſſe,pro applauſiſſe.etiam neceſſarius neutro genere, tanquam comparatiuum. Quod ſi fortè non credis, en legito. LIB.POG. Nil vtilius, nil neceſſarius nobis ad tuendam vitam corporiſque tutelam quàm domus. L. Hic quoque aliud ſe prodit vitium : quaſi dicatur ad tuendam corporis tutelam,aut certe,ſivis,ad corporis tutelam intelligi,quid intereſt inter ad tuendam vitam,& ad tutelam corporis? Neque tu locum quendam apud Ciceronis Officia dixeris huic eſſe ſimilem.Nam & diſſimilis ille eſt,& tu hoc vitium frequenter admittis,vt in vltimis verbis. LIB.POG.Aeris & animi gratia. L.Quod vixvllus poeta dixiſſet,quum præſertim differant aer, propter quem hauriendum. & animus, propter quem relaxandum prodibatis, huiuſmodi cauſæ inter ſe ita diſſimiles non ſolent coniungi ſub illo vocabulo gratia ſiue cauſa . quod genus loquendi frequenter captas.quale eſt, LIB.POG.Et qui ſecus opinantur,nõ recte meo iudicio exiſtimant. L. Ne diceres iterum opinãtur,quod etiam erat melius,dixiſti exiſtimant. Terſius ſic dixiſſes: & qui ſecus,ii, meo iudicio, non rectè opinantur. Eiuſdem vel affectationis vel negligentiæ eſt, quod ais, LIB.POG. Sententiam Ariſtotelis tecum ſentire. L.Quaſi ſentẽtia ſentiat, quod nemo vnquam dixit.Ego verò ne ſenſa quidem verborum dixerim,vt tu facis,qui ſcripſiſti, LIB.POG.Vt etiam rudes indoctíque percipiantverborum ſenſa. L. Ac nec illud dixiſſem , nulla ſuorum verborum ratione habita.Habere enim rationem,eſt habere reſpectum,nõ autem ignorare rationem,vt tu illic accipis.neque quum ais,

Neceſſarius. Tuenda vita. Tutela corporis. Opinor. Sententia ſentit. Senſa verborum. Habere rationẽ verborũ.

LIB.POG. Qui ſiquod verbum inter ſtultos,qui vndique redundant,protulerint. L.Maluiſſem dicere,quibus omnia redundãt, vt Cicero dixit,qui nuſquam ſic locutus reperitur, vt tu:inquiẽs,

Stultis omnia redundant.

LIB.POG.Quibus ex rebus planè intelligis à medicinæ ſcientia in multo facultatem legum anteiri. L. De illo loquor,in multo.Et ad extremumvelim mihi diſtinguas ſignificata cerdonis ac ſutoris:nam pro diuerſis ponis,quum inquis, LIB.POG.Cerdones,ſutores,coquos. POG.Cerdones faciunt calceos,ſutores veſtimenta. L. Si veſtimenta è corio intelligis , aut calceos venire appellationeveſtitus,nõ negauerim ſutorem etiã circa veſtesverſari. Verũ nõ ita accipitur à doctis. ſed is,qui calceos facit,ſutor: quiveſtes,ſarcinator nominatur.Hæc ſi Pogi ignoras,alter cẽſorius Cato,non dico,quia mordax,ſed quia doctusvt ille & ſenex es,quo tandẽ modo pueri ſciebãt atque infantes? POG.Expectemus quid de hac re ſentiat Guarinus . Multa enim legit. multa audiuit. multa cõpoſuit. profectò aut hîc ſcit quid verum ſit,aut

In multo anteiri. Cerdo. Sutor. Sarcinator.

Proterrus. nemo. L.Nunquid eum proteruum,si secus,ac tu,sentit, appellabis? etsi isto vocabulo proteruus, non rectè es vsus. POG. Vt eum videro sentiētem,sic appellabo. Sed cur eum iam loqui paratum impedimus?

INDEX EORVM QVAE IN HIS ELEGANtiarum libris, libello item in Raudensem & Pogium explicantur.in quo numerus prior,librum elegātiarum,posterior,caput indicat. Si verò numero R præponatur,ānotationum librū in Raudensem significabit cum foliorum numero: P autem litera,libellum in Pogium.

A

E

EXCVDEBAT ROBERTVS STEPHANVS HEBRAICARVM ET LATINARVM LITERARVM TYPOGRAPHVS REGIVS

PARISIIS, ANN. M. D. XLI.

V. CALEND. OCTOBR.

